The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

SPIELMANN J.R

T4



JACOB. REINBOLD. SPIELMANN,

Phil. et Med. D. facultat. Medic. Argentor. Senior, Acad. Imperial. N. C. Adjunct, Petrop. Reg. Boruſs. Suec. Patriot. Pariſ. Medic. Elect. Mogunt. Et Palat. Colleg. Reg. Medic. Nancey. Sodalis; Acad. Reg. Scient. Pariſ. Corresp.

Natus XXXI. Mart. M.DCC. XXII.

Chr. Guerin delin. ad vivum et sculp. 1781

L.h.10


...TY OF LO...ON·MEDIC...

PHARMACOPOEA GENERALIS

EDITA

A

D. JACOBO REINBOLDO SPIELMANN.



ARGENTORATI 1783.

Sumptibus JOHANNIS GEORGII TREUTTEL, Bibliopolæ.

CUM APPROBAT. ET PRIVILEGIO REGIS.

PRÆFATIO.

Siſto opus, de cujus argumento me aliquid unquam typis evulgaturum eſſe, ne per ſomnum quidem cogitaſſem. Nimiis Medicamentorum collectionibus nos eſſe obrutos & dolui ſemper & adhuc doleo. Enimvero caſu excitatus, ut præcipuos qui proſtant Rei medicamentariæ Indices curatius rimarer, non inutilem prorſus operam navaturus mihi videbar, ſi quæ hodie in uſu ſunt medicamenta exacte & dilucide recenſerem. *Diſpenſatoria* certe & *Pharmacopoeas*, quæ extant, ejuſmodi laborem flagitare, nemini dubium videri poterit, qui quidem perpenderit, vel certis ea tantum regionibus aut civitatibus eſſe accommodata, vel inſignibus, quibus recentior Medicina ſplendet, incrementis minus quam par eſt reſpondere, vel deſcriptiones etiam Præparationum continere hiulcas, mancas, imo plane falſas.

E re præterea Medicorum eſſe, quis non videt? Syllabum proſtare, unde Medici, quorumcunque locorum titulos deligant, quos in Officinis aſſervandos præſcribant; quoſque Rerumpublicarum Adminiſtratores de ſalute civium ſolliciti ſua auctoritate comprobent ac Pharmaceuticæ penus normam eſſe jubeant: quod quidem ſi fiet, non amplius integra edentur volumina, quoties civitatum Antiſtites Rei

Medicamentariæ curam agere inſtituerint; una aut altera pagella exhibebit indicem omnium medicamentorum, quæ in Pharmacopoliis urbis aut regionis proſtare jubentur.

Equidem me multa, quæ hodiernus uſus nequaquam deſiderat, quin inconcinnas etiam compoſitiones, huic Medicamentorum Catalogo inſeruiſſe lubentiſſime fateor; ſed hæc cavere non potui in opere non Medicis modo exquiſite rationalibus, ſed illis quoque dicato, qui vel auctoritatibus, vel præjudicatis opinionibus aliisve rationibus ducti a Præceptoribus Auctoribusque accepta remedia miſſa facere nolunt. Quin imo vulgi quoque deſideriis ſatisfaciendum eſſe duxi, qui crebro non tam a Medicis præſcripta Medicamenta, quam quæ cœcus rumor utcunque probaverit, ex Pharmacopoliis petere ſoleat.

Multa interim in hoc opere deſiderabuntur remedia, in Practicorum libris commendata, qui vel adhuc dum in plurium manibus verſantur; multa quæ in formulis a majoribus ad nos transmiſſis præſcribuntur; quæ tamen cum de die in diem remiſſius expetantur, omittere non dubitavi. Nec inanem ſpem eſſe ducam, fore ut illi quoque, qui Artis noſtræ principiis non ſunt imbuti, experientia magiſtra perſpecturi ſint olim, quæ habemus recentiora, viribus non modo paria, ſed uti-

que ſuperiora veteranis iſtis eſſe. Si qui vero ſunt, quos triſtes hæ Medicinæ rudioris reliquiæ delectent, illis HORSTII *Pharmacopœa Galeno-Chemica Catholica* Francofurt. 1651. fol. JUNGKEN *Corpus Pharmaceutico-Chymico-Medicum* Francof. 1697. 4°. & *Pharmacopœa Schrœderiana* editio Germanica Norimb. 1746. & 1748. fol. abunde ſatisfacient.

Deſcriptiones Simplicium non ex libris deſumſi, ſed ad ipſa ſpecimina concinnavi: in quo cum unice meis ſenſibus fiderim; characteres, quos trado, ab illis, qui vulgo exhibentur, non raro recedunt. Præparationum nullam admiſi, cujus parandi ratio non ipſi mihi experto eſſet probata.

Simplicium, unde medicamenta deſumimus, titulos *Linnæanos* adhibui, ut altius progreſſuri habeant, ubi quicquid ad eorum hiſtoriam pertinet invenire poſſint. Vegetabilium icones ex opere *Blackwelliano*, quod in omnium manibus eſſe vellem, citavi. Plures imo etiam quandoque meliores potuiſſem adducere; niſi id conſilium a ſcopo libri Lectoribus dicati, quorum longe plurimi ſumtuoſas librorum collectiones facere nequeunt, alienum eſſe duxiſſem. Exoticorum, quæ in Horto noſtro Academico aſſervantur, culturam adjeci.

)(3

Libræ voce cum vage admodum ſoleant uti; per totum opus non ſum uſus, ſed ejus valorem Unciis expreſſi.

Conſultum imo neceſſarium etiam duxi, in libro, Pharmacopœorum artem continente, medicamentorum vires ſummatim indicare, generoſiorum quoque doſes determinare. Licet enim prudentiſſime legibus cautum ſit, ne Praxi Medicæ ſe immiſceant Pharmacopolæ; nunquam tamen obtinebitur, quin in caſibus, qui leviores eſſe videntur, illorum opera expectatur; Medicaſtrorum præterea peſtis in diem latius ſerpens Formulas quoque morbo curando contrarias imo deleterias in diem gignat. Ipſi quoque Medici interdum aliquid humani pati feſtinantique eorum calamo errores elabi poſſunt; itaque ne Officinæ ſanitatis morborum imo mortis materiam ſubminiſtrent; medicamentorum effectus noſſe omnino Pharmacopœum oportet, in promtu habere, quæ ſanitati vacillanti ſuccurrant, remedia, & ſibi quoque cavere, ne ſua ſaltem ex culpa victimarum, quæ Medicaſtrorum audacia letho immolat, augeatur numerus, & ipſos inſuper Artis magiſtros, ſicubi hallucinati ſint, monere.

PP. Calendis Novembris MDCCLXXXII.

SYLLABUS AUCTORUM.

AGRICOLA Georg. *De ortu & cauſis Subterraneorum*, Witteberg. 1612. Utor editione *Libris de Re Metallica*, Baſil. 1657. fol. adjecta.

Amſtelodamenſis Pharmacopœa, Amſtelod. 1639. 12°.

ANDERNACUS Joh. Gunth. *De Medicina veteri & nova*, Baſil. 1571. fol.

ANDROMACHUS Archiater NERONIS apud GALENUM.

APONENSIS Petrus obiit prioribus Seculi XIV. annis. *De venenis* 1473 4°. Utor editione Venet. 1565. fol.

ARBUTHNOT Carol. *Tabulæ antiquorum nummorum, menſurarum, ponderum &c.* per KOENIG Traject. ad Rhen. 1756. 4°.

Argentoratenſis Pharmacopœa 1725. fol. reviſa & ad uſum modernum accommodata 1757. fol.

AUBLET Fuſée *Hiſtoire des plantes de la Guiane Françoiſe*, Londres 1775. 4°.

Auguſtana Pharmacopœa 1601. fol. renovata & aucta prodiit 1684. fol.

AUGUSTIS de Quiricus *Lumen Apothecariorum*, Venet. 1517. fol.

AVICENNA Seculi XI. Auctor *Canon.* Venet. 1488. 4°. Utor editione Venet. 1582. fol.

Auſtriaca Provincialis Pharmacopœa, Viennæ 1774. 8o.

BACHER apud RICHARD *Recueil d'Obſervations.*

BARBETTE Paulus *Praxis* 1665. 8°. Cito *Opera* 1688. 4°.

BARCHUSEN Joh. Conrad. *Pyroſophia* Lugd. Bat. 1695. 4°. Utor editione multum aucta ſub titulo *Elementorum Chemiæ*, Lugd. Bat. 1718. 4°. divulgata.

BARTOLETTUS Fabric. *Encyclopedia Hermetico-Dogmatica*, Bononiæ 1619. 4°.

Bateana Pharmacopœa curante SHIPTON, Londin. 1688. 8°. Cito editionem Lovanii 1752. 8°. impreſſam.

BAUMÉ *Elemens de Pharmacie*, Paris 1767. 8°. Utor editione Pariſ. 1773. 8°. publicata.

BAZINGHEN Abot de *Traité des Monnoies*, Paris 1764. 4°.
BEGUINUS Joh. *Tyrocinium Chymicum*, Pariſ. 1608. 12°. Cito editionem a BLASIO adornatam, Amſtel. 1669. 12°.
BENEDICTUS Alexand. *de Re Medica*, Venet. 1535. fol.
BERCKLEY Georg. *Siris or a chain of phyſical reflexions and inquiries concerning the virtues of Tharwater*, London 1744. 8°. Utor verſione Gallica, Amſtelodami 1745. 8°. edita.
Bergamenſis Pharmacopœa 1581. fol.
BERGIUS Peter Jonas *Materia Medica*, Stockh. 1778. 8°.
Berolinenſes vid. *Diſpenſatorium Brandeburgicum.*
BIERLING Caſp. Theophil. *Adverſariorum curioſorum Centuria*, Jenæ 1679. 4°.
BIRCKMANN apud QUERCETANUM.
BLACK *in Eſſais and Obſervations Phyſical and literary by a Society in Edinburgh.* Voll. II. 1756. 8°.
BLACKWELL Eliſabeth *Curious Herbal*, London 1739. fol. Cito verſionem latinam & germanicam multum correctam & auctam, Norimberg. 1750-1773. 6 Voll. fol.
BLECHHOLZ apud *Brunsvicenſes.*
BLONDEL in LEMERY *Pharmacopée Univerſelle.*
BOECLERUS in *Pharmacopœa Argentoratenſi.*
BOERHAVE Hermann *de Materia Medica*, Lugd. Bat. 1719. 8°. Cito editionem L. B. 1721. 8°.
BONTIUS Jacob. *Methodus medendi* cum PISONE *de rebus utriuſque Indiæ*, Amſtelod. 1658. fol.
Brandeburgicum Diſpenſatorium, Berol. 1698. fol. Cito editionem a FAGINO (BUCHNER) illuſtratam.
BRASSAVOLA Antonius Muſa *Examen omnium Catapotiorum & Pilularum*, Baſil. 1543. 4°.
Examen omnium Electuariorum, Pulverum & Confectionum, Venet. 1548. 8°.
Examen omnium Trochiſcorum, Unguentorum, Ceratorum, Emplaſtrorum, Cataplaſmatum & Collyriorum, Venet. 1551. 8°.

BRASSAVOLÆ *Examen omnium Linctuum, Pulverum, Aquarum, Oleorum*, Venet. 1553. 8°.
De Medicamentis tam ſimplicibus, quam compoſitis Catharticis, Tigur. 1555. 8°.
Examen omnium Simplicium, 1556. 12°.
BROSSARD apud MORAND in *Memoires de l'Academie de Chirurgie* T. II.
Brunsvicenſe Diſpenſatorium Pharmaceuticum 1777. 4°.
BUFFON Comes *Hiſtoire naturelle générale & particuliere*, Paris 1749-1782. XXIX. Voll. 4°.
BUSSIUS Georg. in HOFFMANN *Obſervat. Phyſico-Chymic.* & apud SCHELHAMMER *de Nitro*, Amſtel. 1709. 8°.
CADET in *Academ. Roïale des Sciences.*
CAMERARIUS apud *Wurtembergenſes.*
CELSUS Aulus Cornelius Seculo Auguſteo floruit. Ejus libri *de Re Medica*, Florentiæ 1478. fol. impreſſi, crebro recuſi, optime editi ſunt a KRAUSE, Lipſ. 1766. 8°.
CHARAS Moyſe *Pharmacopée Royale Galenique & Chymique* Paris 1672. 8°. inſigniter aucta, Lyon. 1753. 4°.
CLAUDER Gabriel *Methodus balſamandi*, Jenæ 1684. 4°.
CLAVÉ *Cours de Chymie*, Paris 1646. 8°.
CLOS Du apud LEMERY *Pharmacopée.*
Colonienſis Pharmacopœa per HOLZHEMIUM 1627. fol.
CORDI Valerii *Diſpenſatorium*, Norimb. 1535. Utor editione, quæ prodiit Norimb. 1592. fol.
CORNACHINUS Marc. Anton. *Methodus, qua omnes corporis humani affectiones curantur*, Florent. 1629. 4°.
COSTÆUS Johannes in editione *Operum* MESUE.
CRAANEN Theodor. apud GRÆBNER *Medicina vetus reſtituta*, 1695. 4°.
CRATO de Krafftheim Johann. *Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium* Libri quinque, Francof. 1691-1693. 8°. Sextus & Septimus 1611. 8°. Auctor obiit anno 1585.
CROLLII Oſwald *Baſilica Chymica*, Francof. 1609. 4°.
DAGUIN in LEMERY *Pharmacopée Univerſelle.*

DAMOCRATES primo ſeculo floruit. Apud GALENUM.
Danica Pharmacopœa, Hafniæ 1772. 4°.
DARELIUS apud WALLBAUM.
DECKER Friderici *Exercitationes practicæ*, Lugd. Batavor. & Amſtelod. 1673. 8°.
DIGBY Renelmus *Recueil des Remedes & ſecrets tirés des Memoires du Chevalier DIGBY par MALBEC*, Paris 1669. 8°.
DIOSCORIDES Pedacius Anazarbeus primo ſeculo floruit. Libri *de Materia Medica* latine, Colon. 1478. fol. Græce 1495. fuerunt impreſſi. Cito editionem SARACENI 1598. Francof. fol.
DIPPEL Democriti Chriſtiani *Krankheit und Arzney des menſchlichen Lebens*, Franckfurt und Leipzig 1746. 8°. Latine prodierat Lugduni Batav. 1711. 8°.
DORNCRELLIUS Tobias *Diſpenſatorium novum*, Ulyſſip. 1600. 4°. Cito editionem, quæ Jenæ 1645. 8°. prodiit.
DOVER apud *Edinburgenſes*.
Dresdenſes apud ZWOELFFER.
DURIET apud WALLBAUM.
ECHHOLD apud SCHROEDER.
Edinburgenſis Collegii Medici Pharmacopœa 1722. 8°. Cito editiones 1736. & 1747. 8°.
EISENSCHMID Joh. Caſpar *de Ponderibus & Menſuris Veterum*, Argent. 1737. 8°.
ELLER Joh. Theodor. *nutzliche und auſerleſene Anmerkungen von Krankheiten und Operationen, welche im Lazareth der Charité zu Berlin vorgefallen*, Berlin 1730. 8°.
EMMERICUS apud JUNCKEN.
FALCK N. D. *Treatiſe on the medical qualities of Mercury*, London 1776. 8°.
FALLOPII Gabriel *Opera*, Francof. ad Mœnum 1584. fol.
FERNELIUS Johann. *Univerſa Medicina*, Pariſ. 1554. fol. Cito Opera Pariſiis 1638. 8°. publicata.
FIORAVENTI *Secreti rationali intorno alla Medicina, Chirurgia & Alchymia*, Venetia 1600. 8°.

Florentinum Antidotarium ex Italico ſermone Latinum factum per CLUSIUM, Antwerp. 1561. 8°.
FLORENZOLA *in Pharmacopœa Auguſtana.*
FOEUILLET in LEMERY *Pharmacopée.*
FORDYCE *on putrid and inflammatory Fevers*, London 1773. 8°.
FORESTUS Peter Libri *Curationum & Obſervationum Medicinalium*, Lugd. Bat. 1591-1606. 8°. Cito editionem Rothomag. 1653. fol.
FRACASTORIUS Hieronym. *de Sympathia & Antipathia & de Contagione*, Venet. 1546. 4°. Utor editione Genevæ 1671. 8o. divulgata.
FULLER Thomas *Pharmacopœa extemporanea*, London. 1705. 8°. Utor editione ibid. 1714. 12°. impreſſa.
Pharmacopœa domeſtica, London 1733. 12°.
FUNNIUS *in Actis Societatis Harlemenſis* T. II.
GABRIEL Gabriel in *Quæſtione* HIERONYMI BONIPERTI *de Materiæ imminutione & de totius evacuandæ Materiæ ratione*, Patav. 1550. 4°.
GALENUS Claudius Seculi II^di^ Auctor ex numeroſiſſimis tractatibus huc pertinent;
De Alimentorum facultate, Pariſ. 1530. 4°.
De ſimplicium Medicamentorum Facultate, Pariſ. 1520. fol.
De Compoſitione Medicamentorum ſecundum loca, Pariſiis 1530. fol.
De Compoſitione Medicamentorum ſecundum Genera, Pariſ. 1530. fol.
Euporiſta ſeu de Medicamentis facile parabilibus, Pariſ. 1530. 8°.
Succedanea ſive *Subſtituta*, Pariſ. 1530. 8°.
De Theriaca, Pariſ. 1534. fol.
De Ptiſana, Pariſ. 1536. 4°.
De Purgantium Medicamentorum facultate, Pariſ. 1544. 4°.
Antidotorum Libri, Thoruni 1607. 4°.
Hi Tractatus aliquoties ſeorſim, crebrius cum reliquis ſub titulo *Operum* prodierunt. Utor eorum nona JUNTARUM editione, Venetiis 1623. fol.

GALLUS, qui Seculo I. floruiſſe videtur, apud GALENUM.
GARZONIUS in *Antidotario Bonarienſi.*
GAUBIUS Hieronym. David *de Methodo concinnandi Formulas*, Leidæ 1738. 8°. Cito editionem Lugd. Bat. 1752. 8°.
GEBER Seculi VIII. Auctor. Utor editione *Operum*, quæ Gedani 1682. 8°. prodiit.
GEOFFROY in *Codice Pariſino* & in Tractatu *de Materia Medica*, Pariſ. 1741. 8°.
GLASER Chriſtoph *Traité de Chymie*, Paris 1667. 8°.
GLAUBER Joh. Rudolph. circa medium Seculi ſuperioris cœpit Tractatus Chymicos edere. Cito *Opera Chymica* idiomate Germanico impreſſa, Franckfurt am Mayn 1658. 4°. & *Continuationem* ibid. 1659. 4°.
GMELIN in *Diſpenſatorio Wurtembergenſi.*
GOULARD *Œuvres de Chirurgie*, Pezenas 1766. 12°. II. Voll.
GRULING Philipp *Florilegium Hippocraticum Galenico-Chymicum* 1665. 4°. Utor editione Lipſiæ 1680. 4°.
GUALTERUS in *Codice Pariſino.*
GULDENKLEE Timæi Balthaſar *Epiſtolæ & Conſilia.*
GUNDELSHEIMER in *Diſpenſatorio Wurtembergenſi.*
HALY Abbas ſub finem Seculi X. vixit, *Regalis Diſpoſitio*, Venet. 1492. fol.
Hamburgenſe Diſpenſatorium per KALDE 1716. fol.
HANCKENIUS apud WALLBAUM.
HARTMANN Johannes *Praxis Chymiatrica a filiis edita*, Lipſ. 1633. 4°. Utor editione a MAURITIO HOFFMANN illuſtrata, Lipſ. 1728. 4°.
HEISTER Laurent. *Chirurgia* Germanice, Norimb. 1718. 4°. Latine, Lugd. Bat. 1739. 4°. & in *Diſpenſatorio Brunsvicenſi.*
HELMONTIUS Joh. Baptiſt. van Anno 1644. obiit. *Opera*, Lugd. Bat. 1648. 4°. Cito editionem, quæ curante VALENTINI Hafniæ 1707. 4°. prodiit.
Helvetica Pharmacopœa, Baſil. 1771. fol.
HELVETIUS *Traité des Maladies les plus fréquentes*, Paris 1724. 8°. Eſt editio tertia.

HIÆRNE in notis Cl. MURRAY ad opus *Roſenianum.*
HILDANUS Guilielm. Fabricius *Obſervationes Chirurgicæ* 1598. edi cœptæ. Omnes collectæ occurrunt in *Operibus* a BEYERO editis, Francofurti ad Mœnum 1646. fol.
HIPPOCRATES Vto ante C. N. Seculo vixit. Utor ejus *Operibus* Græce & Latine per FOESIUM editis Francof. 1695. fol.
HOFFMANN in JACOBI *Deſcriptione methodi Mercurium Sublimatum Corroſivum tutius copioſiusque exhibendi*, Monaſt. Weſtphal. 1772. 8°.
HOFFMANN Friderici *Obſervationes Phyſico-Chymicæ*, Halæ 1722. 4°
Medicina Conſultatoria, Halæ 1721-1739. 4°.
videatur POTERIUS.
HOLLANDUS Iſaac Seculi XV. Auctor. Ejus Scriptorum crebrius impreſſorum editione utor ſub titulo *Bewæhrte Chymiſche Schriften*, Viennæ 1746. 8°. impreſſa.
HOMBERG in *Académie Royale des Sciences.*
HUXHAM Johann. *Obſervationes Medicæ & Chymicæ de Antimonio*, *Operum Phyſico-Medicorum* a REICHELT editorum Tomo tertio inſertæ.
JOUBERT Laurent *Pharmacopœa* per ZANGMEISTER, Lugd. 1579. 8°.
ISENBURG Comes apud WALLBAUM.
JUNCKEN Joh. Helfr. *Corpus Pharmaceutico-Medicum*, Francof. 1697. 4°.
KALDE videatur *Hamburgenſe Diſpenſatorium.*
KHUNRAD Conrad *Medulla Deſtillatoria & Medica*, Lipſiæ 1549. 8°. Utor editione Hamburg. 1605. 4°.
KIEFER *in Pharmacopœa Argentoratenſi.*
KLEIN Ludov. Godofred. *Selectus rationalis medicamentorum*, Lipſ. 1756. 8°.
KORNMANN apud SCHULZ in *Prælectionibus in Diſpenſatorium Brandeburgicum.*
KUNCKEL Johann van Lœwenſtern *Laboratorium Chymicum*, Hamburg. 1716. 8°. Utor editione 1738. 8°.

KUNCKEL *Chymiſche Tractætlein* a BURGGRAVE editi, Frankf. und Leipzig 1724. 8°.

LANFRANCUS *Practica, quæ dicitur Ars completa totius Chirurgiæ,* Venet. 1490. fol.

LANGELOT Joel in *Miſcellaneorum Naturæ Curioſorum* Decade prima.

LANGIUS Johannes *Epiſtolæ* Hanov. 1605. 8°. Auctor a. 1565 mortuus eſt.

LEIBNITZ Godofr. Wilhelm. *Protogæa,* Gœtting. 1749. 4°.

LEMERY Nicolas *Cours de Chymie,* Paris 1676. 8°. Utor editione notis BARON illuſtrata, Pariſ. 1756. 4°.

Pharmacopée univerſelle, Paris 1698. 4°.

LENTILIUS Roſin. *Miſcellanea Practica,* Ulmæ 1698. 4°.

LEWIS William *Materia Medica,* London 1761. 4°.

LIBAVIUS Andreas *Syntagma Arcanorum Chymicorum,* Francof. 1611-1613. fol.

Epiſtolæ Chymicæ, Francof. 1595-1599. 8°.

Singularia, Francof. 1599-1601. 8°.

LIGER *ſur la Poudre des Chartreux* 1720. Hæc ſcheda inſerta eſt Diſſertationi MILLARS *de explorata Kermes mineralis in medendo efficacia,* Argent. 1752.

LINNÆUS Carol. *Syſtema Naturæ,* Holmiæ 1766-1768. III. T. 8°.

LOBELIUS Matthias *Hiſtoria Stirpium,* Antwerp. 1676. fol.

Londinenſis Pharmacopœa 1632. fol. In linguam Gallicam verſa & eximie illuſtrata prodiit Pariſ. 1764. 4°. II. Voll. Utor editione Londinenſi 1746. 8°.

LOWER Richard *Deſcriptio Decocti Avenacei* creberrime excuſa. Cito editionem Germanicam Beuthen 1755. 8°, additionibus plurium Medicorum auctam.

LUDOVICI Daniel *Pharmacia moderno ſeculo applicanda.* Utor *Operibus* a MICHAELI editis, Francof. ad Mœnum 1712. 4°.

LUCE de in *Recueil Periodique* T. IV.

LULLIUS Raymundus Seculo XIII. floruit. *Scripta Chemica,* ejus nomen præ ſe ferentia medio ſeculo XVI fuerunt impreſſa. Utor eis, quas MANGETTUS *Bibliothecæ Chemicæ* inſeruit.

MACBRIDE David *Experimental Eſſays*, London 1764. 8°. Cito editionem auctam, London 1767. 8°.
MACQUER *Dictionnaire de Chymie*, Paris 1778. 4°. 3 Voll.
MAETS Carol. Ludov. *Chemia rationalis*, auctore P. T. Lugd. Bat. 1687. 4°.
MAGNUS Auctor Seculi II. apud GALENUM.
MANARDUS Johann. *Epiſtolæ*, Pariſ. 1528. 8°. Utor editione quæ Baſileæ 1540. fol. prodiit.
MANLIUS Johann Jacob. *Luminare majus*, Venet. 1496. fol. Cito editionem Venetam, 1553. fol.
MASSARIAS Dominic. Vicent. *De ponderibus & menſuris*, Tigur. 1584. 8°.
MATHIOLUS Petr. Andr. *Commentarii in Dioſcoridem*, Venet. 1548. 4°. Italice. Utor editione *Operum* a CASPARE BAUHINO 1598. fol. publicata.
MAYERNE *Medicamentorum formulæ*, Londin. 1640. fol. Recuſæ cum operibus a BROWN Londin. 1703. fol. editis.
MEAD Richard *Mechanical account of Poiſons*, London 1702. 8°. Cito *Opera*, Gœtting. 1748. 8°.
MEYER Joh. Frider. *Chymiſche Verſuche zur næhern Erkanntnis des ungelœſchten Kalcks*, Hannover und Leipzig 1764. 8°.
MESUE Damaſcenus Seculo XII. floruiſſe dicitur. Libri *de Re Medica*, Antwerpiæ 1479. ſunt impreſſi. Utor *Operibus* a COSTÆO, Venet. 1589. fol. editis.
MICHAEL Johann. *Opera Medico-Chirurgica*, Norimberg. 1688. 4°.
MINDERER Raymund *Aloedarium Marocoſtinum*, Auguſt. Vindel. 1616. 8°.
Medicina militaris, ſeu liber caſtrenſis Euporiſta ac facile parabilia medicamenta continens, Aug. Vind. 1621. 8°.
MOEBIUS Godofred. apud HOFFMANN in *Clave Schrœderiana*.
MOEGLING apud ZELLER & WEISSMANN in Diſſertatione *de Docimaſia, ſignis, cauſis & noxa Vini Lithargyrio mangoniſati*, Tubing. 1707. 4°.

MONTANUS Joh. Baptiſt. *Explicatio eorum, quæ pertinent tam ad qualitates ſimplicium medicamentorum, quam ad eorundem compoſitionem*, Venet. 1555. 8°.

MONTAGNANA *Antidotarium*, Venet. 1565. fol.

MORETTE du apud BAUMÉ.

MORT le Jacob. *Pharmacia Medico-Phyſica*, Lugd. Bat. 1684. 8°. & in MORLEY *Collectaneis Chymicis*.

MYNSICHT Adrianus van *Theſaurus & Armamentarium Medico-Chymicum*, Hamburg. 1631. 4°. Utor editione Genev. 1697. 8°.

MYREPSUS Nicolaus Seculi XIII Auctor. Codex Græcus nunquam impreſſus eſt. Vertente FUCHSIO idiomate latino prodiit Baſil. 1549. fol.

NICOLAUS vid. PRÆPOSITUS & MYREPSUS.

Norimbergenſe Diſpenſatorium 1666. fol.

ORIBASIUS Seculo IV. floruit. Ejus ſcripta in linguam Latinam verſa prodierunt Pariſ. 1558. 8°. Utor eisdem *Medicæ artis Principibus* ab HENRICO STEPHANO, Pariſiis 1567. fol. adjectis.

Palatinum Diſpenſatorium, Manhem. 1764. fol.

PALMARIUS Jul. *de morbis contagioſis*, Lutet. Pariſ. 1578. 4°. Cito editionem Francof. 1601. 8°.

PARACELSUS Philipp. Aureol. Theophraſt. Bombaſt. ab Hohenheim verum nomen fuit HOCHENER; anno 1541. obiit. Opera idiomate Germanico prodierunt, edente HUSER, Baſil. 1588-1590. X. Tomis; Latine autem, Francof. 1603. 4°. Utor editione Genevenſi 1658. fol. 3 Voll.

Pariſienſis Pharmacopœa anno 1637. primum prodiit. Cito editionem ſub titulo *Codicis Medicamentarii* a BOYERO publicatam Pariſ. 1758. 4°.

PERARD apud BAUMÉ.

PISO Guilielm. *de Indiæ utriuſque re naturali & medica*, Amſtel. 1608. fol.

PLENCK Joſeph. Jacob. *Pharmacia Chirurgica*, Viennæ 1775. 8°.

PLUMER in *Eſſais and Obſervations by the Society of Edinburgh.* 1732. 8°.
POMET Pierre *Hiſtoire générale des Drogues*, Paris 1694. fol. Utor editione Pariſ. 1735. 4°. 2 Voll.
PORTLANDIÆ COMES in CLEPHANE *Medical Obſervations and Inquirys* T. I.
POTERII Petr. *Inſignes Curationes & ſingulares Obſervationes* Venet. 1615. 8°.
Pharmacopœa Spagyrica nova & inaudita, Bonon. 1622. 8°. Utor *Operibus* curante FR. HOFFMANN editis, Francofurti ad Mœnum 1698. 4°.
PRÆPOSITUS Nicolaus Alexandrinus Seculo XIV vixit *Diſpenſatorium ad Aromatarios*, Venetiis 1471. fol. Cito editionem Lugd. 1505. 4°.
Pragenſe Diſpenſatorium, Vetero-Pragæ 1739. fol.
PRINGLE John *Obſervations on the diſeaſes of the Army*, London 1764. 8°. Eſt editio quarta.
PYTHAGORAS ſexto ante C. N. Seculo vixit; apud GALENUM.
QUERCETANUS du Cheſne Joſeph. *Antidotaire ſpagyrique*, Lyon 1576. 8°. Editio auctior prodiit ſub titulo *Pharmacopœæ Dogmaticorum reſtitutæ*, Pariſ. 1607. 8°. Cito editionem Francof. 1615. 4°.
Ratisbonenſe Diſpenſatorium 1727. fol.
REINESIUS Thomas *Chymiatria*, Geræ 1624. 4°.
RENODÆUS Renoy Johann. *Inſtitutiones Pharmaceuticæ*, Pariſ. 1608. Cito editionem Francofurt. 1615. 4°.
RETZ Andr. Joh. *Schwediſche Academie*, 1770. 8°.
RHAZES ſeculo X. floruit. *Continens* Brixiæ 1486. fol. *Libri ad Manſorem* Venetiis 1497. fol. ſunt impreſſi. Utor *Operibus* Baſil. 1544. fol.
RICHARD de Hauteſierck *Formulæ medicamentorum noſodochiis militaribus adaptatæ*: in *Recueil d'Obſervations de Medecine des Hopitaux militaires*, Paris 1766. 4°.
RIEDLIN in *Diſpenſatorio Argentoratenſi.*
RINGELMANN in *Pharmacopœa Danica.*

)( )( )(2

RIVERIUS Lazarus medio Seculo ſuperiore inclaruit. Cito *Opera* Genevæ 1737. fol.

ROSEEN von Roſenſtein Nils *Anweiſung zur Kænntnis und Cur der Kinderkrankheiten*, Holmiæ 1764. Suecice. Utor editione Germanica egregiis additionibus Illuſtris MURRAY aucta, Gœtting. 1781. 8°.

Roſſica Pharmacopœa, Petropol. 1778. 4°.

ROTH Gottfried *Anleitung zur Chymie*, Leipzig 1717. 8°. Utor editione Frankfurt und Leipzig 1739. 8°. Auctor obiit anno 1710.

RUFUS Seculo primo ad finem vergente creditur floruiſſe. *De purgantibus*, Pariſ. 1555. 8°. Utor *Operibus* a CLINCH editis Londin. 1744. 4°.

RULAND Martin. *Curationum Empyricarum & Hiſtoriarum in certis locis & notis perſonis expertarum* & *rite probatarum Centuriæ*, Baſil. 1578. 16°.

SAINTYVES *Traité des maladies des yeux*, Paris 1722. 12°. Cito editionem Amſterdam. 1736. 12°.

SALA Angelus *Tractatus Chemicos* cœpit edere anno 1608. Omnes prodierunt collecti Francofurt. 1647. 4°. Utor editione aucta ſub titulo *Collectaneorum Chymicorum opera & ſtudio J. D. Thom.* Francof. 1693. 4°. impreſſa.

SCHMUCKER *vermiſchte chirurgiſche Schriften*, Berlin & Stettin 1776. & 1779. 8°.

SCHROEDER Joh. *Pharmacopœa Medico-Phyſica*, Ulmæ 1641. Utor editione Francof. 1668. 4°.

SCHULZII Joh. Henr. *Prælectiones in Diſpenſatorium Brandeburgicum* 1735. Utor editione Norimb. 1753. 8°.

SEIGNETTE in *Academie Royale des Sciences* 1731. & Diſſertatione ENCKELMANN *de Sale Alcali Seignette*, Argent. 1756.

SENNERTUS Daniel *Practica Medicinæ* 1628-1635. 4°.

SERAPIO Seculo X. videtur floruiſſe. *De ſimplicibus Medicinis Opus* per BRUNFELS, Argentorat. 1531. fol.

SLONNE in GAUBII *Methodo conſcribendi formulas*.

SNELLEN Paul. *Salis communis triumviratus*, Amſtel. 1714. 8°.
STAHL Georg. Erneſt. *Opuſculum Chymico-Phyſico-Medicum*, Halæ 1715. 4°. & in *Diſpenſatorio Brandeburgico.*
STARCKEY Georg. *Pyrotechnia Anglica*, London 1658. 12°. Utor verſione Germanica, Norimb. 1722 impreſſa.
STÖERCK Anton. *Libellus, quo demonſtratur Colchici Autumnalis radicem non ſolum tute poſſe exhiberi hominibus &c.* Vindobon. 1763. 8°.
STOUGHTON in BAUMÉ *Elémens de Pharmacie.*
Suecica Pharmacopœa, Holmiæ 1775. 8°. Editio altera & emendata prodiit 1779. 8°.
SYDENHAM Thom. *Obſervationes Medicæ circa morborum conſtitutiones*, London 1667. 8°.
Diſſertatio Epiſtolaris de Obſervationibus nuperis circa curationem Variolarum confluentium, nec non de affectione Hyſterica, London 1682. 8°.
Progreſſus integri in omnibus fere morbis curandis, London 1693. 12°.
Utor *Operibus* Lugd. Bat. 1741. 8°.
SYLVIUS Jacob. *Methodus medicamenta componendi*, Lutet. 1541. 8°.
De medicamentorum ſimplicium delectu, præparationibus, Miſtionis modo, Pariſ. 1542. 8°.
Utor *Operibus Medicis* a MOREAU editis, Colon. Allobrog. 1630. fol.
SYLVIUS Franciſc. de le Boe Opera, Amſtelod. 1679. 4°. Cito editionem Genevæ 1681. fol.
TACHENIUS Otto *Hippocrates Chemicus*, Venet. 1666. 8°. Cito editionem Brunſvic. 1668. 12°.
De morborum Principe, Bremæ 1668. 12°. Cito editionem Oſnabrug. 1675. 12°.
THIBAUT Pierre *Cours de Chymie*, Paris 1667. Utor editione Lyon 1672. 8°.
TILLET *in Académie Royale des Sciences* 1767.
TRILLER Daniel Wilhelm. *Diſpenſatorium Pharmaceuticum Univerſale*, Francof. ad Mœn. 1764. 4°.

TURNER Daniel *Siphylis a practical Diſſertation on the venereal diſeaſe*, Lond. 1717. 8°.

Tunquinenſes in Philoſoph. Tranſact. N°. 474.

VALENTINUS Baſilius. Auctoris ſeculi XV ſcripta crebro tam ſeorſim quam in Theatris & Muſeis Chymicis collecta ſunt impreſſa. Utor *Chymiſche Schriften* per PETRÆUM 1740. 8°.

VARIGNANA Guilielm. *Opera*, Baſil. 1545. 4°.

VICAT Philipp. Rudolph. *Obſervationes Practicæ*, Bernæ 1780. 8°.

VERNY F. *Pharmacopée de Bauderon augmentée de remarques*, Lyon 1681. 4°.

Viennenſe Auſtriaco Diſpenſatorium, Vindobonæ 1729. fol. recuſum 1765.

VIGO Johannes *de Practica*, Romæ 1514.

VILLANOVANUS Arnoldus. De Villa nova verum nomen eſt. BACHUONE Seculo XIV. floruit. *Opera*, Venet. 1505. fol. Utor editione Baſil. 1585. fol.

VITET *Pharmacopée de Lyon* 1778. 4°.

UTECHT apud ZWINGER in *Diſſertat. de Nitro.*

WALDSCHMID Joh. Jac. *Inſtitutiones Medicinæ rationalis*, Marburg 1688. 8°.

WALLBAUM Joh. Jul. *Index Pharmacopolii completi*, Leipzig 1767. fol.

WALLERIUS Joh. Gottſchalck *Syſtema Minerale*, Holm. 1772. 8°. 2 Voll.

WEBER Joh. Carol. *Anchora Sauciatorum*, Brigæ 1677. 8°.

WECKER Joh. Jacob. *Antidotarium ſpeciale*, Baſil. 1581. 4°.

Pharmacia in artis formam redacta, Jenæ 1675. 4°. Utor editione Jenæ 1693. 4°.

WEDEL Georg. Wolfgang *Pharmacia Acroamatica*, Jenæ 1686. 4°.

Compendium Chymiæ, Jenæ 1715. 4°.

WEISMANN Joh. Frid. in *Academ. Natur. Curioſ. Novor. Act.* T. I.

WEPFER Joh. Jac. *Obſervationes Medico-Practicæ*, Tiguri 1745. 4°. Obiit anno 1695.

WERLHOFF Paul. Gottlieb in *Diſpenſatorio Brunſvicenſi.*

WESTENDORF Joh. Chriſtoph. Diſſertatio *de optima Acetum concentratum ejuſdemque Naphtham conficiendi ratione*, Gœtting. 1772. 4°.

WHYTT Robert *Obſervations on the nature, cauſes and cure of thoſe diſorders wich have been commonly called nervous, hypochondriacal or hyſteric*, Edinburgh. 1765. 8°.

WIDSTOECK in *Stralſundiſch Magazin* Vol. I.

WILDEGANSIUS in *Diſpenſatorio Brunsvicenſi.*

Wirtembergica Pharmacopœa, Stuttgard 1740. fol. recentiſſime recuſa 1771. fol.

WOLFF in QUERCETANI *Pharmacopœa Dogmatica.*

WOLFF Joh. Philipp. in *Academ. Natur. Curioſ. Act.* Vol. VII.

WURZ apud HILDANUM.

ZELLER apud *Wirtembergenſes.*

ZWOELFFER Joh. *Annotationes in Pharmacopœam Auguſtanam*, Norimberg. 1667. fol.

Pharmacopœa Regia, Norimberg. 1668. fol.



PROLEGOMENA.

§. I.

Pharmacopœa, quam etiam *Pharmaciam* appellare ſolent, eſt Ars Medicamenta colligendi, præparandi & diſpenſandi. Antiquitus per longam ſeculorum ſeriem ipſorum Medicorum proprium hoc negotium erat. Qui unice vendendis ſubſtantiis, quæ ad reſtituendam ſanitatem conducere putabantur, operam dabant *Seplaſiarii*, *Aromatarii*, *Pigmentarii*, *Medicamentarii*, *Unguentarii*, *Myropolæ*, *Pharmacopolæ Circumforanei* nominati, a Medicis æque ac a recentioris ævi Pharmacopœis erant ſane quam diverſiſſimi. Cum vero tam cognitionum Medico acquirendarum amplitudo, quam medicamentorum copia inſigniter creviſſet, Medentes etiam accuratius in morbos, quos tractandos ſuſceperant, inquiſiviſſent & tali ſcrutinio multum temporis dandum eſſe ſenſiſſent,

quin & horum opem crebrius ægrotantes imploraviſſent; Clinici curam medicamentorum diſpenſandorum propriis hominibus reliquerunt, qui *Pharmaceutæ, Pharmacopolæ* & labente ævo *Apothecarii, Confectionarii &c.* dicebantur. Qua temporis periodo Pharmaceutæ proprium artificum genus conſtituere cœperint, accurate determinari nequit; cum eorum nulla apud Auctores priorum a Chriſto nato ſeculorum mentio occurrat. Mesue *Senior* autem, qui ſub initio ſeculi IX vixit, cum Pharmacopœi filius fuiſſe feratur, probabilem conjecturam ſuppeditat, Pharmacopæam tanquam Artem a Clinice diſtinctam inter Arabes, poſtquam ſcilicet una cum reliquis litteris ad Saracenos Medicina quoque tranſierat, ortam eſſe. Litteras inde in Europam reduces Pharmacia quoque eſt ſecuta, cognitaque mox inſigni ejus ad vitam communem utilitate, Rerumpublicarum Proceres hanc artem exercentibus propria jura conceſſerunt, juſtos eorum limites conſtituerunt, legibusque caverunt, ne Arti ſaluberrimæ ſpurii impoſtores maligni ſe intrudere & maculam adſpergere poſſint.

§. II.

Antiquiores jam Medici circa medicamentorum ſimplicium delectum erant occupati. Mantias, qui proximo ante Chriſtum natum ſeculo vixit, primus de *compoſitione Medicamentorum* ſcripſiſſe Galeno dicitur, cui & ipſi, in hoc artis genere verſatiſſimo multarum, quibus priſci medentes utebantur, compoſitionum notitiam debemus. Mesue rem pharmaceuticam qualis apud Arabes obtinuerat, nobis reliquit. Poſt renatas in Europa litteras, creſcente in dies Artis noſtræ ambitu, copioſa ſeſe exceperunt volumina, quibus Medicamentorum parandorum rationes exponebantur. Hi tractatus *Luminaria, Antidotaria, Pharmacopœæ, Diſpenſatoria* inſcribebantur; & priores quidem horum auctores Saladinus ſcilicet, Nicolaus uterque, & Manlius Galenum & Mesue maximam partem compilarunt. Orta ſub initio ſeculi XVI nova Chemicorum ſecta cum Medicina in *Galenicam & Chemicam*

diſtingueretur, Pharmacia eandem partitionem ſubiit; & *Chemicæ* quidem parti illas annumerabant præparationes, quæ ope Operationum Chemicarum peragerentur, reliquas hactenus uſitatas ſimpliciores *Galenicæ* relinquentes; utramque vero receperunt, quæ exinde prodierunt Pharmacopœæ. Magiſtratus cum perſpicerent, quanti ad ſalutem communem intereſſet, ut medicamenta rite pararentur, nec tanti momenti negotium vago ſingulorum arbitrio committeretur, vel etiam imperitiæ artificum relinqueretur, publica auctoritate non ediderunt ſolum Præſcriptiones Medicamentorum, ſed etiam ſanxerunt. Inter primos *Florentini*, *Bergamenſes*, *Norimbergenſes*, *Auguſtani*, *Pariſini* ſalubre hoc conſilium ceperunt, quos dein longe maxima pars Europæ eſt ſecuta, ita ut hodie paucæ urbes exiſtant, quæ non *Pharmacopœam* typis evulgaverint; ſed plurimæ quoque hujus generis Collectiones a privatis ſunt editæ, & proſtat jam tanta eorum copia, ut ſingulas recenſere nimiæ eſſet prolixitatis; dijudicare autem ſummæ arrogantiæ.

§. III.

Præter ea, quæ ſunt Viri boni & probi, requiritur non modo ut Pharmacopœus calleat linguas, quibus conſcripti ſunt libri, unde cognitiones ad artem ſuam facientes & hauriat & augeat. Latinæ & Gallicæ notitia carere nequit, ſed eximii ipſi uſus etiam erunt Anglica & Germanica, nec male his Italica quoque jungeretur. Omnibus præterea Scientiis, quibus Chemia nititur, omnino neceſſe eſt, ut animum habeat imbutum, Logica nimirum, Phyſica, & Matheſi. Nec circa delectum Medicamentorum ſimplicium officiis ſuis poterit defungi, niſi Hiſtoriam Naturalem habuerit perſpectam; qui enim ignorat, characteres, unde omnia Corpora naturalia agnoſcuntur, nec accurate noſſe poterit iſta, quæ ad ſcopos medicatos faciunt. Sed in ipſa Pharmaciæ adminiſtratione præterea plura occurrunt, quæ tanquam leviora litteris non conſignantur, non pauca etiam, ad quæ rite exſequenda omnino iteratum crebro exercitium requiritur. Itaque prudenter omnino legibus cautum eſt, ut

juvenes, antequam Pharmacopœorum jura aſſequantur, tirocinia artis ſub ductu probatorum Artificum ponant. Optima ratio bonum Pharmacopœum formandi, ea mihi quidem eſſe videtur, ut primum in Gymnaſio Litteras humaniores tiro & prima Logices æque ac Matheſeos principia ediſcat. Curſu Gymnaſii non abrupto, ſed rite emenſo, committatur Pharmacopolio probe inſtructo & in eo ſaltem per triennium in omnibus, quæ ad Artem faciunt, negotiis ſedulo ſe exerceat, nec labores, quos vel viliores eſſe putet, inſumere detrectet. Omne quod ipſi a laboribus pharmaceuticis ſupereſt tempus, repetendis & colendis, quæ in Gymnaſio tractaverat, ſtudiis impendat; finito tirocinio in officina quadam multum frequentata per unum aut alterum annum miniſtrum agat, nec unquam culturam ſcientiarum, quibus in Gymnaſio imbutus erat, negligat; egregie omnino ſuis rebus ibit conſultum, ſi hoc miniſterii tempus in aliquo emporio tranſiget & tabernas mercatorum, quos Seplaſiarios hodie dicimus, ſedulo frequentabit. Per idem tempus meliora quæque rerum Pharmaceuticarum Elementa, in quem cenſum Neumannum maxime atque Clariſſimum Beaumé refero, ſtudioſe legat ac relegat. Hac methodo praxi Pharmaciæ abunde exercitatus & imbutus, adeat Academiam egregie inſtructam, Botanicæ ibi ceterisque Hiſtoriæ Naturalis partibus, ut & Phyſicæ & Chemiæ ſedulo incubiturus, nec non Lectionum, quibus Materies Medica illuſtratur & regulæ Methodi Formularum conſcribendarum traduntur, aſſiduus futurus auditor. Hac ratione formatus Pharmacopœus dignitatem Artis ſuæ tuebitur, publica commoda inſigniter promovebit, ad provehendam Medicinam, augendamque Naturæ cognitionem Scientiæque Naturalis ambitum ampliandum haud inanem operam contribuet, una cum Medico ſaluti civium pariter conſulet, Doctoris Medicinæ nequaquam, ut vulgo videtur, famulus, ſed frater, collega, cooperator, amicus.

§. IV.

Pharmacopœa in ampla area, certe in platea latiore ex-

ſtrui debet. Ipſa penetralia luci ſint penetrabilia, ita tamen ut ædes a Solis, meridiani inprimis, ardore ſatis ſint defenſæ. Neque minus ex altera parte cavendum, ne humor medicamentis noceat. Omnibus ac ſingulis Pharmacopœæ receptaculis inſcribantur litteris majuſculis tituli, unde, quæ continent, appareat; uni receptaculo plura uno corpora non inſerantur; diaphragmata confuſioni ægre obſiſtunt; vaſa pro variis, quæ includunt, ſubſtantiis vel ex ligno tiliaceo, vel figulari opera, vel ex vitro ſint parata; metallica ob facile contagium ſemper ſunt ſuſpecta. Proxima Pharmacopœæ ſit cella fornicata æſtate calori, hieme frigori impenetrabilis, ubi Aquæ, Vina, Succi, Syrupi, Spiritus, Tincturæ, Electuaria &c. aſſerventur. Nec longe a Pharmacopolio diſtet Apotheca, ſive promus condus, unde ſcilicet pro re nata promi condita poſſint. Vicinum pariter ſit Laboratorium fornicatum, puteo, caminis & fornacibus inſtructum; cui quoque contiguam, omnino proficuam, velim eſſe officinam, in qua Decocta, Unguenta & cetera, quæ Galenica dicuntur, medicamenta parentur. In ſuperna domus contignatione Vegetabilia indigena aſſervari ſolent. Capſæ, quibus condantur, ſint ex ligno inodoro factæ, operculo tectæ & nomine ſubſtantiæ, quam continent, inſcriptæ. Ipſa contignatio ſit, ut aëri pervia, ita a ſolis æſtu ſatis tuta. Mundities denique per omnes domus partes prima ſit ac poſtrema Pharmacopœi cura.

§. V.

Præcipuam ſupellectilem Chemicam in *Inſtitutionibus Chemiæ* deſcripſi; reliquam ipſe rerum uſus ultro poſcet. Explicandis vero jam ponderum ac bilancium generibus eo diutius immorandum videtur, quo majori circa eorum uſum circumſpectione opus eſt. Bilancium probitatem perſpicimus lancium ad jugum & ponderum in lancibus ſitum alternando. Quo longius eſt jugum, eo diſtinctior ponderum menſura patet. Requiruntur bilances variæ librationis: aliæ non niſi aliquot Granorum, aliæ Drachmarum duarum, rurſus aliæ Se-

munciarum & Unciarum, item aliæ aliquot Unciarum librandarum; & ita porro, quæ totas libras ponderant, pro harum numero variæ debent eſſe conformationis. Aquis, Spiritibus, Acetis propriæ menſuræ metallicæ reſpondent, determinantibus uncis Drachmas, Semuncias, Uncias. Medici Libram in duodecim Uncias, Unciam in octo Drachmas, Drachmam in tres Scrupulos, Scrupulum, Pariſini quidem *Græcos* imitantes, in quatuor & viginti, reliquæ vero gentes ad normam *Salernitarum* in viginti Grana dividunt, Granum ejuſque partes minime Grano Piperis, ut vulgo ſolet, ſed laminis metallicis adcuratiſſime definitis librandæ ſunt. Libræ civili vulgo ſedecim Unciæ tribuuntur. Sed ipſa Libra pro variis regionibus in immenſum variat. In Germania propria Libra Medica obtinet; ceteræ gentes Libra communi pro ponderandis etiam medicamentis utuntur.

Diverſiſſimarum noſtri ævi Librarum rationem ad Libram Pariſienſem redactam tam ex Clariſſimis Auctoribus Abot de Bazingen & Tillet quam ex propriis obſervationibus hic exhibeo.

	Libr. Pariſ.	*Unc.*	*Dr.*	*Gr.*
Libra Amſtelodamenſis, quæ per omne Belgium obtinet	1.	---	---	42.
Argentoratenſis	---	15.	5.	15.
Berolinenſis	---	15.	2.	32.
Bernenſis æquat Pariſinam				
Colonienſis	---	15.	2.	13½.
Dantiſcana	---	15.	2.	7.
Florentina	---	11.	---	50.
Francofurtana ad Mœnum . .	---	15.	---	10.
Genevenſis	1.	---	---	18.
Genuenſis	---	10.	5.	60.
Hafnienſis	---	15.	3.	20⅔.
Hamburgenſis	---	15.	2.	15½.
Holmienſis	---	13.	7.	8.
Lisbonnenſis	---	15.	7.	68.

	Libr. Pariſ.	Unc.	Dr.	Gr.
Libra Londinenſis	---	12.	3.	12.
Lugdunenſis	---	13.	4.	48.
Madridenſis	---	15.	---	16.
Manhemienſis	---	15.	2.	20½.
Maſſilienſis	---	13.	7.	62.
Medica in Germania paſſim uſitata	---	15.	4.	48.
Milanenſis	---	9.	3.	---
Monachienſis	---	15.	2.	23.
Neapolitana	---	10.	7.	54.
Romana	---	11.	---	50.
Varſovienſis	1.	10.	4.	24.
Veneta	---	8.	6.	---
Viennenſis	1.	2.	2.	32.

Londinenſis, Genuenſis, Florentina Uncia nec non Neapolitana & Romana duodecimam libræ partem æquat.

In menſurandis fluidis Libram vulgo *Schopinam*, *Seidel*, *Quart*, Angli *Pint* appellant, ſed *Quart* Brandeburgenſium ſex & triginta Uncias, *Pinta* Pariſienſium duas libras, *Demi-ſeptier* autem ſemilibram æquat. *Menſura* quatuor Libris reſpondet. *Gallon* ſive *Congius* octo continet libras; quatuor & viginti menſuræ apud noſtrates *Ohmæ* nomine venit; *Muid* Pariſienſium ducentis octoginta octo Pintis conſtat.

§. VI.

Antiquitatis quoque ponderum valor, cum multum lucis intelligendis Veterum ſcriptis ſubminiſtret, ex Eisenschmidio & Massario ad Libram Pariſinam redactus hic ſubjungendus videtur.

Romani Libram, quæ ipſis etiam *Pondo* aut *As* audiebat, in duodecim Uncias dividebant. Pondus Unciarum undecim *Deuncem*, decem *Dextantem*, novem *Dodrantem*, octo *Beſſem*, ſeptem *Septuncem*, ſex *Semiſſem*, quinque *Quincuncem*, quatuor *Trientem*, trium *Quadrantem*, duarum *Sextantem*, Unciam unam cum dimidia *Seſcuncem* nominabant.

	Libr. Pariſ.	Unc.	Dr.	Gr.
Apud Romanos.				
Centum p. ponderavit . . .	67.	11.	2.	48.
Libra	—	10.	6.	48.
Uncia	—	—	7.	16.
Duella	—	—	2.	29.
Sicilicus	—	—	1.	58.
Sextula	—	—	1.	14.
Denarius Conſularis . . .	—	—	1.	2.
Imperialis ſive Drachma	—	—	—	65.
Victoriatus	—	—	—	37.
Scriptulum	—	—	—	21.
Obolus	—	—	—	11.
Siliqua	—	—	—	4.
Apud Græcos.				
Τάλαντον	54.	2.	5.	24.
Μνᾶ, Mina	—	14.	3.	40.
Δραχμὴ	—	—	1.	11.
Ὀβολὸς	—	—	—	13.
Κεράτιον	—	—	—	4.
Χαλκὸς	—	—	—	2.
Λεπ]ὸν	—	—	—	$\frac{1}{3}$.
Apud Arabes & Græcos Recentiores & Latino-Barbaros.				
Alchemion	—	14.	3.	40.
Manes, Ominos	—	10.	6.	28.
Sacrajati	—	2.	6.	41.
Sacros, Auguen, Adar, Aſſatil .	—	—	7.	16.
Nux magna vel Regalis . .	—	—	3.	44.
Sextarius, Stater	—	—	3.	44.
Nux parva	—	—	2.	50.
Alcovanus	—	—	2.	29.
Aureus, Alcaubolus . . .	—	—	1.	14.
Atogochilos, Holca, Alchi, Darchimi,				

Ologinat,

	Libr.	Unc.	Dr.	Gr.
Ologinat, Nabach, Avellana, Bondacate	—	—	1.	11.
Balanus, Lupinus, Bachilea, Faba Ægyptia vel Syriaca	—	—	—	42.
Faba Alexandrina, Tremeſſis, Kemeraja	—	—	—	30.
Ganchus, Gormin, Gramma, Harmi, Kermet, Faba Græca . . .	—	—	—	21.
Seminet, Cumulus, Annulus, Onolaſſent, Onolôſſich . . .	—	—	—	11.
Danich	—	—	—	8.
Kirat, Kararit, Autulas, Alkilat	—	—	—	4.

Aquæ frigidæ Menſuræ Romanæ æquant Pariſinas ſequenti ratione.

	Libr.	Unc.	Dr.	Gr.
Culeus	1133.	6.	2.	—
Amphora ſeu Cadus . . .	56.	2.	7.	24.
Urna	28.	1.	3.	48.
Congius	7.	—	2.	66.
Sextarius	1.	1.	7.	44.
Hemina	—	10.	1.	18.
Quartarius	—	5.	—	45.
Acetabulum	—	2.	4.	23.
Cyathus	—	1.	5.	30.
Ligula	—	—	3.	24.

Menſuræ Græcæ.

Μετρητὴς	84.	4.	3.	—
Χοῦς	7.	—	2.	66.
Ξέστης	1.	1.	7.	44.
Κοτύλη	—	8.	7.	58.
Τέτραρτον	—	4.	3.	65.
Ὀξύβαφον	—	2.	1.	69.
Κύαθος	—	1.	4.	—
Κόγχη	—	—	6.	—
Μύστρον	—	—	3.	—
Χήμη	—	—	2.	—
Κοχλιάριον	—	—	1.	—

Menſuræ Arabum, Medicorum Recentiorum & Latino-Barbarorum.

	Libr.	*Unc.*	*Dr.*	*Gr.*
Miſſohaos	3.	8.	1.	33.
Aben, Kiſt, Ejub, Eberia, Mina Romana	1.	6.	—	—
Fiala, Haſſitius, Kaſſitium	—	10.	1.	18.
Rejelati, Calyx	—	5.	—	44.
Cornuſum, Pugillum	—	3.	2.	68.
Aneſime, Æſaſſe, Kaſſuff	—	2.	4.	20.
Conos, Coatus, Alcantus, Almuneſi, Cuabus, Briale	—	1.	5.	34.
Bachates parva	—	—	5.	56.
Cochlear maximum.	—	—	4.	44.
magnum	—	—	1.	52.
Colanos, Raclanarium	—	—	1.	28.
Cochlear parvum, Flagerina, Cyanes	—	—	1.	11.
minimum, Fahaliel	—	—	—	42.

Noſtro ævo Libram ſigno ℔, Unciam ℥, Drachmam ʒ, Scriptulum ſeu Scrupulum ℈ ſolent denotare, quibus Characteribus, ſignum ß ubi additur, pondus dimidiatum denotat. Characteres id genus Auctorum Veterum invenies collectas apud ARBUTHNOT & EISENSCHMID.

§. VII.

In colligendis Vegetabilibus hæc veniunt notanda. Radices annuæ colligendæ ſunt, quam primum caulem vel folia protruſerint, biennes altero a ſatione ſeminis vere, perennes, ſive vere ſive primo autumno, antequamligneſcant. Folia decerpas effloreſcentium florum, Flores gemmarum vix explicitarum tempore; Fructus, ubi maturuerint. Cortices arborum, ſi qui deſiderantur, ſemper Libri, quos *Cortices medianos* dicunt, recipiantur. Multa exſtant Florum genera una cum calycibus in uſum trahenda, quippe his præcipua inhæret virtus; huc præſertim Aromatica ex Didynamia deſumta pertinent. Flores & Folia minora una cum cauli-

culis, quibus adhærent, in uſum trahantur. *Summitates* dici ſolent, quæ hunc in modum carpuntur. Collectio Animalium & Mineralium, cum præter ea, quæ vel ſuis locis dicentur vel omnibus ſunt notiſſima, nil habeat proprii, nullam moram injicit. Exſiccatio optime calore centum circa graduum Thermometri Farenheitiani aut quadraginta Reaumuriani ſuſcipitur qualem fornix furni dare ſolet; huic ſcopo & plurimis aliis laboribus Pharmaceuticis egregie inſervit conclave, quod tali fornici ſuperſtructum eſt. Craſſiores Radices, quo melius exſiccari queant, in taleolas ſunt ſecandæ. Sereno ſemper cœlo Plantarum partes ſunt colligendæ, nullo rore madidæ. Vegetabilia culta, cum largius nutrimentum hauriant, præſtant ſylveſtribus; nec bene Veteres contrarium docuerunt. Aromatica & fragrantia eo ſunt efficaciora, quo ſub calidiore cœlo vegetarunt; frigidius Tetradynamicis magis favet.

§. VIII.

Medicamenta ſicca in vaſis ligneis curate tectis aſſerventur. Limatura Martis, ne rubiginem contrahat, Salia in acre humeſcentia, ne deliquium patiantur, vitris condenda ſunt. Liquores tutiſſime vitris committuntur. Exulent omnino omnia vaſa ex Cupro ſeu Stanno fabricata; ultimum metallum enim in ſupellectilem efformatum fere Plumbum recepit; quod facilis & pernicioſi contagii eſſe conſtat. Poteſt tamen uſus Stanni concedi aſſervandis Unguentis, Oleis infuſis aliiſve remediis, quæ nonniſi extus adhibentur. Mollia & liquida ex Saccharo parata Medicamenta vaſis porcellaneis, vel ubi hæc pretioſiora ſint viſa, ex Argilla teneriore exquiſite paratis, quæ *Fayence* dicunt, aut Argillaceis Plumbo non incruſtatis, immittuntur. Aromata, & quæ reliqua principia volatilia habent, diu ſub forma Pulveris non aſſervare licet.

§. IX.

Optandum quidem eſſet, ut Characterum uſus ex Medicina omnino proſcriberetur, cum tamen etiamnum obtineant uſitatiores ſaltem hic profero.

Acetum 🜊
    deſtillatum 🜋
Aër 🜁
Alumen 🜺
Amalgama aaa
Ana aa
Antimonium ♁
Aqua 🜄
    fortis 🜅
    Regis 🜆
Arena ∴
Argentum ☽
    vivum ☿
Arſenicum 🜺
Auripigmentum 🜽
Aurum ☉
Balneum Mariæ MB
    Vaporis VB
Calx viva 🝂
Cancer ♋
Cineres clavellati 🝗 🝘
Cinnabaris 🜍
Cuprum ♀
Deſtillare 🝪
Dies 🝯
Ferrum ♂
Hora 🝮
Ignis 🜂.
Menſis 🝱
Nitrum 🜕
Nox 🝰
Oleum 🝆
Plumbum ♄
Præcipitatum 🝙
Præparatum PP
Pulvis 🝫
Recipe ℞

Retorta 🝭
Sal ⊖
  Ammoniacus ⊖xc
  fixus ⊖∨
  volatilis ⊖∧
Spiritus 🜀
    Vini rectificatus 🜅
Stannum ♃
Sulphur 🜍
Tartarus 🜿
Terra 🜨
Tinctura ℞
Viride Æris ⊕
Vitrum 🜄
Vitriolum 🜖
Urina ⊡

§. X.

Medio ævo compendii cauſa aliqualia Medicamenta ad communes locos ac titulos referre moris erat; en præcipuos!

Flores quatuor Cordiales.

Borraginis, Bugloſſi, Violarum, Roſarum, ultimi debent omitti, ſi tres tantum præſcribuntur.

Fragmenta quinque Lapidum pretioſiorum.

Granati, Hyacinthi, Sapphiri, Smaragdi, Carneoli.

Radices quinque Aperientes.

Apii, Petroſelini, Fœniculi, Aſparagi, Ruſci.

Semina quatuor Frigida.

Cucurbitæ, Citrulli, Melonis, Cucumeris.

Herbæ quinque Emollientes.

Althææ, Malvæ, Mercurialis, Parietariæ, Violariæ.

MATERIES PHARMACEUTICA.

ABELMOSCHI Semina *Bamiæ Moſchatæ, Grains de Muſc, Biſamſaamen.* Fuſca ſunt, uniformia, leniter compreſſa, utrinque ſinuata, odore ad Moſchum accedente. Deſumuntur ab Hibiſco Abelmoſcho L. Arbore utriuſque Indiæ cive. Apud nos in tepidario contra frigus defendenda. *A quibuſdam Infuſis Nervinis adjicitur, aut ad Suffimigia recipitur.*

ABROTANUM *Aurone, Stabwurz* illud *Maris* epitheto olim a ceteris diſtinguebant. Aſſervantur inde cauliculi herbacei, foliis ſetaceis obſeſſi, fragrante & forti odore, ſapore aromatico, amaricante. Artemiſia Abrotanum L. Blackwell Tab. 555. Frutex in Europa Auſtrali & Oriente ſponte creſcens apud nos in hortis colitur. Lewis inde pauciſſimum Olei odorati obtinuit. *Vires Aromaticas edit; laudatur contra Vermes. Datur in Infuſo, quod cum Spiritu Vini paratum, aquoſo præſtat.*

ABROTANUM FOEMINA, *La Garderobe, Gartencypreſſen.* Recipiuntur inde cauliculi teneri cum foliis anguſtis dentatis, albentes, odore grato, ſapore levi, aromatico & amaricante. Santolina Chamæcypariſſus L. Blackwell Tab. 346. Creſcit in Europa Auſtrali, apud nos in frigidario aſſervanda. *Antecedentis vires, ſed debiliores habet.*

ABSYNTHIUM ALPINUM, *Le Genippi.* Folia ſericea, anguſta, pinnata, tenuiter diviſa, grato aromate inſtructa. Artemiſia Rupeſtris L. Helvetiæ, Sibiriæ, Oelandiæ civis. *Laudatur contra Febres intermittentes, ad Menſes pellendos & Vulnera conſolidanda.*

ABSYNTHIUM PONTICUM, *petite Abſinthe, Rœmiſcher Wermuth.* Folia alba, pinnatim tenuiſſime laciniata, non ingrati odoris, leviter amara, evidenter aromatica. Artemiſia Pontica L. Blackwell Tab. 527. Creſcit in Europa Orientali & in Palatinatu, in noſtris hortis colitur. *Reſolvit; Digeſtionem juvat; contra Vermes facit. Datur in Infuſo aquoſo.*

ABSYNTHIUM VULGARE, *Abſynthe, Wermuth.* Folia pinnata, pinnis latiuſculis, alba, proprii non admodum grati odoris, ſaporis nauſeoſi, amariſſimi. Artemiſia Abſynthium L. Blackwell Tab. 17. Paſſim in Europa obvium

it. Baumé ex Foliorum libris viginti quinque, ad decem Drachmas Olei odorati non amari obtinuit. *Reſolvendi, Primas vias roborandi, Vermes necandi, Putredinem arcendi Scorbutum quoque, Podagram, Hydropem curandi cauſa exhibetur. Datur ſub forma Infuſi Aquoſi, Vinoſi, Spirituoſi, Conſervæ, Syrupi: Oleum deſtillatum rariſſime intus datur, Spiritu Vini diſſolutum aut Saccharo exceptum vices Eſſentiæ ſuſtinet: Extractum odore caret. Pro uſibus externis Oleum per Infuſionem paratum proſtat.*

ACACIA ÆGYPTIACA. Inde proſtat Succus inſpiſſatus in placentulas coactus rotundas, ex rufo nigricantes, in ore liqueſcentes, ſapore adſtringente & auſtero inſtructus. Obtinetur ex fructibus immaturis Mimoſæ Niloticæ Blackwell T. 377, Arboris in deſertis Libyæ creſcentis, apud nos in tepidario per hyemem aſſervandæ. *A Veteribus multum ſcopo Adſtringendi laudabatur. Hodie eviluit.*

ACACIA NOSTRAS, *Prunier ſauvage*, *Schlehenbaum*. Inde Corticem, Flores, Fructus recipimus. *Cortex* gryſeus & rufus, adſtringens: *Flores* recentes ſunt albi, odore grato, qui & exſiccatione non totus perit, ſapore amaricante: *Fructus* ſunt Drupæ rotundæ, nigræ, ſaporis auſteri, qui vero, ſi pruinas aliquot expertæ fuerint, multum miteſcit. Prunus ſpinoſa L. Blackwell Tab. 494. Creſcit in Europa præter maxime Meridionalem & Septentrionalem, nec non in Penſylvania. *Corticem a virtute Diuretica & Febrifuga laudant, Flores ab Eccoprotica, quæ vero non raro tormina excitat, Fructus autem ab Adſtringente, frigore mitigati in modum aliorum fructuum horreorum comeduntur. Cortices & Fructus cum aqua decoquuntur; hos quoque cum nucleis contuſos Vino infundere ſolent. Florum Manipulum unum cum aqua aut Sero lactis infundunt aut in Syrupum cogunt. Aqua a Floribus abſtracta ſuave olens ad affectus Pectoris commendatur.* Succum ex Baccis frigore non mitigatis expreſſum & inſpiſſatum primi Arabes ſubſtituerunt Succo Acaciæ Ægyptiacæ, a quo etiam nonniſi majore nigredine differt; ſed ne hoc ipſo quidem ulterius utimur.

ACANTHUS Folia oblonga, lata, utrinque viridia, laciniata laciniis acutis & dentatis, maſticata mucilaginis ſenſum linguæ ſiſtunt. Acanthus mollis L. Blackwell Tab. 89. Italiæ ci-

vis, noſtram hyemem patienter fert. *Medicamentis externis Emollientibus cum ſucceſſu adjicitur, inconſulte Branca Urſina ſubſtitui ſolet.*

ACER, *Erable*, *Ahorn.* Variæ ejus ſpecies Platanoides L. Europæ potiſſimum Arbor, Rubrum L. & Saccharinum L. Virginiæ & Penſylvaniæ cives, noſtri climatis patientes, dum primo vere terebra inciduntur, ſuccum fundunt inſtar aquæ limpidum, dulcem & inodorum, *qui Sanguinis purificandi gratia ad duas libras de die bibitur; hic ſuccus ſub perpetua agitatione inſpiſſatus abit in maſſam fuſcam & dulcem quæ* SACCHARUM ACERIS *dicitur, ipſique Saccharo ſubſtituitur & ad morbos Pectoris magnopere commendatur.*

ACETOSA, *Oſeille, Sauerampfer.* Radices, Folia & Semina in officinas recipiuntur. *Radices* fibroſæ ex uno capite plures fibras longas & tenues edunt; cortex ex rufo flaveſcens medullam albidiorem includit; ſapore præditæ ſunt leviter amaricante, levius adſtringente: *Folia* ſunt oblonga, ſagittata, acidi ſaporis, qui autem exſiccatione multum imminuitur. *Semina* ſunt ſpadicea, triquetra, & linguæ adſtringentem ſenſum imprimunt. Rumex Acetoſa L. BLACKWELL Tab. 230. Creſcit per totam Europam, in hortis culta & major & ſucculentior redditur. *Radices Adſtringunt & cum Aqua coquuntur, quæ inde rubella condit, ſed color ab affuſis Acidis deſtruitur. Folia Antiſcorbutico, Antifebrili & Lithontriptico ſcopo adhibentur, rarius ſub forma Infuſi exhibentur, crebrius recentia Juſculis incoquuntur. Succus inde expreſſus ad octo Uncias exhibetur; Seminum uſus, quæ a virtute Adſtringendi commendarunt & ſub forma Pulveris propinarunt, eviluit.*

ACETOSA ROTUNDI FOLII Folia exhibet ſagittata, glauca, præcedentibus magis acida Rumex ſcutatus L. BLACKWELL Tab. 326. Europæ Meridionalis civis. *Folia medicato ſcopo vel præcedentibus merito præſcribuntur.*

ACETOSELLA *Alleluja, Sauerklee.* Folia habet, quorum tria uni petiolo inſident, obcordata, firmula, levi hirſutie notata, ſapore acido linguam feriunt, qui ſapor autem exſiccatione vix non totus perit. Oxalis Acetoſella L. Creſcit paſſim per Europam, præter maxime Meridionalem, ſed in agro Veronenſi adhuc occurrit. *Adhibetur ad Refrigerandum Putredinem*

Putredinem corrigendam, Ventriculum roborandum. Datur ſub forma Infuſi aquoſi, Conſervæ, Syrupi, Succi expreſſi. Ejus Libra una ſeſqui Drachmam circiter *Salis Eſſentialis* largitur, quod improprie ſatis a Gallis *Sel d'Oſeille* appellatur & rariſſime a Pharmacopœis paratur, ſed ex Helvetia, Silva nigra & Martia accerſitur. Conf. P. II.

ACETUM, *Vinaigre, Eſſig.* Liquor ex Vino denuo fermentationem ſuſcipiente ſurgens, proprio non ingrato odore, qui nares evidenter irritat, ſapore perinde linguam titillante & acido inſtructus. Aliud quam ex Vino, quod ab Uvis obtinetur, paratum adhibendum eſt nullum, illudque ipſum, quo fortius nares & linguam irritat, eo magis probatur, quoque generoſius eſt Vinum, eo præſtantius inde ſurgit Acetum. *Scopo Reſolvendi, Putredini reſiſtendi intus datur; Diſcutiendi & Sphacelum arcendi extus applicatur, nec non Excitandi fine Naribus admovetur.*

ACONITUM, *Napel, Eiſenhütlein.* Folia ſunt profunde quinquepartita, lobis cuneatis, inciſis, acute terminatis, lineatis, leviter odorata; recentia aliquanto poſtquam maſticata fuerint, acrimoniam produnt, quæ ab exſiccatis tota abeſt Aconitum Napellus L. BLACKWELL Tab. 561. Paſſim in montibus creſcit, apud nos in hortis colitur. *Veneni Narcotici effectus edit. Succus inſpiſſatus ſub nomine* EXTRACTI *aſſervatur, tanquam ſummum remedium a Granis ſex ad decem & ultra aliquoties de die Reſolvendi ergo in Rheumatiſmis & Arthritide, nec non in Quartana, laudatur. Doſin ſenſim ſenſimque ad Drachmam ſemis uſque evectum fuiſſe lego.*

ACORUS, videatur CALAMUS.

ACORUS ADULTERINUS, *Pſeudacorus, Flambe batarde, Waſſerſchwertel. Radix* fibroſa, rugis diſtincta, extus ferruginea, intus alba, odore & ſapore ad Iridem Florentinam accedens, cum quadam adſtrictione. Iris Pſeudacorus L. BLACKWELL Tab. 261. Per omnem Europam occurrit. *Alvum & Urinas ducere dicitur.*

ACMELLA adducitur ad nos ſub forma Foliorum diffractorum viridium, multis ſtipitibus craſſiuſculis & longis commixtorum. Equidem in illis nullum ſaporem, niſi leviſſimum

ſalini veſtigium potui diſtinguere. An quia effœta eſt, quæ hodie in tabernis proſtat? Spilanthus Acmella L. Blackwell Tab. 518. Creſcit in Zeylona & Ternata. Annua planta, quæ ſub dio in hortis noſtris coli poteſt. *Ineunte hoc ſeculo ob vires Antinephriticas & Lithontripticas multum cœpit laudari. Dabatur ſub forma Infuſi Theæformis, hodie fere eviluit.*

ADAMAS, *Diamant.* Gemmarum duriſſima, fulgidiſſima & pretioſiſſima, igni majori expoſita tota diſparens. Alumen lapidoſum, pellucidiſſimum, ſolidiſſimum, hyalinum L. Reperitur in fodinis vel in arenis Aſiæ & in Braſilia. *Nec Medicamentoſas, nec Venenatas Vires habet.*

ADIANTHUM ALBUM, videatur RUTA MURARIA.

ADIANTHUM AUREUM, *Percemouſſe, Golden Widderthon.* Proſtat ſub forma cauliculorum ſimplicium rubrorum, undique foliolis linearibus, acutis, per exſiccationem contractis, rubiginoſis obſeſſorum, capitulo quadrato, quod calyptra villoſa tectum eſt, coronatis, inſipidis. Polytrichum commune L. Blackwell Tab. 357. Copioſe per ſilvas Europæ creſcit. *Humores attenuare dicitur. Datur ſub forma Theæformi.*

ADIANTHUM NIGRUM. Folia pinnata, pinnis ordinatim decreſcentibus ut integrum folium triangulum referat, obtuſis, inæqualiter ſerratis, ſapore deſtituta. Aſplenium Adianthum nigrum L. Blackwell Tab. 220. Paſſim in Europa creſcit præterquam magis Septentrionali. *Viribus cum antecedente convenit.*

ADIANTHUM RUBRUM vel *Trichomanes.* Cauliculi rubri pinnis ovatis & crenatis obſeſſi, dulciculi. Aſplenium Trichomanes L. Blackwell Tab. 370. Vulgatiſſima per Europam planta. *Vires antecedentium habet.*

ADHATODA. *Folia* majora ex ovatis acute terminata, ſuperne viridia, inferne albida, validis nervis percurſa, ſaporis proprii amaro contigui, odore plane deſtituta. Juſticia Adhatoda L. Zeylonæ civis, apud nos in frigidario ab hyeme defenditur. *Utero Purgando dicata a nonnullis dicitur.*

ÆGAGROPILÆ, *Gemſenkugeln.* Pilæ variæ magnitudinis & figuræ, a recrementis variarum plantarum efformatæ,

involucro tenaci & ſicco obductis, fuſcæ vel nigræ, odoris & ſaporis leviter aromatici cum aliqua adſtrictione. Calculi Ægagropilæ L. Reperiuntur in primo & ſecundo ventriculo Capræ Ruricapræ L. Animalis ſummis Alpium jugis immorantis. *Totæ quantæ inertes.*

ÆS, videatur CUPRUM.

ÆTITES, *Pierre d'Aigle, Adlerſtein.* Lapis ex Argilla indurata efformatus, in cujus cavitate alius lapis, *Callimus* dictus, laxe incluſus eſt, coloris ut plurimum lutei plus minusve fuſci, figuræ ſive rotundæ ſive ovatæ. Ætites Aquilinus embryone libero terreſtri L. Paſſim in Europa reperitur. *Commenta de ejus virtute ad Partum faciente jam diu ad aniles fabulas ſunt ablegata.*

AGALLOCHUM, videatur ALOES LIGNUM.

AGARICUS, *Agaric, Lerchenſchwamm.* Proſtat ſub forma ſubſtantiæ fungoſæ albæ, non raro in varia tubera diviſæ, ſpongioſæ, quaſi farinaceæ, digitos inquinantis, diverſæ magnitudinis, levis, amaricantis, acriuſculæ, nauſeoſæ, leviſſime odoræ. Boletus albus Laricis dictus L. Antequam officinis traditur, cutis tenax & colorata inde aufertur. In Europa Meridionali obtinet & in Oriente. Optimum ex Aleppo adduci contendunt. *Alvum incommode ducit. Sub forma Pulveris, Infuſi aquoſi exhibetur, aliis medicamentis admiſcendus, in ſubſtantia ad Drachmam unam, in Infuſo ad Unciam ſemis. In Trochiſcos eum ope mucilaginis Tragacanthæ efformandi mos obſolevit.*

AGARICUS MINERALIS, videatur LAC LUNÆ.

AGARICUS PEDIS EQUINI FACIE. Proſtat ſub forma lamellarum molliſſimarum, quæ conſiſtentiam coriaceam mollem habent, colorem fuſcum, odorem & ſaporem nullum. Parantur ex Boleto igniario L. variis arboribus accreſcente, cujus exterior epidermis demitur; reliqua ſubſtantia mallei ictibus in lamellas, quales deſcripſi, effingitur. *Ad Sanguinem ſiſtendum partibus cruentatis imponitur.*

AGNUS CASTUS. Recipiuntur inde capſulæ rotundæ, tomentoſæ, aliquot ſeminibus fœtæ, leviſſime odoræ, ſaporis aromatici. Vitex Agnus caſtus L. Blackwell Tab.

139. Arbor in Europa Meridionali & Carolina ſpontanea, hyemis noſtræ patiens. *Aromatum vires habet, conſilio peſſimo contra Libidinem præſcribitur; Emulſionibus etiam adjicitur.*

AGRIMONIA, *Aigremoine, Odermenning.* Folia longa, impari pinnata, pinnis ovato oblongis, inciſo ſerratis, inferne alba, odore nullo, ſapore leviter adſtringente. Agrimonia Eupatoria L. BLACKWELL Tab. 31. Creſcit in omni Europa; *leves vires Adſtringentes edit; datur ſub forma Infuſi Theæformis. Recipitur ad Gargariſmata & Decocta Vulneraria.* Oleum deſtillatum fundere dicitur.

ALABASTRUM, *Alabâtre, Alabaſter.* Eſt Lapis durus, qui ad chalybis ictum nullas ſcintillas emittit, cum acidis non efferveſcit, polituram admittit & in tenuia fragmenta ſectus ſemipellucidus apparet. Gypſum Alabaſtrum particulis impalpabilibus diaphanum L. Paſſim in Europa reperitur. *Omni Virtute medicata caret.*

ALBUM GRÆCUM, *Merde des chiens, weiſſer Hundskoth.* Eſt Excrementum alvinum Canum, ſiccum & album, quod diutius aſſervatum odorem omnem amittit. *Sordidum Medicamentum hodie exolevit, ſaltem nonniſi externe Reſolvendi ergo adhibetur.*

ALCEA, *Alcée, Sigmundwurz.* Folia rotunda, profunde lobata, lobis denuo profunde diviſis, ſcabra, inodora, inſipida. Malva Alcea L. Creſcit paſſim per Europam, præterquam magis Septentrionalem. *Emollientibus adſcribitur, ſub forma Infuſi, Cataplaſmatis, Enematis adhibetur.*

ALCES UNGULÆ, *Pieds d'Elan, Elendsklauen* ſunt magnæ, coloris gryſei ad nigrum vergentis, cultro raſæ nullum fœtorem ſpargunt. Deſumuntur a Cervo Alce L. in Europa Septentrionali, Aſia & America occurrente. *Quæ de ejus virtute Antepileptica ferebantur, ad vetularum commenta merito referuntur.*

ALCHYMILLA, *Pied de Lyon, Sinau, Frauenmantel.* Folia rotunda, plicata, pubeſcentia, lobata lobis rotundis & ſerratis, adſtringente ſapore prædita. Alchemilla Vulgaris L. BLACKWELL Tab. 75. *Leniter Adſtringendi cauſa ad Infuſa Theæformia & Decocta Vulneraria recipitur.*

ALKANNA, *Orcanette, rothe Ochſenzunge.* Radices fibroſæ, calami anſerini craſſitiem æquantes, ſub cortice purpureo

nigricante, medullam albam includunt, inſipidæ. Anchuſa tinctoria L. In Gallia Meridionali ſpontanea, noſtras hyemes fert. *Unice ad tingenda quæque Pinguia nec non Spiritum Vini adhibetur.*

ALKANNA ORIENTALIS. Ex capite craſſo copioſas lamellas ſibi invicem incumbentes, pleniore purpura, quam radices antecedentes ſaturatas emittit; a Lawſonia inermi L. deſumitur, ſed rariſſime in Pharmacopolia recipitur.

ALKEKENGI, *Halicacabum, Coquerets, Judenkirſchen.* Baccæ rotundæ, rubræ, pulpam continentes grate vinoſam, cui Semina multa ovata, compreſſa, acriuſcula, ſubamara inhærent. Ex Calice amariſſimo illas exemturus caveat, ne iſtius vel leviſſimo attactu amaritie inficiantur. Phyſalis Alkekengi L. BLACKWELL Tab. 161. Creſcit in Europa, citra magis Septentrionalem. *A vi Diuretica laudantur. Recentes ultro ſe offerunt comedendas, exſiccatæ decoquuntur aqua, vel Succus inde expreſſus ad Unciam unam exhibetur.*

ALLIARIA, *Alliaire, Lurchel.* Folia cordata, glabra, dentato ſerrata, odore & ſapore Allium referentia. Eryſimum Alliaria L. BLACKWELL Tab. 372. Paſſim per Europam creſcit. *A vi Diuretica & Antiſcorbutica laudatur; juſculis adjicitur aut Succus inde expreſſus exhibetur. Folia contuſa Antiſeptico quoque ſcopo extus applicantur. Folia exſiccando fere inertia redduntu.* Oleum deſtillatum dicitur fundere.

ALLIUM, *Ail, Knoblauch.* Radix bulboſa eſt obvelata tunica ſicca & alba, multis bulbis minoribus conſtans, quos *Spicas vel Nucleos, Zehen* appellant, & quidem incurvis, acutis, ad margines angulatis, hinc convexis inde planis, ſub cuticula leviter rufeſcente carnem includentibus albam, proprii nauſeoſi odoris & ſaporis acris, quæ comeſta animam ad ſat longum tempus ſuo fœtore inficit. Allium ſativum L. Veterum fide ex Africa in Europam illatum hodie ubivis colitur. *Reſolvendi cauſa ad juvandam Digeſtionem, curandos affectus Pectoris, Podagram & Febres intermittentes, Anthelmintico & Diuretico ſcopo adhibetur ſive crude comedendum, ſive Succus inde expreſſus; illud ad tres ſpicas, hic ad Unciam unam exhibentur. Extus Bulbi ſub cineribus cocti Maturandi aut in pulpam contriti Rubefaciendi ergo applicantur.*

Sex & nonaginta Unciæ largiebantur Olei citrini, in aqua ſubſidentis, & penetrante ſuo odore omnia reliqua Olea odorata ſuperantis Drachmam unam.

ALLIUM ASCALONICUM L. *Eſchalottes*, *Schalotten.* Conſiſtit ex Bulbis ſolitariis, ſub tunica rufeſcente bulbillos continens convexo concavos, priori ſimiles, odore vero & ſapore mitiores. Palæſtinæ civis, in hortis colitur; *ad Condimenta maxime recipitur.*

ALLIUM SCORODOPRASUM L. *Rocambole.* Paſſim in Europa *Sylveſtre* creſcit, in hortis colitur. Bulbi umbellis innixi, ſubgloboſi, ad latera compreſſi; tunica, qua ſunt veſtiti, ad colorem violaceum accedit, cætera cum prioribus fere habent communia. Ab Allio enim vulgari ſapore & odore parum, viribus nihil differunt.

ALNUS, *Aunée*, *Erlen.* Folia nobis largitur rotunda, crenata, inferne albida, inſipida. Betula Alnus L. Arbor in omnibus Europæ regionibus, Sibiria, Conſtantinopoli creſcit. *Folia inciſa & Mammis calida impoſita multum ad Lac Diſcutiendum laudantur.*

ALOES, Succus inſpiſſatus, niger, qui in majoribus maſſis nobis affertur, odore nauſeoſo, ſapore amaro & acrimoniæ vicino. Inde ab Arabum temporibus tres ejus ſpecies in officinis proſtant puritatis gradu inter ſe differentes; puriſſima eſt *Succotrina;* ad rubedinem accedit & nitore gaudet, cucurbitis incluſa nobis mitti ſolet; hanc *Hepatica* excipit, pleniore flavedine tincta; evidenter ſordida eſt *Caballina* nigra, ſiccior, odorem minus fortem ſpirans. Ex varia ſuccum ex foliis Aloës perfoliatæ veræ L. Blackwell Tab. 229. utriuſque Indiæ civis, apud nos per hyemem tepidario fovendæ, expreſſum inſpiſſandi ratione variæ hæ ſpecies oriuntur; *Succotrina*, ex ſucco defæcato ſpiſſitudinem ſponte contrahente; *Hepatica*, ex ſucco pariter quidem defæcato, ſed calore inſpiſſato; *Caballina*, ex ſucco a fæcibus non mundato minusque diligenter cocto ſurgit. Hæc poſtrema ex officinis rejicienda. *Ob virtutes Alvum ducendi, Primas vias roborandi, Obſtructiones Syſtematis Venæ Portarum reſerandi, Vermes necandi, Putredinem arcendi laudatur. Sed inde Sanguinem, Hæmorrhoidalem maxime, exæſtuari Veteres jam perſpexerunt, &*

hunc effectum a principio ejus reſinoſo pendere eſt obſervatum, quapropter pro uſu interno nonniſi Extractum aquoſum eſt recipiendum; neque ad illud extrahendum, calor ullus, ne ſcilicet reſinoſæ partes accreſcant, eſt adhibendus; ſed aqua cum Aloë frigide infuſa per aliquod tempus eſt reponenda & depoſitis demum fæcibus, inde defuſa leni calore evaporanda. Aloës Purgandi quidem ſcopo ad Drachmas duas, in reliquos uſus ad Scrupulum unum præſcribitur. Auctores medii ævi Aloën Infuſis Vegetabilibus aut aqua ſolverunt & denuo inſpiſſarunt, unde ALOES LOTA, INSUCCATA, ROSATA, VIOLATA extiterunt. Datur ſub forma Pilularum, Electuarii, Infuſi Spirituoſi, Vinoſi. Extus ejus Tinctura ſpirituoſa vel Pulvis recipitur; additur quoque Suppoſitoriis, Clyſmatibus, Unguentis.

ALOES LIGNUM. Hoc nomine ad nos vehuntur fruſta lignorum variæ magnitudinis badio aut nigro colore tincta, ſtriis nigricantibus variata, aut reſinam nigricantem in ſinubus quaſi exeſis vehentia; his fruſtis ardentibus reſina, qua ſcatent, fuſa ſuavem odorem ſpargit, quem autem ſubſequens ligni accenſi odor mox diſturbat. Nihil certi de arboris genere, nec unde nobis venit, liquet. In Indiæ Orientalis montibus inſidere videntur arbores, quæ perinde ac noſtræ Pinus ætate reſina obducuntur; iſtarum arborum reſina fragrantia ſua ceteris præſtat: fruſta tota reſina plena *Calambuc* dicta ad nos non perveniunt; tantum minus reſinoſa ſub Ligni Aloes, Agolochi, Aquilæ, Aspalati nomine noſtras tabernas ingrediuntur & pro varia quam fovent reſinæ ratione diſtinguuntur. *Olim Nervino ſcopo ad Pulveres recipiebatur nec non ad Suffimenta, hodie eviluit.* Oleum deſtillatum conſiſtentiæ butyraceæ inde obtinebatur.

ALSINE, *Morgeline, Hünerdarm, Vogelkraut.* Folia parva, ovata, longis petiolis prædita, acute terminata, leviſſime hirſuta, inſipida, inodora. Alſine media L. Vulgatiſſima per omnem Europam planta. *Vires Emollientes habere dicitur.*

ALTHÆA, *Guimauve, Ibiſch. Radix* fibroſa ſub cute leviter flaveſcente, qua dum exſiccatur nudari ſolet, medullam albam habet ſubdulcem proprii nec ingrati odoris. *Folia* ſunt cordato-oblonga, acute ſerrata, quinqueloba, tomentoſa, inſipida, inodora. *Flores* albi monopetali, quinquefidi, inodori & inſipidi, calice duplici tomentoſo cincti aſſervantur. *Se-*

mina uniformia, compreſſa, ſtriata, fuſca, odoris & ſaporis expertia. Althæa Officinalis L. BLACKWELL Tab. 60. Creſcit in Europa præter magis Septentrionali. *Demulcendi & Emolliendi ſcopo adhibetur, & cum hæ virtutes a mucilagine pendeant, quæ Radicibus quam reliquis partibus copioſior inhæret, Radices ad hunc ſcopum frequentioris ſunt uſus. Datur ſub forma Infuſi, Decocti, Syrupi, Trochiſcorum; recipitur ad Collutoria, Gargariſmata, Cataplaſmata.*

ALUMEN, *Alun, Alaun.* Eſt Sal in amplas maſſas concretus, cryſtallis majoribus efformatus, linguam valide adſtringens, non niſi larga aquæ copia diſſolvendus, Syrupi Violarum colorem non mutans, prunis ſuperimpoſitus multum intumeſcens & pelluciditatem exuens. Dimidium ejus ponderis aqua, ſextam partem Acidum Vitriolicum & quartam terra Argillæ propria efformat. Inter Europæos primi Itali illud pararunt, qui quidem cum per cryſtalliſationem figuram lapis induere hoc Alumen ipſis videretur, ut a ceteris ejus generibus, quæ omnia hodie eviluerunt, diſtinguerent, nomen ei *a Rocca ſive Rupei* indiderunt. LEIBNITZ *Protog.* 47. hanc denominationem a Rocca Syriæ, unde Alumen parandi trecentis ultra annis in Italiam delata fuit, repetit. Obtinetur ex variis foſſilibus, unde poſt juſtam pro ſingulorum natura, præparationem elixivationis & cryſtalliſationis ope elicitur. Puriſſimum creditur ROMANUM, quod Tolfæ ad centum cellas ex quadam Selenites ſpecie paratur & leni roſeo colore gaudet. *Valide Adſtringit, quem in finem partibus Sanguinem fundentibus aqua ſolutum & linteis exceptum applicatur, ad Dentifricia quoque recipitur. Intus ad Hæmorrhagias aut Diarrhœas ſiſtendas octo aut decem ejus Grana pro doſi exhibentur ſive ſub forma Pulveris ſive ſub forma Pillularum.*

AMARA DULCIS, *Douce amere, Je længer je lieber.* Recipiuntur Stipites duriuſculi, flavidi, ſubangulares, rugoſi, tuberculis hinc inde exaſperati, inodori, amari cum præcedente quadam dulcedine. Solanum Dulcamara L. BLACKWELL Tab. 34. *Sanguinis Depurandi gratia commendatur. Stipites recentes exſiccatis præferuntur, Drachmæ duæ ad tres pro doſi ex aqua decoquuntur.*

AMBRA, *Ambre gris.* Eſt Bitumen, quod in variæ magnitudinis

gnitudinis fruſtis ad nos adducitur, intus gryſeis, extus nigricante cruſta tectis, ex lamellis cum aliqua tenacitate fragilibus formatis, levibus, ad candelam facile liqueſcentibus, vix non totis in auras evolantibus. Odor integræ ſibi relictæ Ambræ non fortis eſt, ſed calori admotæ, aut cum aliis ſubſtantiis mixtæ & in pulverem tritæ fragrantiſſimus. Ipſa ſeorſum in pulverem cogi nequit. Ambra Ambroſiaca L. In omni mari, quod Aſiam, Africam & Jamaicam alluit, reperitur, ſive ipſi innatans, ſive rupibus littoris accreta. Ambra Vulgatior L. & omnes ejus varietates arte ſunt paratæ. *Ob fragrantem, quem ſpirat, odorem aliis ſubſtantiis adjicitur, quarum magnum volumen exigua ejus portio gratiſſimo odore imbuit. Ad vim Nerveam excitandam & augendam multum confert; cui vero ſcopo idoneam doſin ad triginta uſque Granorum pondus extendi debere recentiora experimenta docent. Datur cum Saccharo in Pulverem trita aut Alcohole diſſoluta & tunc ESSENTIA AMBRÆ dicitur. Adjicitur quoque Aſperginibus coſmeticis, Balſamis, Suffimigiis.*

AMBRA LIQUIDA. Eſt Balſamum Peruviano ſpiſſius, fuſcum, ſapore præditum acri, aromatico, odore fragrante ſtyracino; dicitur obtineri ex inciſo cortice Liquidambar Styraciſluæ L. Arboris in Virginia, Carolina & Regno Peruviano creſcentis; apud nos in frigidario aſſervandæ. *Olim roborando Ventriculo inungebatur & gratiæ ergo medicamentis internis admiſcebatur; hodie ei Styracem ſolent ſubſtituere.*

AMETHYSTUS. Eſt gemma poſt Adamantem & Rubinum duriſſima, coloris pulchre violacei & columbini. A WALLERIO *Rubini* ſpecies habetur. Ex Perſia, Arabia, Armenia, India Occidentali ad nos adducitur; reperitur quoque in Gallia, Hungaria, Saxonia. In officinis ipſi ſive Cryſtallum coloratum violaceum WALL. ſubſtituunt, quæ eſt varietas violacea Nitri lapidoſi quartzoſi octodecaëdri L. *Amethyſtus Occidentalis* dicti, ſive Fluorem ſpathoſum violaceum WALLER. ſive Aluminis lapidoſi calcareo-ſpathoſi, diaphani, raſilis L. varietatem; paſſim in montibus Europæ occurrentes. *Omni virtute medicata caret.*

AMIANTHUS, *Asbeſtus*, *Alumen plumoſum.* In offici-

nis ſynonyma Lapidem ſignificantia ex fibris parallelis laxius inter ſe cohærentibus & aliquantum flexilibus conſtantem, gryſei vel virideſcentis coloris. Amianthus fragilis fibroſus, fibris ſeparabilibus, rigidis, nitidis, fragilibus L. Paſſim in montibus Europæ offenditur. *Interdum, conſilio non admodum laudando, Irritandi cauſa Cuti inſpergitur.*

AMOMUM, *Pimenta, Piper Jamaicenſe, Nægelein-Kœpffe.* Fructus variæ magnitudinis, Piſis crebro majores, ſubrotundi, badii, rugoſi, umbilico notati, biloculares, in utroque loculo continent ſemen fuſcum, compreſſum, rugoſum, rotundum, odorem ſpirant inter Caryophyllos & Cinnamomum medium, ſaporem acrem emittunt. Myrtus Pimenta L. Blackwell Tab. 355. Arbor Jamaicæ propria. Olei in Aqua ſubſidentis $\frac{1}{128}$ fundere dicitur. Baccæ immaturæ decerpuntur, ſole exſiccandæ. *Medias inter Antophyllos & Caryophyllos vires Aromaticas edunt.*

AMOMI SEMEN exiguum eſt, gryſeum, ſtriis eminentibus ſulcatum, odoris levioris, ſaporis aromatici linguam ferientis, non ingrati. Siſon Amomum L. Blackwell Tab. 442. Creſcit in Anglia & Europa calida, noſtras hyemes fert. *Laudabatur olim ob vires Carminativas & Diureticas.*

AMMI, *Creticum* & *Vulgare* proſtat. CRETICUM ſiſtit ſemina exigua, ſtriata, ovata, convexo-plana, ſapore amaricante & aromatico prædita; odorem exſiccata nullum habent. Siſon Ammi L. Europæ Auſtralis & Orientis civis, planta annua, apud nos ſub dio coli poteſt. VULGARE ſemina exhibet exigua, fuſca, ſtriata, ſaporis aliquantum aromatici, odoris vero vacua. Deſumuntur ab Ammi Majore L. Cum priori non idem tantum ſolum natale habet, ſed eodem etiam modo apud nos colitur. Fundunt hæc ſemina Oleum deſtillatum *& a virtute Carminativa & Diuretica laudantur.*

AMMONIACUM GUMMI. Eſt ſuccus concretus, qui ſub majoribus maſſis in calore molliuſculis ad nos adducitur, ex grumis flaveſcentibus conſtans, quibus ingens granorum numerus lactei coloris, *Ungues* ſive *Amygdalas* appellant, inhæret. Quo uberiori horum unguium copia G. Ammoniacum

abundat, eo melioris notæ eſſe putatur; odor fortis non gratus, ſapor amarus & acriuſculus. Calore funditur; totum ex aqua, quam lacteam reddit, ſuſpendi patitur; Spiritus Vini ejus dimidium circiter diſſolvit. Plantam unde obtineatur, ignoramus; ex deſerto Africæ Barca Alexandriam & inde ad nos perducitur. *In Reſolvendo præcipua ejus laus ponitur. Datur Menſtruis Aquoſis diſſolutum, aut in formam Pilularum redactum ad Drachmam ſemis pro doſi; Syrupum quoque inde parant. Extus ſub forma Cataplaſmatis aut Emplaſtri adhibetur.* Si ungues recipiuntur, nulla depuratione opus eſt; neque Aceto ſquillitico diſſolutum & denuo inſpiſſatum vires edet eo efficaciores.

AMMONIACUS SAL, *Salmiack.* Adducitur ad nos ex Ægypto forma panum rotundorum, convexo-concavorum, vertice craſſo & eminente inſtructorum, a ſubſtantia pellucida, ſalina efformatorum; ſaporem habent ſalinum, odorem leviſſimum. Paratur in Ægypto ſublimationis ope ex fuligine, quam excrementa brutorum ſuppeditant. Paratur quoque Sal Ammoniacus in Germania, Gallia & Anglia, quin etiam nativum montes ignivomi & Calmucorum regio largiuntur; ſed ex Ægypto allatus in noſtris ſaltem officinis eſt uſitatiſſimus. Conſtat ex Acido Salis & Alcali volatili, quod inter terendum cum Alcali fixo aut Calce inde ſecedit, & valide nares ferit. *Incidendi ergo ſub forma Pulveris aut Aqua diſſolutus ad Drachmam unam aliquoties de die, extus autem ſub forma Fomenti contra Gangrænam & Scabiem adhibetur.*

AMYGDALÆ, *Amandes*, *Mandeln.* Nuclei oblongi, jam ventricoſi, jam compreſſi, partim *dulces*, partim *amari* ſub epidermide rubro-brunnea, ſicca, ſcabra, medullam albiſſimam & firmam continent. *Amaræ* ut plurimum compreſſæ ſunt epidermidis rugoſæ, odoris tenuiſſimi. Sunt qui longas *Jordanicas*, latas *Hiſpanicas*, parvas *Barbaricas* appellent. Deſumuntur ex Amygdalo communi L. Blackwell Tab. 105. In Europa temperata & Auſtrali, Oriente & Barbaria obvia eſt. Ope Infuſionis in aqua fervida medulla facile ab epidermide ſeparatur. Oleum inde expreſſum albiſſimum, inſipidum, non niſi Amygdalas redolet, nucleorum circiter dimidium æquat; frigore

quod thermometrum Reaumurianum ad ſeptimum infra cyphram gradum deprimit, cogitur, parcius illud amaræ largiuntur. *Amygdalæ dulces Nutriunt & Demulcent, ſive, ut ſunt, comedantur, ſive a coquis & cupedinariis varia ratione præparentur. Medici illas ſub Emulſionis aut Morſulorum forma præſcribunt. Ad medicamenta Coſmetica quoque recipiuntur. Amaræ, quarum amarities, multis animalium generibus pernicioſa, Oleo inde expreſſo neutiquam accreſcit; nonnihil acrimoniæ habent. Exigua earum quantitas prioribus non raro gratiæ ergo adjicitur. Emulſiones inde paratæ multum ad fugandas Febres intermittentes, piſtilli vero ope in paſtam redactæ ad delendas Vultus maculas laudantur. Reſiduum ab expreſſione Olei ſub FURFURUM nomine abſtergendis ſordibus Cutis inſervit.*

AMYLUM, *Amidon, Stærke.* Fruſta parva, angularia, friabilia, inter digitos crepula, facillime in pulverem tenerrimum terenda, inſipida, inodora, efformata a fecula farinæ aqua maceratæ. Quævis farina illud largitur, ſed vulgo paratur e Tritici ſpeciebus, unde panis coquitur. Palpabili viſcedine inſtructa cum aqua cocta in formam Gelatinæ ſpiſſæ glutinantis vertitur. *Demulcendi & Glutinandi ergo tam extus quam intus adhibetur.*

ANACARDIUM OCCIDENTALE, *Acajou, Elephantenlaus.* Nux reniformis, glabra, fuſca, convexo-plana continet ſub cute denſa, tenaci, quæ quidem in nucibus ad nos translatis ſicciſſima eſt, nucleum album, dulcem, pellicula ſubfuſca obductum. Anacardium Occidentale L. BLACKWELL Tab. 369. Arbor in utraque India creſcens. In Indiis cortex rodente ſucco ſcatens rejicitur. *Nucleus Nutriendi ergo comeditur. Ejus inter nos uſus obſolevit.*

ANACARDIUM ORIENTALE. Nux nigra, ſplendens, utrinque compreſſa, margine incraſſato, pedunculo craſſo, rugoſo inſtructa, ſub putamine denſo, materie nigra, ſplendente intus obducto, nucleum album, dulcem includit. Arboris in Suratta creſcentis character nos latet. *Ceterum quæ ſub antecedente monuimus, hic quoque notanda veniunt.*

ANAGALLIS, *Mouron, Gauchheil.* Cauliculi cum foliis aſſervantur, ovato oblongis, integerrimis, acris & amari ſaporis; Anagallis arvenſis L. BLACKWELL Tab. 43 & 274. Creſcit in omni Europa, præter magis ſeptentrionalem. *A vi*

Antimelancholica olim laudabatur, hodie Antilyſſam celebrant. Sub forma Pulveris ad Scrupulos quatuor de die datur, Vulneri quoque inſpergitur.

ANAS, *Canard, Ente.* Anas Boſchas L. Vulgaris in cortibus Europæ avis, unde caro menſis imponitur. *Axungia* alba, inſipida & inodora *ſcopo Emolliendi per ſe, ſive unguentis immixta, adhibetur.*

ANCHUSA videatur BUGLOSSUM.

ANETHUM, *Anet, Dyll. Folia* duplicato ſunt pinnata, pinnis pinnatifidis, laciniis anguſtiſſimis, odore gravi, ſapore aromatico: *Semina* ſunt ovata, fuſca, marginata, ſtriata, compreſſa, una ſuperficie leviſſime convexa, altera plana, odoris levioris, ſaporis aromatici. Anethum Graveolens L. BLACKWELL Tab. 545. Planta annua Europæ Meridionalis indigena, in hortis colitur. Seminis Unciæ ſedecim, unam Unciam Olei deſtillati largiuntur. Cl. BAUMÉ ex Herbæ recentis nongentis & ſexaginta Unciis ſeſquiunciam Olei odorati obtinuit. *Vi Carminativa gaudet. Recipitur ad Infuſa & Decocta. Aquam inde deſtillatam & Oleum infuſum quoque adhibent.*

ANGELICA. *Radices* ex craſſo capitulo multas fibras emittunt, dimidium circiter pedem longitudine æquantes, calamo anſerino anguſtiores, extus ex cinereo nigricantes, intus albas, ſubſpongioſas. Sapor aromaticus, ſalinus, cum quadam amaritie, odor proprius, fortis. *Semina* ſunt ovata, obtuſa, convexo-plana, tribus ſulcis eminentibus exarata, marginata; odore radicibus ſimilia, ſapore mitiora. Angelica Archangelica L. BLACKWELL Tab. 496. Alpium civis, in noſtris hortis colitur, planta biennis. Ex Radicum Libra una CARTHEUSER Drachmam unam Olei obtinuit. *Reſolvit Mucoſam ſpiſſitudinem, Sudorem pellit. Olim ob vim Alexipharmacam laudabatur. Infuſum Spirituoſum præ aquoſo præſtare dicitur. Datur ſub forma Infuſi. Scopo Apophlegmatico. Radix maſticatur.* Sylveſtrem in hortis cultæ multo præſtantiorem aſſerit LINNÆUS. Inconſulto noſtræ plantæ ſubſtituitur Angelica Sylveſtris L. Ubivis fere in locis humidis Europæ obvia.

ANGLICUM SAL CATHARTICUM *Epſonenſe.* Natrum fontanum L. Cryſtalli exiguæ ne lineares quidem, ad figuram Parallelogrammi accedunt, in aqua facile ſolubiles, ſaporis amari, cui aliquantulum acrimoniæ accedit; in aëre humeſcens, ſuperiori ſeculo ex fonte Angliæ Epſonenſi obtentum per orbem divendebatur. Hodie ex variis Fontibus ſoteriis, nec non ex Aqua marina, Salem inde communem excoquendo, ſolet parari. Conſtat ex Acido Vitriolico & proprio terrarum Alcalinarum genere, quod hodie Magneſiam albam dicunt. Aliquid Salis Ammoniaci fixi ei admixtum eſſe videtur. Sal Epſonenſe, quod in Salinis Lotharingicis paratur, eſt verum Sal mirabile Glauberi, cujus ſolutio, dum in Cryſtallos abit, agitatur ut Cryſtalli exiguæ ſurgant. *Datur ad Unciam ſemis Incidendi & Urinam ducendi ſcopo; ad Uncias uſque duas Cathartico fine, decuplo & ultra Aquæ diſſolvitur, & ſolutio per cyathos exhibetur.*

ANGUILLA, *Anguille, Aal.* Muræna Anguilla L. *Hepatis* & *Exuviarum* uſus exſolevit. Illud in duos lobos, quorum ſiniſter major eſt, diviſum nullius ſaporis eſt. Hæ, piſciculoſi odoris, ſuperiore parte ex viridi nigreſcunt, inferiore ex luteo albent. *Axungia* oleum conſiſtentia, odore, ſapore unguinoſum refert. *Abſtergendi ergo adhibetur.*

ANIME GUMMI, *Courbaril.* In fruſtis variæ magnitudinis nobis affertur. Luteſcit, ſuperficiem habet farinaceam, diffractum eandem ſplendentem exhibet; odorem ſuavem ſpirat; ſapor leviter reſinoſus eſt; ſub dentibus ductile evadit & calore manus; igne funditur & gratum fumum emittit. Alcohole & Oleis diſſolvitur. Olei deſtillati tantillum exhibere dicitur. Ex Hymenæa Courbaril L. Arbore Braſilienſi exſtillat. *Ad Suffitus contra morbos Catarrhales recipitur.*

ANISUM, *Anis.* Semina pedunculata, ovata, ventricoſa, ſtriata, albida, odore ſuaveolente, proprio, ſapore dulci cum leviore aromate ſunt prædita, Pimpinella Aniſum L. Blackwell Tab. 374. In Ægypto & Syria ſponte quidem provenit, ſed & apud nos hodie paſſim in agris colitur. In Hiſpania collectum ab *Alona* denominatum reliquis magnitudine cedit; aromate præſtat. Oleum deſtillatum citrinum, dulce, ſemine acrius. Ex ſeminis Unciis ſedecim Drachmæ circiter

duæ Olei obtinentur; illud in aëre temperato in maſſam albam, lamelloſam, ſplendentem cogitur. Magna copia in Thuringia paratur per Germaniam & Belgium inde divendendum. Efficacius Seminis vires a Spiritu Vini quam ab Aqua extrahuntur. *Reſolvente, Carminativo, Roborante ſcopo cibis adjicitur, ſub forma Pulveris, Confectionis ſiccæ, Infuſi, Decocti, Aquæ deſtillatæ, Spiritus abſtractitii exhibetur. Oleum deſtillatum in Elæoſaccharum reducere, vel ſcopo externo Linimentis Carminativis adjicere vulgo mos eſt.*

ANISUM STELLATUM, *Anis de la Chine, Stern-Anis.* Fructus rugoſus, capſulis ad octo uſque in orbem compoſitis, ovatis, fuſcis, ſuperne hiantibus conſtans. Singulæ capſulæ unum ſemen includunt, ovatum, ſub cortice ſplendente, ſpadiceo, fragili, nucleum albidum continens; odoris proprii ad præcedens accedentis, ſaporis dulcis & aromatici. Oleum deſtillatum fundere dicitur. Illicium Aniſatum L. Arbor in China & Tartaria creſcens. *Vires antecedentis exſequitur. Datur ſub forma Infuſi, vel Spiritus abſtractitii.*

ANSER, *Oie, Gans.* Anas Anſer domeſticus L. Vulgaris in cortibus avis. Saginati *Hepar* ad inſigne volumen excreſcit, ob egregiam ſaporis ſui gratiam menſis valde acceptum. *Axungia* quæ alba eſt, inſipida, inodora *Vires emollientes habet.*

ANSERINA, *Argentine, Gænſerich.* Folia cum impari pinnata, pinnis ovalibus inciſo-ſerratis, ſenſim magnitudine creſcentibus, ſubtus villoſa, inodora, leviſſime adſtringentia Potentilla Anſerina L. BLACKWELL Tab. 6. Paſſim creſcit per Europam. *Adſtringentes & Diureticas vires habere dicitur. Datur ſub forma Infuſi.*

ANTHOPHYLLI, *Meres de Giroffles, Mutternægelein.* Sunt capſulæ ovato-cylindraceæ, utroque extremo anguſtatæ, inferne exiguo pedunculo inſtructæ, umbilico quadrifido coronatæ, in cujus medio exiguus ſtilus eminet; ſub cortice fuſco & tenero hæret ſemen nigrum, ſplendens, ſinu longitudinali diviſum. Odorem quidem & ſaporem Caryophyllorum aromaticorum, ſed leniorem habent. Sunt fructus Caryophylli Aromatici L. BLACKWELL Tab. 338. Sponte cre-

ſcit in Nova Guinea; colitur in Amboina & Gallicis Aſiæ Inſulis. *Caryophyllorum vires quoque, ſed multo debiliores habent.*

ANTHORA, *Giſftheil.* Radices nigricantes albam medullam includunt, ex capite rotundo angulato, craſſo, ſubito in caudam gracilem terminantur; ſapor leniſſime acris, odor nullus. Aconitum Anthora L. BLACKWELL Tab. 562. Alpium civis, noſtras hyemes impune fert. *Vis venenis reſiſtens Arabum commento niſa eviluit, aliis innoxia, venenata eſſe aliis dicitur. Conſultius duxerim medicamento nondum ſatis explorato, prorſus abſtinere.*

ANTHOS, videatur ROSMARINUS.

ANTIMONIUM, *Stibium, Antimoine, Spiesglas.* Subſtantia foſſilis, nigro-plumbei coloris, inſipida, inodora, ex æquis partibus Sulphuris & proprii Metalli, quod *Regulum* dicunt, conſtans. Eruitur e terra partibus terreſtribus contaminatum & tunc *Minera Antimonii* dicitur. Depuratur ollæ in fundo perforatæ, & prunis cinctæ commiſſum, unde liquatum migrat in ollam priori ſuppoſitam, remanente in iſta altera, quicquid ipſi terreſtrium particularum adhæſerit. *Sanguinem Depurandi gratia, ad morbos Cutaneos & Arthriticos adhibetur. Datur ad Drachmam unam pro doſi ſub forma Pulveris, Pilularum, Morſulorum. Recipitur quoque ad Decocta aquoſa.*

APALACHINE, *Thée du Paraguay ou de Miſſiſipi*: hoc nomine ſuperioribus annis afferebantur fragmenta foliorum ovatorum, flavicantium, ſapore leniter acri inſtructorum. Decerpi hæc folia dicuntur a Caſſine Peragua L. Virginiæ & Carolinæ frutice, apud nos per hyemem in tepidario aſſervando. Recentia hujus fruticis folia amariſſima deprehenduntur. *Vomitum & Alvum ducere, Infuſum eorum aquoſum apud Americanos crebro in uſu eſſe, ab affectibus Calculoſis defendere dicuntur. Hodie eorum uſus exſolevit.*

APARINE, *Grateron, Klebkraut.* Aſſervantur cauliculi cum foliis oblongis, verticillatis, in quolibet verticillo ſenis & ultra, pilis rigidis obſeſſi, inodori & inſipidi. Galium Aparine L. BLACKWELL Tab. 39. Ubivis in Europa occurrit. *Reſolvendi & Aperiendi ergo olim laudabatur, hodie ſuccum inde expreſ-*

ſum

ſum in morbis Cutaneis debellandis efficacem ſe probaſſe compertum eſt.

APER, *Sanglier, Wildſchwein.* Sus ſcrofa L. frequens in ſylvis occurrit; Caro eximii ſaporis menſis relinquitur; officinæ inde *Dentes caninos, Défenſes, Fangzæhne* recipiunt, in arcum flexos, tribus faciebus longitudinalibus inſtructos, totos cavos, in animali annoſiore flavicantes. *In Pleuritide commendantur & ſub forma Pulveris ſive Mixturæ mediæ exhibentur.*

APIUM, *Ache, Eppich. Radix* ex capite craſſiore aliquot fibras dimittit, ſub epidermide flava carnem albam includit, ſaporis acriuſculi ad Paſtinacam accedentis, proprium quoque odorem ſpirat; Radices, a varietate *Celeri* dicta deſumtæ, cuticula nigricante tectæ, iſtis craſſiores ſunt, ſapore etiam & odore gratiores. Apium Graveolens L. Blackwell Tab. 443. In Europa præter maxime Septentrionalem ſponte creſcit. Varietas *Apium dulce Celeri* dictum in hortis colitur. *Semina* parva ſunt, cinerea, ſulcata, odorem minus gratum ſpirantia, aromatica, amaricantia, aliquid Olei odorati fundere, & Radices ope Alcoholis Saccharum largiri dicuntur. *Radices & folia Celeri ad uſus cibarios, Radices Apii Sylveſtris Reſolvendi, Aperiendi, Urinam ducendi cauſa, ad Decocta & Infuſa recipiuntur.* Apud nos Radices Celeri, Sylveſtri vulgo ſubſtituuntur. *Seminum idem, qui obtinuerat, uſus exſolevit.*

AQUILEGIA, *Ancoline, Agley. Flores* quinque petalis planis & totidem cornutis, quæ *Nectaria* dicuntur, efformati, cœrulei, inodori, inſipidi. *Semina* ovata, exigua, nigra, nitida, nonnihil medullæ albæ & dulcis includunt; torcular inde Olei viridis $\frac{1}{6}$ circiter exprimit. Aquilegia Vulgaris L. Blackwell Tab. 409. Paſſim per Europam, præter maxime Septentrionalem, occurrit. *Laudabatur ob vim Reſolvendi, hodie exſolevit.*

ARABICUM GUMMI, *Gomme Senegal.* Advehitur ad nos ſub forma fruſtorum variæ magnitudinis, extus rugoſorum, plus minusve luteo vel fuſco tinctorum, intus ſplendentium, fragilium, inodororum, inſipidorum. Quo ſaturioris coloris eſt, eo habetur vilius. Quod a *Senegal* denominatur, majora & pallidiora fruſta ſiſtit, grana inde tota, alba ad cer-

ta præparata ſeligi ſolent, ſordidiſſima *Gummi Turique aut Turis* conſtituunt. Conjecturam, quam ſemper fovi, non unam tantum aut alteram, ſed plures Mimoſæ L. Species hoc Gummi fundere, illuſtris ADANSON judicio confirmatam video. Nec Spiritu Vini, nec Oleis diſſolvitur. Quadruplum Aquæ in conſiſtentiam Syrupi denſat; *vires Saponis edit, Mercurium ex Aqua ſuſpendit. Nutriendi viribus inſtructum. Relaxandi & Demulcendi ergo in frequenti uſu eſt; ejus Drachma dimidia ſub forma Pulveris vel Linctus exhibetur. Extus Collyriis admiſcetur & Ulceribus acri humore madentibus inſpergitur.*

ARANEA, *Araignée, Spinne.* Aranea Domeſtica L. ubivis occurrit. *A quibuſdam in Pulverem redacta laudatur contra Febres. Telæ partibus vulneratis imponuntur.*

ARBOR VITÆ. Hinc recipimus Folia pinnata, pinnis alternis, non raro uno latere denuo pinnatis, ex ſquammis ad ſe invicem appreſſis efformata, cum ſplendore viridia, odoris evidenter reſinoſi ejusdemque ſaporis, cui pungens aroma & nonnihil amari accedit. Thuya Occidentalis L. Canadæ & Sibiriæ indigena in noſtris hortis colitur. *Ob vim Reſolvendi ſub forma Decocti, ſive in Unguenti formam redacta folia contra Rheumatiſmos & Tuſſim laudantur.*

ARDEA, *Heron, Reiger.* Ardea cinerea L. Avis paſſim in Europa occurrens. *Axungia* axungiis quadrupedum paulo mollior, alba, nullo proprio odore diſtincta. *Podagricis maxime commendatur.*

ARGENTUM, *Argent, Silber.* Metallum album, aqua undecies gravius, inter Aurum & Regulum Antimonii, ratione caloris quo funditur, inter Aurum & Ferrum, ratione firmitatis medium locum tenet; in omnibus Acidis, præter Aquam Regis ſolubile, nec Nitro, nec Vitro Saturni deſtructibile. Nonniſi puriſſimum in officinas recipiendum, quod quidem vel detonatione cum Nitro vel per reductionem Lunæ cornuæ obtinetur. *Vires medicatas nullas edit; olim in tenuiſſima folia dilatatum & cultro in exiguas lamellas diſſectum ornatus gratia Pulveribus addebatur, hodie adhuc Pilulis obducitur.*

ARGENTUM VIVUM, videatur MERCURIUS.

ARISTOLOCHIA CLEMATITIS, TENUIS LONDIN.

Ariſtoloche de Vigne, *Oſterlucey*. *Radices* longæ, fibroſæ, digito minimo anguſtiores, extus rufæ, intus pallidæ; Longis & Rotundis minus acres & minus amaræ. *Folia* ſunt cordata, obtuſa, angulis poſticis rotundatis, firma, glabra, acriuſcula Ariſtolochia Clematitis L. BLACKWELL Tab. 255. Creſcit in Europa temperata. *Radices cum Longis & Rotundis ſint multo debiliores rariſſime in uſum trahuntur. Folia Vino macerata tanquam Vulnerarium Polychreſtum a noſtratibus uſurpantur.*

ARISTOLOCHIA FABACEA, *Hohlwurzel*. Bulbos ſive Radices exhibet ſubrotundos, ſupra & infra compreſſos, fuſcos, ſive vacuos, ſive carnem albidam includentes; bulbi vacui ſolidis majores ſunt; odor nullus, ſapor eorum amarus eſt. Fumaria bulboſa L. BLACKWELL Tab. 534. Creſcit per omnem Europam præter magis Septentrionalem. *Ad Lumbricos necandos & Catamenia pellenda in Infuſo Vinoſo vel Spirituoſo olim adhibebatur.*

ARISTOLOCHIA LONGA, *Ariſtoloche longue*, *lange Oſterlucey*. Radix fibroſa, pollicem circiter craſſitie, ſemipedem longitudine æquans, obtuſa, rugoſa, extus tenuiter fuſca, intus ex luteo albens, odoris teneri, ſaporis amari, acriuſculi, aromatici. Ariſtolochia longa L. BLACKWELL Tab. 257. Europæ Auſtralis civis, apud nos per hyemem in frigidario aſſervanda. *Aperiendi; Menſes ducendi, morbos Arthriticos ſanandi ſcopo datur ſub forma Pulveris, vel Infuſi Vinoſi. Ulceribus ſordidis inſpergitur; ejus Decoctum Fiſtulis injicitur.*

ARISTOLOCHIA ROTUNDA. Radices exhibet ex pluribus tuberibus concretas, rugoſas, extus ejuſdem cum præcedente, ſed magis diluti coloris, intus rufas, ſapore iſtis longe acriores & amariores. Ariſtolochia rotunda L. BLACKWELL Tab. 256. In eadem cum antecedente patria creſcit, in frigidariis quoque noſtris contra hyemem defendenda. *Cum Longa easdem, ſed efficaciores vires habet.*

ARMENIACA, *Morilli*, *Abricots*, *Abricoſen*, Noſtratibus *Mœllelein*. Drupæ plus minusve ovatæ, variæ magnitudinis, pulpam gerentes flavam, grate olentem & dulcem,

Nucem includentem, cui ſub teſta oſſea *Nucleus* ineſt globoſus, ventricoſus, ſub tunica flavente medullam albam, grate amaram continens. Prunus Armeniaca L. Blackwell Tab. 281. In hortis noſtris colitur. *Fructus*, ut ceteri horrei omnes *vires ſaponaceas exſerunt; Rob* inde paratum MARMELADA dici ſolet: Nuclei tam forma, quam ſapore ad Amygdalas amaras accedunt.

ARMENIUS LAPIS. Eſt Minera Cupri, lapidem referens cœruleum, minus durum, cum Acidis effervescentem Cuprum Armenus L. Paſſim in montibus metallicis reperitur. *Vi Æris, quo ſcatet, Vomitum valide agit Alvumque ducit, quapropter nunquam in uſum trahendus. Peſſimo conſilio interdum Lapidi Lazuli ſubſtituitur.*

ARMORACIA, *Raifort, Meerrettig.* Radices cylindraceæ, in varios ramos diffuſæ non raro bracchium humanum craſſitie æquant, totæ albæ; nares & palatum inſigni ſaporis acumine vellicant, quod quidem exſiccatione & coctione mitigatur; comeſtæ ſpiritum odore alliaceo contaminant. Olei odorati in Aqua fundum petentis Grana quindecim ex Libra una Radicum obtineri aſſeritur. Cochlearia Armoracia L. Blackwell Tab. 415. Per Europam paſſim ſpontanea, apud nos in agris & hortis colitur. *Vires Incidentes, Antiſcorbuticas, Antarthriticas, Diureticas Radix edit. In vicem Oleris cum carne coquitur, aut raſa cruda una cum ea comeditur. Datur ſcopo medicato, cum Vino vel Cereviſia infuſa, vel cum aqua cocta, vel in Syrupum redacta, ejus Succi unum aut duo cochlearia propinantur. Epiſpaſtico ſcopo Uncia ſemis Cuti imponitur.*

ARNICA, *Betoine des Montagnes, Wohlverley. Radices* fibroſæ gravi nares irritantes odore, ſapore leniſſime amaricante, acri inſtructæ, fuſcæ, ſtriatæ, calamum anſerinum craſſæ, intus albæ. *Folia* ovato-oblonga, utrinque tomentoſa, ſapore dulciuſculo, cui nonnihil ſalini & leviſſime amari accedit. *Flores* aſſervantur e calyce evulſi, flavi, amari cum inſigni, acrimonia. Arnica montana L. In montibus altioribus paſſim per Europam creſcit, difficilius in hortis colitur. *Ad Reſolvendum in Sugillationibus ab injuriis externis, mor-*

bis Mucoſis, Obſtructionibus Viſcerum Abdominalium, Paralyſi &c. Herba & Flores exhibentur. Sed has Plantæ partes, & Flores quidem validius etiam quam Herbam, Nauſeam, Vomitum & Cardialgiam excitaſſe non raro obſervatum eſt; quapropter Herbæ & Flores ſub medicationis initium ad pares partes miſceri & cum tribus Unciis Aquæ non niſi unica hujus miſcelæ Drachma propinari ſolent, ita ut ſenſim ratio Herbæ imminuatur, ac ſoli denique Flores exhibeantur eadem Doſi ternis vel quaternis horis repetenda. Radices recentiſſime a virtute Roborante, & perinde ac tota planta a vi Antiſeptica laudari cœperunt in Diarrhæis & Dyſenteriis. Dantur ſub forma Pulveris ad Scrupulum unum vel Drachmam ſemis aliquoties de die.

ARSENICUM ALBUM. Subſtantia ſalino-metallica, manifeſtum Acidum vehens, ſi ab omni, quod ipſi accreſcere ſolet, heterogeneo fuerit depurata, alba evadit, juſta vero ratione fuſa in Semimetallum nigricans abit, volatilis, prunis ſuperimpoſita Allium ſpirat, linguæ levem ſaporem imprimit. Ex proprio eam Acido & Principio inflammabili conſtare recentiſſima experimenta evincere videntur. Obtinetur ex Mineris varii generis, paſſim in Metallifodinis obviis. Forma alba ſplendens, ſub qua in officinis proſtat, obtinetur, dum Alcali fixo junctum ſublimatur. *Ejus Doſin quantumvis exiguam vel ore hauſtam, vel extus applicatam vehementiſſima ſymptomata excitaſſe, imo homines necaſſe crebrius juſto eſt obſervatum, & quanquam ſunt, qui illud ad varium morbi genus commendent, tamen cum ſit Venenum deterrimum, non niſi cum circumſpectione ſollicitiſſima a Pharmacopolis vendendum cenſeo.*

ARSENICUM FLAVUM. Eſt Arſenicum, cui ſubdecuplum circiter Sulphuris mediante ſublimatione junctum eſt; ejus facies ab antecedente, nonniſi colore differt; quod natura paſſim & præcipue in Hungaria largitur, AURIPIGMENTUM, *Orpiment*, *Operment* Pyrites Auripigmentum L. dicitur. Ceterum tam artificiale, quam Nativum, quo magis ſplendet, eo melius putatur. Pictores ſub nomine *Kœnigsgelb* in uſu habent. *Licet Arſenicum Sulphure cicurari facile largiar, nulli tamen unquam Auctor ſim, ut Arſenicum Sulphuri unitum ad uſus medicatos adhibeat.*

ARSENICUM RUBRUM, *Realgar, Sandaraque, Ru-*

bis Arſenical. Partim a Natura ſubminiſtratur, Arſenicum Sandaraca L. paſſim in Metallifodinis obvium, partim arte paratur, unam Sulphuris partem cum quinque partibus Arſenici fundendo, unde maſſa rubra vitriformis ſurgit. *Nec hoc ad uſus medicatos recipiendum, ſed Pictoribus relinquendum eſt.*

ARTEMISIA, *Armoiſe*, *Beyfus.* Folia inde recipiuntur pinnatifida, pinnis latiuſculis dentatis inſtructa, ſubtus tomentoſa, aromatici & amaricantis ſaporis. Artemiſia Vulgaris L. Blackwell Tab. 431. Vulgaris per Europam & Orientem planta. *Laudatur maxime ad morbos Uteri. Datur ſub forma Infuſi aut Syrupi; ad Balnea quoque & Pediluvia recipitur. Ex ſummitatibus Artemiſiæ exſiccatis, contuſis & uſque tritis, quoad cortex externus decidat, fibræ internæ lanuginoſæ remaneant, quas poſtea carminant, Japonenſes & Chinenſes inde ſubſtantiam parant tomentoſam, gryſeam, levem, quæ MOXA dicta, ignem facillime recipit, ſine flamma gliſcentem, donec tota in favillam abierit. Convolvunt Moxam in bacilliformam craſſitie calamum anſerinum, longitudine aliquot pollices æquantem, hunc bacillum membro Arthritide aut Rheumatiſmo laboranti imponunt & ſcintilla accenſum relinquunt in favillam redigendum. Huic vero ſcopo Goſſypium Moxæ optime poſſe ſubſtitui, compertum eſt.*

ARUM, *Aron.* Radix tuberoſa, unde epidermidem ſolent auferre, albiſſima, ovi columbini magnitudinem æquans, farinoſa, friabilis; acerrimus, qui Radici recenti ineſt, ſapor exſiccatione multum mitigatur. Arum maculatum L. Blackwell Tab. 228. In Europa temperata copioſe provenit. A variis gentibus tam in cibum recipitur, quam loco Saponis ad mundanda lintea adhibetur. Ejus Pulvis cum Aqua coctus in ſpiſſam mucilaginem vix acrem convertitur. *A Medicis cum ſummo ſucceſſu ad attenuandum Mucum recipitur. Datur ad Drachmam dimidiam pro doſi.* Superflua eſt ejus *ſive cum Aceto, ſive cum Vino Præparatio* & omnino Pulvis *Fæculis* præſtat.

ARUNDO, *Roſeau, Rohr.* Exhibet Radices prælongas, geniculatas, ex flavo albas, ſapore dulci præditas. Arundo Phragmites L. Per omnem Europam obvia. *A vi Demulcen-*

te & Aperiente Radices olim laudabantur; in quarum locum Radices Graminis ſucceſſerunt.

ASARUM, *Cabaret, Haſelwurzel. Radix* ex capite, quod parvum eſt, aliquot fibrillas emittit, extus gryſeo-brunea, intus alba, odore forti ad Valerianam accedente, ſapore acri, aromatico. *Folia* longius petiolata ſunt, reniformia, ſuperne profunde viridia, inferne pubeſcentia, inodora, leniſſime acria. Aſarum Europæum L. Blackwell Tab. 383. Paſſim in Europa obtinet. *Vomitum excitant & Radix & Folia, illa ſub forma Pulveris ad Scrupulos duos, in Infuſo ad Seſquidrachmam, horum ſub forma Infuſi Scrupulus ſemis exhibetur. Coctione omnem vim Emeticam deſtrui compertum eſt. Admiſcentur etiam ad aliquot Grana medicamentis Errhinis, in quibus Radicem Foliis etiam validiorem eſſe contendunt.*

ASCIA, *Ombre, Aſche.* Salmo Thymallus L. Fluviis Europæ inhabitat. *Caro* exquiſita, menſis imponitur. *Axungia*, quæ conſiſtentiam Olei unguinoſi refert, colorem ex flavo rufum, odorem tenuem, ſaporem nullum habet. *Abstergendi ſcopo ad Ulcuſcula Oculorum & Aurium adhibetur.*

ASPALATUM, videatur ALOES LIGNUM.

ASPARAGUS, *Aſperge, Spargel. Turiones* in uſus cibarios cedunt. *Radices* ex capite craſſiore multas fibras longas dimittunt, cineraſcentes, ſtriis longitudinalibus notatas, ſub cortice paululum luteſcente medullam albam includentes, dulceſcente ſapore præditas. Aſparagus Officinalis L. Blackwell Tab. 332. Per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem, ſponte quidem creſcit, ſed nonniſi in terra multum ſtercorata cultus in uſum trahitur. *Radices a vi Aperiente laudantur, & cum aqua decoquuntur, cui evidenter nonnihil acrimoniæ affricant.*

ASPHALTUM, *Bitumen Judaicum.* Eſt Bitumen gravi odore nares feriens, ſapore leviſſime reſinoſo inſtructum, colore nigro, Picem referente, fractura ſplendente. Bitumen Aſphaltum L. Olim ex Judææ Mari mortuo extrahebatur, unde ei nomen manſit. Hodie paſſim per Orbem invenitur. *Extus Vulnerario vel Diſcutiendi ſcopo ſub forma Emplaſtri, Unguenti, Suffitus adhibetur.*

ASPHODELUS, *Goldwurzel.* Radix flava ex multis ſquamis compoſita, odore vacua, ſapore evidenter mucilaginoſo. Lilium Martagon L. In omni Europa, præter maxime Septentrionalem, offenditur. *Maturandi gratia Abſceſſibus imponitur.*

ASPLENIUM, videatur CETERACH.

ASSA DULCIS videatur BENZOES.

ASSA FOETIDA, *Teufelsdreck.* Succus concretus, qui ad nos pervehitur in grumis variæ magnitudinis, fuſcis, flavo dilutis, moleculis albis, aliquantum pellucidis diſtinctis, admodum tenacibus, cum quadam acrimonia amariuſculis, odorem viroſum, alliaceum egregie ſpirantibus, in Oleis expreſſis ex parte, in odoratis nequaquam ſolvendis, ex Aqua ſuſpendendis. Creberrime hi grumi maſſis reſinoſis, nigricantibus, magnis, aridis inhærent, quæ tum maſſæ dicuntur *Aſſa fœtida in ſorten.* Obtinetur ex inciſa Radice Ferulæ Aſſæ fœtidæ L. Perſiæ civis. Olei odorati trigeſimam ſecundam ſui ponderis partem fundere eſt obſervata. *Et Anodynas & Reſolventes vires edit; contra Tuſſim convulſivam, morbos Hyſtericos, Vermes, Tympanitidem, Febres inveteratas, Cariem laudatur. Datur ad Scrupulos duos pro doſi in Pilulas redacta. Extus ad Suffitus & Clyſmata nec non ad Emplaſtra adhibetur.*

ASTRANTIA, *Autruche noire, Schwarze Meiſterwurzel.* Radix extus nigra, intus alba, fibroſa, levem modo acrimoniam linguæ impreſſit, illa certe, quæ in noſtris hortis adolevit. Aſtrantia major L. BLACKWELL Tab. 470. Alpium civis, noſtras hyemes impune fert. *Alvum ducere dicitur; hominibus non exhibetur, Veterinariis interdum in uſum venit.*

ATRACTYLIS, *Spindel, wilde Cardebenedicten.* Folia ſiſtit ovato-oblonga, laciniis acutis in ſpinas terminatis, pinnatifida. Carthamus lanatus L. BLACKWELL Tab. 468. Planta annua Europæ Meridionalis indigena. *A quibuſdam olim ſcopo Aperiendi ſub forma Infuſi adhibebatur.*

ATRIPLEX, *Arroche, bonne ou belle Dame, Milten, Melten.* Folia triangularia, velut farina conſperſa, mollia, pro varia varietate mox rubra, mox alba. Atriplex hortenſis L. BLACKWELL. Tab. 99. Aſiæ Septentrionalis civis paſſim in hortis

hortis colitur: apud nos menſe Octobri ſeritur, ut in culinis, quoad folia Betæ adoleverint, horum vicem ſuſtineat. *Ob vires Emollientes a quibuſdam laudatur.*

ATRIPLEX FOETIDA, *Arroche fœtide, Hundsmelten.* Folia ovata, angulata, exigua, pollice conſperſa, nauſeoſum, piſculentum odorem ſpirantia, inſipida. Chenopodium Vulvaria L. BLACKWELL Tab. 100. Paſſim in Europa offenditur. *A nonnullis ad morbos Uterinos ſub forma vel Infuſi vel Balnei commendatur.*

ATRIPLEX SYLVESTRIS, *Arroche ſauvage, wilde Melten.* Recipiuntur Folia ovato-oblonga, utrinque attenuata, dentata, ſubtus candicantia, inſipida & inodora. Chenopodium rubrum L. Ubique in cultis Europæ provenit. *A vi Emolliente paſſim laudatur.*

AVELLANA, *Noiſette, Haſelnuſs. Nuces* mox ovatæ, mox oblongæ, ſpadiceæ, rubræ, flavicantes, ſub teſta fragili umbilico notata nucleum album continent, pellicula ſive alba, ſive rubra tectum, ſuavis & proprii odoris, nec diverſi ſaporis. *Lignum Coryli* nomine notum albidum eſt & leve, odoris & ſaporis expers. Corylus Avellana L. BLACKWELL Tab. 293. Paſſim in Europa ſponte creſcit, plura ejus genera in hortis colimus. Avellanæ ſui ponderis dimidium Olei Unguinoſi fundunt, quod ipſas redolet, cæterum Amygdalino ſimillimum eſt. Menſis apponuntur, & ne recentibus deficientibus prorſus deſtituamur Avellanis, noſtræ tabernæ aſſervant nuces iſtius generis, quod in Abbellino Regni Neapolitani agro colligitur; nobis *Rœmiſche Haſelnuſſen* dictæ, ſaporis gratia recentibus haud impares. *Adjiciuntur Avellanæ Emulſionibus & Morſulis tam ob gratiam, quam propter aliquantam vim Adſtringentem, qua præditæ virtutem Amygdalarum Relaxantem temperare creduntur. Ligni uſus & Olei Empyreumatici, deſtillatione inde obtinendi, quod OLEUM HERACLINUM appellabatur, eviluit; illud enim omnino iners eſt, hoc præ aliis Oleis Empyreumaticis nihil proprii habet.*

AVENA, *Avoine, Habern.* Semina ſtrigoſa, utrinque acuta, convexo-plana, cortice gryſeo, nigro, flavicante, albo veſtita, ſulco notata, medullam albam & dulcem exhibentia. Avena ſativa L. BLACKWELL Tab. 422. Colitur in agris. Amyli cinerei, bene glutinantis dimidium ſui ponderis

& eandem rationem Mucilaginis albæ & pellucidæ Avenam largiri eſt obſervatum. Panis inde conficitur niger & amarus; amara quoque Cereviſia. Avena in ptiſanam redacta *Grualtum* dicitur, quod ex Jure coctum *ſuaviſſimum edulium, nutriens, digeſtu facile Refrigerans; Demulcendi, Refrigerandi, Putredinem arcendi ergo ex Aqua coquitur.*

AURANTIA, *Oranges, Pomeranzen.* *Folia* ovato-oblonga, firma, petiolo cordiformi ſuſtentata, ſapore aromatico amaricante & odore fragrante prædita. *Flores* a voce Italica *Nanſa,* quæ Aquam fragrantem denotat, *Flores Naphæ* dicti, albi ſunt, pentapetali, gratiſſimum odorem ſpirant, qui exſiccatione una cum albedine imminuitur, ſapor amarus eſt, paululo aromatis mixtus. *Poma* magnitudine admodum inter ſe diverſa, ut plurimum rotunda, parvo umbilico notata, in ſuperficie lævi interdum punctis aut rugis exaſperata, flava, pulpam includunt ſive flavicantem, ſive rubram, grate olentem, partim dulcem, partim amaram, vinoſam, continentem *Semina* ſubovata, baſi oblique truncata, ſtriata, leniſſime odora, amara. *Cortex* pomorum dulcis vel amarus, eſt fragrans, aromaticus. In officinis Cortices nonniſi amari exſiccati aſſervantur, quos ſubſtantia, quæ ipſis intus adhæret albeſcente & fungoſa privatos *Flavedinem Aurantiorum* quidam etiam *Cortices Curaſſavenſes* appellant. *Aurantia immatura* viridia ſunt, maturis fragrantiora, eminentiore acrimonia diſtincta, a quibuſdam *Curaſſavica* dicta, ſed minus congrue, cum propria Malorum varietas in Americæ Inſula Curaſſao creſcat, quæ longe fragrantiſſima eſſe aſſeritur. Citrus Aurantium L. Blackwell Tab. 349. Aſiæ indigena Arbor, hodie per Americam & Europam Auſtralem copioſe in hortis colitur, apud nos in frigidario ab injuria hyemis defendenda. Flores & Folia Deſtillatione, Cortices recentes Expreſſione *Oleum* largiuntur *odoratum* quod *Quintam Eſſentiam* dicunt; ſed propria fragrantia ſe commendat id, quod Varietas, *Bergamotta* dicta, exhibet. Oleum rubrum fragrantiſſimum, quod ex Floribus obtinetur *Oleum Neroli* appellatur, cui vulgo Oleum Behen cum Floribus Naphæ infuſum ſolent ſubſtituere. *Folia exſiccata ſub*

ſorma Pulveris contra Epilepſiam dantur. Flores recentes Analeptici ſunt. Ope Sacchari in Confectionem ſiccam redacti, menſis ſecundis apponuntur. Syrupus inde paratus, tanquam blandimentum guſtus, medicamentis adjicitur. Ad eundem ſcopum & inſuper ad uſus Coſmeticos Aqua Naphæ æque ac Oleum Neroli adhibetur. Pulpa Aurantiorum dulcium Refrigerandi ergo aſſumitur, Scorbuticis & Febri decumbentibus egregie conducit; Pulpa Aurantiorum amarorum quibuſdam cibis adjicitur. Aurantia immatura præcipue parandæ vel cum Vino Hiſpanico vel cum Spiritu Vini ESSENTIÆ *egregie Stomachicæ & Carminativæ inſervit. Ad ſcopos eoſdem recipiuntur Cortices, qui vel ſub Conditi ſicci forma, quod ex Italia obtinemus, tam comeduntur, quam ad Morſulos recipiuntur, vel tanquam Conditum liquidum Electuaria ingrediuntur, vel Infuſis vel Decoctis aquoſis æque ac vinoſis adjiciuntur, vel Aqua inde aut Spiritus Vini abſtrahitur.*

AURICULA JUDÆ, *Fungi Sambuci, Oreilles de Judas, Holderſchwæmmchen.* Fungi membranacei, ſeſſiles, explanati, ſuperficie ſuperne minutiſſime tomentoſa, inferne glabra, in ſulcos elevata & in ſinus his reſpondentes depreſſa, nigricante, inſipidi, inodori. Peziza Auricula L. BLACKWELL Tab. 334. *Nonniſi extus Diſcutiendi ergo ad morbos Faucium ſub forma Gargariſmatis adhibetur, aut Oculis inflammatis, aqua emollita, imponitur.*

AURICULA MURIS, *Pes Cati, Piloſella, Hiſpidula, Pied de Chat, Katzendæplein. Folia* ex anguſtiore origine in finem obtuſum & ellipticum exeuntia, ſuperne viridia, inferne tomentoſa, odóre nullo, ſapore leviſſime adſtringente inſtructa. *Flores* tubuloſi, calice rotundo, ſicco, roſeo comprehenſi, odoris & ſaporis expertes. Gnaphalium dioicum L. Per omnem Europam obvium. *Leniter Adſtringit; Infuſis Pectoralibus adjicitur; Syrupus inde paratur. Flores præ Herba infrequentiori uſu ſunt.*

AURIPIGMENTUM videatur ARSENICUM FLAVUM.

AURUM, *Or, Gold.* Metallum aqua vigecuplo fere gravius, medio inter Argentum & Æs gradu ignis funditur & dum fluit ſmaragdino colore fulget; ratione firmitatis medium inter Argentum & Ferrum gradum tenet, ampliſſimam diſtenſionem patitur, nonniſi Aqua Regis & Hepate Sulphuris diſſolvitur; Sulphuri, Vitro Saturni, Nitro nullæ ſunt in illud

vires. Reperitur Nativum ſub varia figura, interdum moleculis diviſum adeo minutis, ut omnem viſus aciem fugiat. Paſſim in Montibus & Fluviis Europæ offenditur. *Quæ reſpectu uſus medicati de Argento dicta ſunt, huc quoque pertinent.*

AZEDARACH. Folia pinnata, pinnis petiolatis ovato-oblongis, irregulariter dentatis, acutis, inodora, amara. Melia Azedarach L. Europæ Meridionalis & Syriæ indigena, *cum Aqua decocta Vias Urinarias & Uterum evacuare, nec non Pediculos necare dicuntur; vulgo habetur venenata, quod vero ipſo effectu nondum ſatis compertum videtur.*

BALAUSTIA videatur GRANATUM.

BALLOTTA, *Marrubium nigrum, Marrube noir, ſchwarzer Andorn.* Folia cordata, petiolata, albida, minus grato odore æque ac ſapore, qui leviſſime linguam ferit, inſtructa. Ballotta nigra L. BLACKWELL Tab. 136. Vulgaris Europæ planta. *Cum aqua infuſa contra morbos Hyſtericos a nonnullis laudatur.*

BALSAMITA, *Coſtus hortenſis, Coq, Frauenmünz.* Folia ovata, obtuſa, obtuſe ſerrata, albida, proprium ad Mentham accedentem odorem ſpirant, ſaporem amaricantem evidenter aromaticum emittunt. Tanacetum Balſamita L. BLACKWELL Tab. 98. Europæ Auſtralis civis, noſtri climatis patiens. *A vi Stomachica & Emenagoga laudatur.*

BARBA CAPRÆ, *Ulmaria, Reine des Prés, Geisbart. Radix* fibroſa, aliquot modo pollices longa, digitum minimum craſſa, fuſca, intus alba, undique fibrillas emittit, odorem, ſi diffringitur, proprium non ingratum ſpirat, ſapore adſtringit. *Folia* ſunt pinnata, pinnis ovato-oblongis, inferne albicantibus, inciſo-dentatis, progrediendo creſcentibus, pinnis majoribus minuta interpoſita ſunt; odore carent, ſapore leviſſime adſtringunt. Spiræa Ulmaria L. BLACKWELL Tab. 465. Creſcit promiſcue per Europam. *Radices ad Decocta, Folia ad Infuſa Adſtringendi ſcopo adhibentur.*

BARBAREA, *Herbe de St. Barbe, wilder Kreſſen.* Folia lyrata, laciniis denticulatis, ſumma magis ovata, obtuſa, profunde dentata, odore levi, ſapore Naſturtino inſtructa. Eryſimum Barbarea L. Per omnem Europam vulgaris. A

quibuſdam menſis imponitur. *Ejus Succus expreſſus , aut Juſcula inde parata Antiſcorbuticos edunt effectus.*

BARDANA, *Glouteron, Kletten. Radix* fibroſa, fuſiformis, craſſa, foris nigricans, intus alba, ſubdulcis. *Folia* cordata ſunt, ſuperne obſcure viridia, rugoſa, ſubtus tomentoſa, crenata, leniter adſtringunt. Arctium Lappa L. BLACKWELL Tab. 117. Ubivis in Europa, in America Septentrionali quoque progignitur. *Radices Reſolvendi ergo copioſe in Decoctis uſurpantur; Folia ad eundem ſcopum extus adhibentur, Ulceribus quoque imponuntur.*

BASILICUM, *Baſilic. Folia* ſubſucculenta, ovata, acuta, glabra, integerrima, fragrantem odorem ſpirantia, grato & aromatico ſapore inſtructa. *Semina* ſunt exigua, oblonga, nigra, inſipida & inodora. Ocymum Baſilicum L. BLACKWELL Tab. 104. Indiæ indigena, annua planta copioſe in hortis noſtris colitur. Oleum fragrans abunde fundere obſervatum eſt. *Ad cibos condiendos adhibetur. Rarius Infuſis Nervinis aut Pulveribus ſternutatoriis adjicitur. Semina ſunt inertia.*

BDELLIUM. Affertur ad nos ſub forma maſſarum majuſcularum ex rubro fuſcarum, earum portiones ſelectæ, a ſordibus purgatæ fere pellucent, inter dentes friabiles ſunt, eisque leviſſime adhærent, odor tenuis, ſapor evidenter amarus eſt. Bdellium igne non funditur, fumum emittit ſuaveolentem, Alcohol æque ac aqua ingens ejus portio diſſolvitur, ab Oleis intactum relinquitur. Ex Arabia & India venit, ſed plantæ genus quod ipſum fundit, ignoratur. *Reſolvendi ergo tam intus quam extus adhibetur; ejus accenſi fumus Hæmorrhoidibus mederi prædicatur.*

BECCABUNGA, *Bachbungen.* Caules teretes ſucculenti, foliis veſtiti ſucculentis, ovato-oblongis, obtuſis, ſerratis, dilute viridibus, glabris, ſaporem leviſſime acrem cum quadam adſtrictione continent. Veronica Beccabunga L. BLACKWELL Tab. 48. Paſſim in Europa obvia. *Contra Scorbutum præcipue commendatur, recipitur ad Juſcula, Succus inde expreſſus ad quatuor Uncias uſque propinatur.*

BEHEN ALBUM. Radix fibroſa, longa, albida, levi

odore & ſapore acriuſculo prædita. Centaurea Behen L. Aſiæ Septentrionalis civis. *Ab Arabibus ob vires Cordiales laudata omnino exſolevit.*

BEHEN NUCES, *Balani Myrepſici.* Nuces triquetræ, Avellanæ magnitudinem æquantes, ſub cortice albido & fragili Nucleum pinguem, amarum, pellicula nivea & fungoſa tectum includunt. Guilandina Mohringa L. Blackwell Tab. 386. Arbor Indiæ progenies. *Vim Purgandi & Viſcera ſubvertendi habere dicitur, quæ poſterior earum uſum antiquavit.* Frequentius uſurpatur Oleum inde expreſſum, ſextam circiter earum ponderis partem æquans, limpidum, omnis odoris & ſaporis perinde expers, aëre temperato ſpiſſeſcit, tarde ranceſcit. *Præcipuus ejus uſus eſt apud Unguentarios, qui hujus virtute odores ex Vegetabilibus fragrantibus extrahunt.*

BEHEN RUBRUM. Radix ad nos peregre affertur ſub forma taleolarum rugoſarum, profunde rubrarum, ſapore adſtringente, odore nullo præditarum. Statice Limonium L. Blackwell Tab. 481. Syriæ civis, hyemes noſtras fert. *A vi Adſtringente laudatur; Arabibus multum celebrata exſolevit.*

BELEMNITES, *Lapis Lyncis, Alpſchos.* Lapis, qui ex baſi lata, ſenſim in verticem acutum exit, intus aliquanta altitudine tenus cavo conoideo exſculptus eſt, omnis reliqua ſubſtantia interna ſplendet, ſtriis ab axi ad peripheriam porrectis efformata, color falernus magis minusve dilutus, multum etiam variat longitudine & craſſitie; fricatus cornu odorem refert. Helmintholithus Belemnites L. Copioſe per omnem Europam occurrit; vulgatiſſimum Alſatiæ petrefactum. *Omnes quæ ipſi adſcribuntur vires anilibus fabulis, Signaturæ commentis debentur.*

BELLADONNA. *Folia* ovata, oblonga, integerrima, odoris nullius, ſaporis ſubadſtringentis, leviter acris. Atropa Belladonna L. *Baccæ* Ceraſorum ſpeciem referentes purpureo & fatuo ſucco turgent. Blackwell Tab. 564. Copioſe occurrit per Europam, præter magis Septentrionalem. *Innumeræ Obſervationes de deleterio omnium plantæ partium effectu exſtant, quibus conſtat, minuſculam earum doſin Senſus internos turbaviſſe, Convulſionibus & Sopore homines occidiſſe. Neque tamen defuerunt, qui baccas intus daent, ſed harum uſus hodie eviluit. Folia noſtra ætate crebrius contra Can-*

crum uſurpabantur, ſub forma Infuſi, a paucis Granis incipiendo; ſenſim major eorum numerus adhibetur, minuendus tamen ſimulac Caput gravari inde aut Vertiginem excitari ſentiat æger. Extus Mammis ſcirrhoſis imponebantur.

BELLIS MAJOR, *Bellis pratenſis, Grande Marguerite, Gænsblumen.* Folia oblonga, obtuſa, profunde dentata, inſipida. Chryſanthemum Leucanthemum L. Blackwell Tab. 42. Paſſim per Europam obvia planta. *Olim a vi Diuretica & Antiphthyſica laudabatur; ſub forma Infuſi exhibenda.*

BELLIS MINOR, *petite Marguerite, Maaslieben, Zeitloſen. Folia* parva obtuſa, leviſſime dentata, longis petiolis inſtructa, leviſſime acria. *Flores* radiati, radio albo, calyce hemiſphærico imbricato ſuſtentati, odore carent, ſaporem habent leniſſimum. Bellis minor L. Blackwell Tab. 200. Invenitur ubivis. *Laudatur contra morbos Pectoris. Folia ſub forma Acetarii exhibentur, Flores in Infuſo, Conſerva, Syrupo.*

BENGALENSIS NUX, videatur MYROBALANI.

BENZOES, *Aſſa dulcis, Benjoin.* Magnæ ejus maſſæ ad nos perferuntur, quarum ſuperficies texto junceo, quo involutæ erant, ſignata eſt, conflatæ ſunt ex laminis rubro-fuſcis, quibus grana variæ magnitudinis, *Ungues* vel *Amygdalæ* dicta, inhærent, fragiles & friabiles; odorem gratum ſpirant, ſapore præditæ balſamico & dulci; quo ſunt maſſæ pellucidiores unguibusque refertiores, eo Benzoë putatur præſtantior. Croton Benzoë L. Arbor Indiæ indigena. Benzoë calore liquatur & gratum fumum emittit; nec Aqua nec Oleis diſſolvitur; nec ſi aqua inde abſtrahitur, ullum Oleum deſtillatum fundit. In Spiritu Vini diſſoluta *Tincturam Benzoës* conſtituit, quæ Aquæ inſtillata *Lac Virginum* efformat *uſibus Coſmeticis inſerviens. Rariſſime intus ſcopo Balſamico exhibetur, extus ad Suffimigia recipitur.*

BERBERIS, *Epine Vinette, Saurauch. Radices* fibroſæ ad inſignem omnino magnitudinem excreſcunt, ſub cortice rugoſo & fuſco carnem croceam intenſe amaram includunt. *Baccæ* cylindraceæ, umbilicatæ, ſub epidermide translucente pulpam includunt ſcatentem læte rubro ſucco intenſe acido, qui nonniſi poſt aliquot pruinas, quibus circumfuſæ baccæ ſenſim ſenſimque rugoſæ fiunt & nigriores miteſcit, & pala-

to gratus evadit, *Semina* rugoſa ſunt, ſubteretia, apice obtuſa, ſtyptico ſapore imbuta; Berberis Vulgaris L. Blackwell Tab. 165. In omni Europa, Oriente quoque & America creſcit. *Radix Purgantes vires edere dicitur & ad Aperiendas Hepatis Obſtructiones laudatur, ſub forma Decocti exhibenda. Baccæ ob vim Refrigerantem, Antiphlogiſticam & Antiſepticam commendantur. Succus ſanis æque ac ægrotis ſub forma Gelati, Conditi, Syrupi, Rotularum propinatur.*

BETA, *Poirée, Mangold.* Folia ſubſucculenta, magnis & latis petiolis innexa, ovata, obtuſa, ad marginem plicata, ſubbullata vel pallida vel rubra vel crocea, ſapore ſubdulci inſtructa; Beta Vulgaris Cicla, rubra, lutea L. In Europa Occidentali & Meridionali creſcit; apud nos copioſe in hortis colitur; *Folia Radicalia in uſum culinarum recipiuntur, Medicinæ rariſſime inſerviunt, imponuntur cuti, cui Epidermis fuerit ablata.* Varietas, quæ eſt Beta rubra radice Rapæ L. Blackwell Tab. 235. quæque in hortis colitur, ſubminiſtrat Radicem, ex craſſo capite ſubito in caudam gracilem exeuntem, totam purpuream; exſtat ejus Varietas flava, levis odoris & ſaporis dulcis; Extractum iſta aquoſum, rubrum, intenſe dulce, Spiritus Vini ope autem Saccharum exhibere dicitur, *Aceto condita cum Carne comeditur, Succus inde expreſſus ſcopo Errhino adhiberi ſolet.*

BETONICA, *Betoine, Betonien. Folia* cordato-oblonga, obtuſa, profunde crenata, rugoſa, inſipida; *Flores* labiati, purpurei & inodori. Betonica Officinalis L. Blackwell Tab. 46. Copioſe per Europam offenditur. *Vires Cephalicæ, quas olim huic plantæ adſcripſerunt cum experientia non ſint probatæ, uſus ejus medicatus fere eviluit; Errhino ſcopo Pulvis præſcribitur.*

BETULA, *Bouleau, Birke.* In uſum trahitur Succus, qui ex trunco, primo vere ante frondeſcentiam terebra efforato, ſtillat, limpidus, leviter dulceſcens. Betula alba L. Blackwell Tab. 24. Betulæ Succum multo minus mellaginis evaporationis ope edere, quam Succum Aceris, obſervatum eſt. *Datur per aliquot continuas Septimanas ad Uncias viginti quatuor de die Sanguinem Depurandi, & Vermes expellendi cauſa.* Oleum Empyreumaticum

Empyreumaticum ex cortice paratum *Lithuanicum* vel *Ruſſicum* dicitur, præ aliis hujus tribus Oleis nihil proprii in Medicina præſtare videtur.

BEZETTA. Hoc nomine veniunt lintea cannabina rubra ſeu cœrulea, quibus ad infucanda Gelata, Trochiſcos &c. utuntur; priora ope Coccionellæ in Turcia parari dicuntur, poſteriora in Gallia Auſtrali tinguntur Heliotropii ſucco, ope Alcali volatilis ex Urina, exaltato.

BEZOAR DE COROMANDEL. Lapides variæ magnitudinis, partim rotundi, partim oblongi, læves, cum quodam ſplendore; inveniuntur, qui utrimque compreſſi ſunt, ex albo-gryſei, evidenter ex ſtratis efformati, inodori, inſipidi. Deſumi dicuntur ex Trichecho Manato L. *Eædem quæ de reliquis prædicantur, huic quoque tribuuntur vires.*

BEZOAR OCCIDENTALIS. Calculus Bezoar L. Dicuntur Calculi, qui ſub diverſiſſimis figuris & variante multum magnitudine occurrunt, evidenter ex ſquamis efformati, non ſplendentes, nec cum Acidis efferveſcentes, coloris cinerei, cui interdum aliquid nigri accedit, inſipidi & inodori. Ex variis Animalibus deſumuntur & ex America adduci dicuntur.

BEZOAR ORIENTALIS. Calculus Bezoar L. Variam tam figuram quam magnitudinem habet, & hujus quidem diverſus gradus diverſum etiam ipſius pretium conſtituit; ſuperficiem oſtendit lævem, politam, ſplendentem, color cum virore miſtus nigricat, effingitur ex ſtratis ſibi invicem incumbentibus, quorum intimum cavitatem ſiſtit interdum vacuam, interdum variam ſubſtantiam heterogeneam condentem; cum Acidis non efferveſcit, odoris ac ſaporis perinde expers eſt. Deſumitur ex Capra Bezoardica L. in Perſia occurrente. Lapides hos prorſus inertes eſſe ratio pariter ac experientia evincunt. Plures factitii proſtare dicuntur; ſed certum characterem, unde genuini ab his diſtinguantur, nullum habemus.

BISMUTHUM, *Wiſmuthum*, *Marcaſita*. Eſt Semimetallum Plumbo albius, ex teſſerulis majoribus efformatum, facile in pulverem terendum, præ omnibus reliquis corporibus

metallicis minore igne fluens, in Acidis Vitrioli, Nitri & Salis diſſolubile, igne in vitrum flavum fundendum. Sive Nativum ſive ſub forma Glebæ metallicæ paſſim per Europam reperitur. *De ejus in Corpus humanum efficientia plane nihil liquet.*

BISTORTA, *Schlangen, Natterwurzel.* Radices ſubcylindraceæ, incurvæ, interdum aliquoties flexæ, pollicem craſſæ, extus profundius rubræ, intus pallidæ, transverſim rugoſæ, ſaporis multum adſtringentis. Polygonum Biſtorta L. BLACKWELL Tab. 254. Creſcit in omni Europa, præter magis Septentrionalem. *Ad Decocta Adſtringentia tam interna, quam externa recipitur.*

BLATTA BYZANTINA. Operculum eſſe dicunt Muricis ramoſi L. qui in Sinu Perſico & Jamaica obtinet. *A fragrantia laudatur. Sed ejus uſus prorſus exſolevit.*

BOLETUS CERVINUS, *Hirſchbrunſt.* Eſt Tuberis genus, ad magnitudinem Juglandis uſque excreſcens, multis figuris ludens; exſiccatum, prouti in officinis proſtat, ſub cute ſicca, tenaci, flavicante, copioſiſſimum pulverem nigrum includit, ſaporis & odoris expers. Lycoperdon Cervinum L. Paſſim per Europam obvium. Nec ex liquore genitali Cervorum gignitur, nec vires Aphrodiſiacas habet. *Effectus Boviſtæ edit.*

BOLUS ALBA. Argilla bolus alba L. Eſt Argilla alba, quæ in noſtris officinis ſub forma fruſtorum aliquot pollices longorum minus vero latorum & craſſorum proſtat, manifeſte admodum pinguis. Paſſim reperitur.

BOLUS ARMENA. Bolus Orientalis, Argilla Lemnia L. pallide rubrum colorem habet, tactu pinguis & glabra. Diverſiſſimas terras hodie hoc nomine venire rectiſſime LUDWIG monet. Ex variis Europæ locis adducitur.

BOLUS RUBRA. Sub fruſtis Bolo albæ ſimilibus, magis ſiticulis, pinguibus & rubris proſtat. Bolus Argilla rubra L. Ex Germania nobis affertur. *Inefficacem ad ſcopos medicatos omnem Argillam eſſe hodie ſatis ſuperque compertum eſt.*

BOMBAX, *Cotton, Baumwoll.* Semina angulata, ovata, tomentoſa, virideſcentia, ſub cortice fragili nucleum album includunt, inodora, leviſſime dulcia. Goſſypium her-

baceum L. Indiæ indigenum in Europa maxime Meridionali colitur. Apud nos ſemper in vaporario retinendum, ſiquidem fructum inde exſpectamus. *Emolliendi & Demulcendi ergo olim adhibebatur.*

BONUS HENRICUS. Folia ſuperne glabra, ſubtus glauca quaſi pulvere conſperſa, triangulari-haſtata, inodora, inſipida. Chenopodium Bonus Henricus L. Vulgatiſſima per Europam planta. *Interdum ad Cataplaſmata Emollientia recipitur.*

BORAX. Sal, qui ex India ſub forma Cryſtallorum variæ magnitudinis ad nos advehitur, vireſcentium, creberrime cortice albo pulverulento obductarum, tactu pinguiuſcularum, ſaporem lixivioſum linguæ imprimentium, & talis *Tincal*, *Tincar*, *Borax crudus*, Borax Tincal L. dicitur. Qui, cum nonniſi depuratus in uſum trahatur, & olim Venetiis depuraretur, hodie adhuc *Borax Venetus* appellatur, quamvis maxima jam ejus quantitas, quæ quidem noſtras officinas ingreditur, in Belgio depuretur. Formatur in Cryſtallos majores, multilateras, pellucidas, quæ difficillime aqua diſſolvuntur; prunis ſuperimpoſitæ ſpumant, in vitrum ſpurium abeunt, foſſilium fuſionem promovent, Syrupum Violarum viridi colore tingunt, cum Acidis non efferveſcunt. Conſtat ex proprio Acido & Alcali foſſili. In Borace crudo Illuſtris CADET Æs detexit. *Incidentes & Abſtergentes effectus edit, ſed rariſſime ad hos ſcopos adhibetur; ad Coſmetica quoque recipitur.*

BORAGO, *Bourrache*, *Boretſch*. *Folia* nullis petiolis ſuſtentata, ovato-oblonga, obtuſa, hirſutie ſcabra, rugoſa, inodora, ſapore leviſſime ſalino linguam ferientia. *Flores* plano-patentes, cœrulei, quinquefidi, rotati, inodori, ſubdulces; aſſervantur calycibus evulſi. Borago officinalis L. BLACKWELL Tab. 36. Orientis & Europæ calidæ civis, in noſtris hortis ſponte diſſeminata luxuriat. Nitrum quod ex Foliis magni Viri obtinuerunt, ipſis non proprium eſt. *Folia ad Juſcula Refrigerantia recipiuntur. Flores aſpectus blandimenta tam Acetariis, quam Speciebus pro Infuſis & Decoctis adjici ſolent.*

BOS, *Bœuf*, *Ochs*. Taurus caſtratus. Inde recipitur *Se-*

bum Suif, Unſchlitt, quod eſt Adeps ad renes maxime hærens, album, ſolidum, nauſeoſo odore inſtructum. *Vires Oleorum unguinoſorum exſerit.* Adhibent quoque in Oſſibus cylindraceis contentam *Medullam*, conſiſtentia ſua Sebo proximam, albam, rubore ſuffuſam, inodoram, grati ſaporis. *Ad Roborandum efficax habetur.* *Caro* culinis relinquitur.

BOTRYS, *Traubenkraut, Ambroiſie. Folia* petiolata, oblonga, obtuſa, profunde & irregulariter ſinuata, laciniis alternis, dentatis, odore fragranti, balſamico, ſapore linguam feriente, aromatico prædita. Chenopodium Botrys L. Blackwell Tab. 314. Europæ calidæ indigena, annua planta optime in noſtris hortis coli poteſt. Oleum deſtillatum ſebaceum fundere dicitur. *Folia Reſolvendi & Vermes arcendi cauſa ſub forma Infuſi exhibentur.*

BOTRYS MEXICANA, *Thea Sileſiaca Romana, Thée du Mexique.* Folia lanceolata ſunt, dentata, prioribus fragrantiora, fortiore etiam ſapore linguam ferientia. Chenopodium Ambroſioides L. In Mexico & Europa calidiore creſcit, planta annua in noſtris hortis coli poteſt. *Præcedente omnino præſtantior, eadem ratione uſurpatur.*

BOVISTA, *Crepitus Lupi, Veſſe de Loup, Boviſt.* Eſt ſubſtantia laxa, leviſſima, ſpongioſa, ferruginea, odore nullo, ſapore adſtringente inſtructa, contenta in Lycoperdo Boviſta L. Per omnem Europam obtinente. *Ad ſiſtendas Hæmorrhagias in modum Agarici Pedis Equini facie adhibetur.*

BRASSICA, *Choux, Kraut, Kohl.* Braſſicæ Oleraceæ L. plurimarum, quæ in hortis & campis noſtris coluntur, varietatum, quæ omnes aquam quidem cum qua coquuntur fœtido odore inficientes, ſed dulci ſuo ſapore palato gratæ, ideoque menſis frequentiſſime imponuntur, nonniſi duæ hujus loci ſunt, *Alba* nimirum & *Rubra.* Folia *Albæ* obovata, glauca, pro iſta unde deſumuntur varietate, tam magnitudine, quam nervorum craſſitie diverſa, ante cauleſcentiam recipienda. *Imponuntur Cuti, cui Epidermidem Veſicantia demſerint: Sale condita & fermentata edulii genus inter lautitias etiam referendum, & remedium conſtituunt ad arcendum æque ac curandum ſcorbutum*

egregie efficax. Folia *Rubræ* petiolata ſunt, ſubrotunda, rubra, rore cœruleſcente perfuſa, denticulata, ſapore a vi adſtringente nonnihil mutuante. *Ex Jure coquuntur, aut in Syrupum rediguntur contra morbos Pectoris.*

BRANCA URSINA, *Branche Urſine, Bærenklau. Folia* magna, pinnata pinnis lobatis, hirſuta, inſipida & inodora. Heracleum Sphondylium L. Blackwell Tab. 540. Creſcit in omni Europa. Per errorem pro Acantho habita, *ad medicamenta Emollientia recipitur.* Ruſſi inde Spiritum ardentem parare dicuntur.

BRITANNICA, *wilde Rhabarber, Patience d'eau. Radix* fibroſa, magna, extus fuſca, intus crocea, proprii, ſed hebetis odoris, ſaporis contra acris, amari, adſtringentis. Rumex Aquaticus L. Paſſim in Aquis Europæ reperitur. *Reſolvit, Roborat, leniter Alvum ducit, Obſtructiones reſerat, Sanguinem purificat. Datur ad Drachmas duas aqua decocta. Ejus Decocto quoque Ulcera ſcorbutica Cacoëthea lavant.*

BRUNELLA, *Bonette. Folia* petiolata, ovato-oblonga, acute terminata, ſerrata, exigue hirſuta, ſapore ſubſalino inſtructa. Prunella Vulgaris L. Blackwell Tab. 24. Creſcit ubique per Europam. *Roborandi & Incidendi gratia ad Gargariſmata recipitur.*

BRUSCUS, videatur RUSCUS.

BRYONIA, *Coulevrée, Zaunrube.* Radix fuſiformis, valde craſſa, extus flavicans, intus alba, ſtriis longitudinalibus & circularibus, aſpera, exſiccatur ſecta in taleolas, utraque ſua ſuperficie ſtriis eminentibus ex medulla tanquam centro ad peripheriam ductis & variis circulis ſectis diſtinctas, laxas, fungoſas, intenſe nec ſine quadam acrimonia amaras. Bryonia alba L. Blackwell Tab. 37. Vulgaris Europæ Radix *valide Alvum ducit & olim, quando valida Purgantia indicari credebant, ad Drachmam ſemis in ſubſtantia, ad Drachmam unam in Infuſo aquoſo dabatur; hodie rariſſime adhibetur.* Radix recens comminuta & in Aqua frigida agitata in *Amylum* album, cum aqua concreſcens, glutinans evadit; ad id accedunt *Fæculæ*, quæ bene elotæ *Alvum ducendi virtute deſtitutæ perhibentur. Radicem recentem in taleolas ſectam, tuſam, cruribus œdematoſis impoſitam, repetitis duodenis horis vicibus large aquas elicuiſſe, obſervarunt Auctores.*

BUFO, *Crapaud, Krœte.* Rana Bufo L. Vulgare per Europam Amphibium, pedes poſticos minores & poſt oculos duplex tuberum genus habet. *Non eſt venenatus, exſiccatus horrorem excitando Hæmorrhagias ſiſtit; in cineres redactus aliis cineribus non præſtat. A medicina omnino exſulat.*

BUFONITES, *Crapaudines, Krœtenſtein.* Sunt Lapides rotundi, Avellanam magnitudine fere æquantes, convexo-plani, ſive ſub baſi excavati, caſtanei ut plurimum coloris plus minusve diluti, inſipidi, inodori. Ichtyolithus Bufonites L. Eſt Dens molaris cujuſdam piſcis marini, qui Anarhichas L. eſſe creditur. Reperitur per terram diſperſus. *Iners lapis ab uſu medicato remotus.*

BUGLOSSUM, *Ochſenzunge. Folia* oblonga, anguſta, in acutum mucronem exeuntia, hirſuta, inſipida, inodora; *Flores* infundibuliformes, quinquefidi, cœrulei, inſipidi & inodori. Anchuſa officinalis L. BLACKWELL Tab. 500. Paſſim in Europa obvia. *Vires Boraginis ipſi adſcribuntur.*

BUGULA, *Conſolida media, Bugle, Golden Gunſel. Folia* ovato-oblonga, petiolata, obtuſa, dentata, amara, aliquantulum hirſuta. Ajuga reptans L. BLACKWELL Tab. 64. Offenditur per omnem Europam, præter magis Septentrionalem. *Recipitur interdum ad Gargariſmata Roborantia.*

BURSA PASTORIS, *le Tabouret, Tæſchelkraut. Folia* ovato-obtuſa, integra, dentata, pinnatifida, lyrata, glabra, vix umbram acrimoniæ referentia, inodora. Thlaſpi Burſa Paſtoris L. BLACKWELL Tab. 5. *Refrigerandi & Adſtringendi ſcopo olim laudata hodie eviluit.*

BUTYRUM, *Beurre, Butter.* Eſt Lactis pinguedinis ſtrenue agitatæ coagulum; conſiſtentiam habet ſpiſſioris Unguenti, colorem flavicantem, odorem proprium, ſaporem mitem. Coctione non a partibus ſolum Lactis caſeoſis & ſeroſis adhæreſcentibus purgatur, ſed flavius, etiam ſpiſſius & grumoſum, proprii præterea odoris & ſaporis efficitur. *Butyrum integrum creberrime menſis imponitur. In morbis medendis vices Oleorum unguinoſorum ſuſtinet, extus æque ac intus adhibetur. Coctione nonnihil acrimoniæ & Abſtergentes vires induit.*

BUXUS, *Buis, Buchs.* Lignum ſolidum, duriuſculum, pallide flavum, cortice cinereo, rugoſo veſtitum, inodorum, adſtringens. Buxus Sempervirens L. Blackwell Tab. 196. Europæ Meridionalis indigena arbor ſine negotio in noſtris hortis colitur. *Recipiebatur ad Decocta Sudorifera.*

CAAPEBA, *Liane à Serpent. Radix* digitum craſſa, fibroſa, paululum intorta, ſtriata, valde dura, exiguis tuberculis obſeſſa, intus quam extus nigrior, ſaporis ſubaromatici, ſalinum referentis, cum aliquali amaritie. Ciſſampelos Caapeba L. Frutex Americæ Meridionalis & Braſiliæ proprius. *Aqua decocta contra morſus Serpentum & morbos malignos a quibuſdam commendatur.*

CABBAGE BARCK. Hoc nomine Angli aſſervant Cortices aliquot pollices plus minusve longos, convolutos, non craſſos, colore extus cinamomeo, intus cinereo tinctos, interdum extus epidermide ex nigro cinerea inſtructos, inodoros, leviſſime linguam adſtringentes. Geoffræa inermis L. Wright Phil. Tranſ. LXVII. p. 507. Jamaicæ arbor. *Maxime contra Vermes laudatur, quibus ſe viribus etiam in Europa probavit. Datur ejus Decoctum ad Uncias duas, Extractum ad Grana tria, Pulvis ad Semidrachmam. Doſis excedens modum Nauſeam & Vomitus excitat.*

CACAO. Nuclei ovato-oblongi, Amygdalarum fere magnitudinis, ſub cuticula rufeſcente, non raro punctis albis diſtinctæ, includunt medullam ſiccam, pinguem, in plures lobos diviſam, extus fulvam, intus fuſcam, odore proprio, leni, ſapore, grato, ſubacerbo, aliquantulum etiam amaro; optimi nuclei ex Nicuragua, Mexicani regni regione, ad nos transvehuntur, magnitudine & miculis albis cuticulæ inſperſis, ſuaviore etiam ſapore & largiore ſua pinguedine præſtantiores. Theobroma Cacao L. Blackwell Tab. 373. Americæ Meridionalis indigena arbor. Nutritii nuclei, quorum uſus circa medium ſeculi ſuperioris in Europa innotuit, nunquam ut ſunt, ſeorſum præſcribuntur. Scite toſtæ & calido prelo expreſſæ Olei albiſſimi, grate olentis, ſpiſſi tertiam fere ſui ponderis partem largiuntur, quod *Butyrum* dicitur.

CAFFE. *Semina* ovalia, variæ magnitudinis, utrinque

obtuſa, convexo-plana, in facie plana ſulco longitudinali notata, glabra, colore inter album & flavum medio, viriditatis etiam ſubinde nonnihil admittente, odoris exigui, ſaporis ſubadſtringentis, leniter acerbi. Coffea Arabica L. Blackwell Tab. 337. Arabiæ felicis propria arbor, hodie in Aſiam, Americam Meridionalem, & Inſulas Africæ Meridionales translata, in his regionibus quoque uberrime provenit, apud nos ſemper in caldario aſſervanda. Semina in Arabia lecta reliquis omnibus præſtant, ſed Americana in ipſam Arabiam vehi & Arabicis immiſceri Itineratores teſtantur, in Arabia lecta parvitate ſua & albidiore, eminentiore viriditate miſto, colore diſtinguuntur; Arabicis proxima ſunt, quæ Borbonica, Africæ Inſula largitur. Hi nuclei, quorum uſus medio fere ſuperioris ſeculi in Europa invaluit, nullum Oleum unguinoſum largiuntur, nec niſi toſti in uſum trahuntur, eorum ſaporis ſuavitas maxime a juſto toſtionis in vaſis clauſis inſtituendæ & uſque dum brunei evaſerint, continuandæ modo pendet; Toſtorum & comminutorum Uncia ſemis cum aquæ Unciis duabus unica modo ebullitione coquenda, & decoctum per filtrum trajiciendum eſt, quod quidem brunum, grato omnino odore & ſapore amaricante exquiſitiſſimo inſtructum, hauritur ut plurimum Saccharo edulcoratum. *Neutiquam Sanguinem ſpiſſat, egregie Digeſtionem promovet, & noxas ab ea turbata oriundas præcavet & corrigit; incommoda, quæ inde nata obſervaſſe ſibi nonnulli viſi ſunt, abuſui aut idioſyncraſiæ debentur.* Succedanea, quæ ipſi ſubſtituere conabantur, nulla votis reſponderunt.

CAJEPUT OLEUM. Eſt tenerum, album, cum quodam viroris veſtigio, odore proprio perquam fragrante, ſapore multum aromatico, momento contactus linguæ frigoris ſenſum imprimente præditum. Dicitur eſſe Oleum odoratum foliorum Melaleucæ Leucodendræ L. Indiæ Arboris, ſimillimum huic Oleum ex *Cardamomo majore*, Deſtillationis cum aqua ope, obtinetur. *Multum ob virtutem vehementiores Nervorum motus ſiſtentem laudatur; ejus Guttæ ſex aut octo fruſto Sacchari Canarienſis inſtillatæ pro Doſi dantur.*

CALAMINARIS LAPIS, *Calaminaire, Galmey.* Eſt lapis

pis variæ duritiei, ad Chalybis ictum ſcintillas emittens, varii quoque coloris, creberrime flavicantis, Æs ſecum fuſum, aureo colore tingens. Zincum Calaminaris L. Paſſim ex collibus Europæ eruitur. *In pulverem redactus ad Aſpergines aut Unguenta Exſiccantia recipitur aut ad Collyria.*

CALAMUS AROMATICUS, *Acorus verus, Calmus. Radix* cylindrica, compreſſa, geniculata, lineis longitudinalibus & transverſis notata, extus ex flavo rubens, intus alba, fungoſa, odore grato, aromatico, ſapore amaro, linguam ferientе prædita. Acorus Calamus L. BLACKWELL Tab. 466. Paſſim in Europa, præter maxime Septentrionalem & calidam obvius. Olei deſtillati paululum largiri dicitur.

ACORUS INDICUS vel ASIATICUS. Acorus Calamus verus L. Indiæ civis, noſtras hyemes facillime fert; ejus in noſtro horto culti Radices prioribus magnitudine minores, uno latere convexæ, colore gryſeæ, carne ſolidiores, odore fortiores ſunt. *Reſolvendi & Ventriculum Roborandi ergo ad Infuſa recipitur, Confectio ejus ad aliquot Drachmas pro doſi comeditur.*

CALAMINTHA, *Calament, Bergmünze.* Folia petiolata, ex ovatis oblonga, hirſuta, crenata, paulum odorata & aromatica. Meliſſa Calamintha L. BLACKWELL Tab. 166. Angliæ, Helvetiæ, Europæ Meridionalis civis, noſtras hyemes fert. Præſtat hac Meliſſa Nepeta L. cujus folia prioribus minora, magis ovata, enitentiore odore & ſapore inſtructa. Iisdem cum priore locis vegetat. *Calaminthæ uſum Meliſſa & Mentha ſuppreſſerunt.*

CALCARIUS, *Calcaire, Kalkſtein.* Eſt Lapis, durus quidem, ſed ex Chalybe nullas ſcintillas eliciens, varie coloratus, in Acidis cum effervefcentia diſſolubilis, igne duritiem exuens, cauſticus evadens, cum aqua multum incaleſcens, in aëre dilabens, cum aqua & ſabulo in duriſſimum cæmentum concreſcens; igne cauſticus redditus *Calx viva, Chaux vive, ungelœſchter Kalk*, & hac dilapſa, *Calx extincta* dicitur. Marmor rude L. Copioſiſſimus ejus eſt proventus; integros

montes & montium catenas efformans. *Calcarius ad uſus medicatos non recipitur; Calx viva intus ſi adhiberetur Veneni effectus ederet; extus Depilatorio ſcopo adhibetur.*

CALCITRAPPA, *Chauſſe Trappe.* Radices cylindroideæ, digitum craſſæ, ſub cortice gryſeo ſubſtantiam albam includunt, odoris vacuam, ſaporis leviſſimi, Centaurea Calcitrappa L. Europæ calidæ & temperatæ civis. *Corticis Drachmam Vino infuſam, & per plures menſes ſumtam egregie Nephriticis opitulari aſſerebatur.*

CALENDULA, *Soucy, Ringelblumen.* Flores aſſervantur ex calice evulſi, lutei, ligulati, exſiccatione omnem odorem & ſaporem amittentes, aquam, cui infunduntur, amaram reddentes. Calendula officinalis L. Europæ Meridionalis indigena, in noſtris hortis colitur. Cum hi Flores exſiccatione omni odore priventur, hinc fruſtra inde *Vires Alexiteriæ exſpectantur. Aperiendi ſcopo cum aqua infunduntur.*

CAMPECHIANUM LIGNUM. Adducitur ad nos in magnis fruſtis, ſub quorum ſuperficie cœruleſcente, color ſanguineus, odor nullus, ſapor adſtringens eſt. Hæmatoxylum Campechianum L. BLACKWELL Tab. 493. Americæ Meridionalis indigena arbor, apud nos ſemper in caldario aſſervanda, Arti tinctoriæ præcipue inſervit. *Extractum aquoſum inde paratum ad Drachmam ſemis, Decoctum cum aqua ad Unciam ſemis exhibetur.*

CAMPHORA. Sub forma placentarum majorum, rotundarum, convexo-planarum, ſuperne foratarum, cryſtallina albedine conſpicuarum, leviter flexibilium, fragiliuſcularum proſtat; odorem habet proprium, Cerebrum obnubilantem, ſaporem linguam afficientem, leviſſime amarum, evidentiſſimo frigoris ſenſu, aquæ immerſa odorem & ſaporem ſuum impertit, ſupra aquam ardet, in Alcohole æque ac in Oleis diſſolvitur, flammam capit & in Flores albos vertitur. Obtinetur ratione, quam in *Inſtitutionibus Chemiæ* dixi, ex Camphora cruda, ſub forma granulorum flavicantium ex Lauri Camphoræ L. BLACKWELL Tab. 347. Japoniæ arboris, apud nos in tepidario per hyemem aſſervandæ, foliis & ramis ex aqua

coctis ſurgentium, ſtramineo lebetis operculo accreſcentium. Camphoræ ex aliis Vegetabilibus obtinendæ vix officinas Pharmaceuticas ingrediuntur. *Intus Sopiendi ergo ad Drachmam ſemis, Antiſeptico fine ad Scrupulum unum; in morbis Inflammatoriis ad Grana tria pro doſi, ſaponi cuidam juncta, ſub forma Pulveris, Pilularum, Emulſionis, Julapii exhibetur; extus Fomentationibus, Epithematibus ſiccis, Cataplaſmatibus &c. immiſcetur.*

CAMPHORATA. Caules albidi, faſciculis foliorum minimorum, albidorum, aciculas referentium, obſeſſi, quorum ego in noſtris quidem hortis neque odorem, neque ſaporem ullum detegere potui. Camphoroſma Monſpeliaca L. Europæ Meridionalis & Tartariæ indigena, apud nos in frigidario ab hyeme defenditur. *Reſolvendi gratia ex aqua coquitur, Aſthmaticis nec non Hydropicis a nonnullis exhibetur.*

CANADENSE BALSAMUM. Spiſſum eſt, adeo ut in aëre temperato non diffluat, tenax, in modum vitri pellucens nonnihil flavedinis ſuboſtendens, odore levi, reſinoſo, ſapore amaricante, acriuſculo inſtructum. Obtinetur ex Pinu Balſamea L. Canadæ arbore, noſtræ hyemis patientiſſima. *Scopo Abſtergendi & Conſolidandi, nec non ad fines Antinephriticos ejus Drachma ſemis ſapone ſoluta, ſive in Pilulas recepta exhibetur.*

CANCRORUM CHELÆ. Varia earum magnitudo eſt, baſis quadrangula, eburnea quaſi, cujus unum latus in tres quaſi appendices diductum, contrahitur in modum coni leviter incurvati, inferne flavicantis, ſuperne nigri; ad latus externum occurrunt tubercula exoleta; intus chelæ penitus cavæ, albæ, inodoræ & inſipidæ ſunt. Deſumuntur a Cancro Pagiuro L. Oceani cive. *Virtutes Alexipharmacæ olim illis ad Drachmam ſemis ſub forma Pulveris exhibendis adſcriptas, recentior ætas abrogavit.*

CANCRORUM OCULI SIVE LAPIDES, *Yeux d'Ecreviſſe, Krebsaugen.* Calculi Oculi Cancri L. Subſtantiæ rotundæ, convexo-concavæ, recens quidem natæ cœruleſcentes, deinde albæ, ex lamellis ſibi arcte incumbentibus compoſitæ, hærent inter utramque Ventriculi tunicam Cancri Aſtaci L. vulgatiſſimi aquarum dulcium inſecti, Auguſto

menſe, quo novum ſibi thoracem ſtruit, proprio odore & ſapore inſtructi. Copioſiſſimi in Ruſſia ad confinia Tartariæ ex inſectis piſtillo contuſis colliguntur. *Vires præter Abſorbentes nullas habent, in modum aliorum terreorum uſurpantur. Caro* Cancri Aſtaci evidenter quidem nutrit, ſed nonnihil acrimoniæ, quod ipſi ineſt, non modo faucibus interdum moleſtum, ſed quandoque etiam varios morbos excitaſſe obſervatum eſt. Nunquam niſi cocta in uſum recipitur. Medici illam *Juribus Nutrientibus & Demulcentibus incoquunt.*

CANELLA ALBA. Cortex craſſiuſculus, in tubum convolutus, fragilis, extus ſtriis transverſis notatus, flavicans, intus albus, aromatico odore, ſapore acriuſculo, amaricante inſtructus. Winterania Canella L. BLACKWELL Tab. 206. Oleum odoratum fundere dicitur. *Scopo Roborandi & Reſolvendi datur.*

CANELLÆ CLAVELLI videatur CINAMOMUM.

CANIS, *Chien, Hund.* Canis Familiaris L. Vulgatiſſimum animal. *Stercus* quod nobis exhibet, vide ſub ALBUM GRÆCUM. *Axungia* alba, Unguenti tenuioris conſiſtentia pollens *Pectoralibus adſcribitur, intus & extus adhibetur. Catelli ob vires Nervinas, quas vero nemo adhuc ſatis firmis rationibus ſuperſtruxit, cum Oleo Olivarum coquuntur. Hepar Canis rabidi contra Rabiem caninam ſuſpectum mihi medicamentum eſſe videtur.*

CANNABIS; *Chanvre, Hanf. Fila* in quæ Cortex ſcite præparatus ducitur, *ſive Emolliendi Scopo, ſive vehiculi loco extus adhibentur. Semina* ovata, utrinque leviſſime compreſſa, uno margine acutiore, ſub cortice lævi, nitente, cinereo, ſpadiceo, fragili, album & dulcem nucleum includunt, tenera membrana involutum. Cannabis ſativa L. BLACKWELL Tab. 322. Indiæ indigena, hodie per omnem Europam colitur. Semen tertiam circiter ſui ponderis partem Olei viridis decimo quarto demum gradu ſub cyphra conſiſtentis, largitur. Exſiccatione odorem Cerebrum inebriantem perdit, *vires Emollientes edit, ad Emulſiones olim recipiebatur.*

CANTHARIDES, *Spaniſche Mucken oder Fliegen.* Inſecta corpore oblongo, toto viridi, aureo, elythris viridibus,

flexilibus, multis ſtriis diſtinctis & alis fuſcis; tria circiter grana pondere æquant, tenuis eorum & nauſeoſus odor eſt. Meloë Veſicatorius L. per omnem Europam, præter maxime Septentrionalem, occurrit. Hæc inſecta ab arboribus, quibus inſident, decuſſa exſiccata noſtras officinas intrant. *Ad uſus Diureticos intus exhibendi a multis & gravibus Auctoribus fuerunt laudati. Eorum doſis ultra octo Grana non extendenda, & caute ita dividenda, ut quovis quadrihorio unum modo Granum exhibeatur; doſis enim, ſi vel tantillum excedit graviſſimos in viis Urinariis Spaſmos excitat, juſto major contra quantitas omnes effectus Veneni rodentis edit; extus ſcopo Veſicas excitandi in frequentiſſimo uſu ſunt; optime in Emplaſtrum recepta adhibentur, in quo doſis non ultra dimidiam Drachmam extendenda.*

CAPILLUS VENERIS, *Capillaire, Frauenhaar.* Monspelienſem & Canadenſem aſſervamus; *Monſpelienſis* habet cauliculos nigricantes, glabros, lucidos, ramoſos, veſtitos foliis alternis, petiolatis, cuneiformibus, inciſis, apice crenatis, in margine reflexo maculis notatis, inodoros, ſaporis dulciuſculi, leviter adſtringentis; Adianthum Capillus Veneris L. Blackwell Tab. 367. Galliæ Meridionalis, Helvetiæ, Angliæ civis. *Canadenſis* a priori cauliculis magis rufeſcentibus, lucidioribus, foliis latioribus, trapezoideis, margine inferiore integerrimo, ſuperiore crenis majoribus crenato & ſapore magis grato differt. Adianthum pedatum L. Creſcit in Canada & Virginia. *Scopo Pectorali ad Infuſa recipitur; ſub forma Syrupi exhibetur.*

CAPO, *Chapon, Capaun.* Gallus gallinaceus caſtratus, exquiſitus cibus menſis imponitur, *ad Juſcula nutrientia recipitur. Axungia* alba eſt, Unguenti formam habet. *Emolliendi ſcopo extus adhibetur.*

CAPPARIS, *Caprier, Capres.* Gemmæ Florum, Aceto conditæ ad uſus cibarios, Cortex Radicis ad medicatos uſus adhibetur. *Gemmæ* virides ſunt, pedunculo inſtructæ, angulares, variæ magnitudinis, conſtant ex aliquot petalis, quæ rudimenta Antherarum includunt: Cubebis non majores, læte

virides & pedunculis inſtructæ reliquis præferuntur: ſapore proprio, leviter amaricante, dignoſcuntur. *Cortices* variæ longitudinis & craſſitiei advehuntur, ſtriis longitudinalibus & tranſverſalibus notati, cinereo-flavicantes, inodori, leviter amari, aliquantulum etiam acres. Capparis ſpinoſa L. BLACKWELL Tab. 417. Aſiæ, Africæ, Europæ Auſtralis indigena, Toloſæ colitur, apud nos per hyemem in frigidario aſſervanda. *Gemmæ condimenti loco carni adjiciuntur; Radices Decoctis Aperientibus.*

CAPRIFOLIUM, *Chevrefeuille, Hahnenfüslein. Folia* glauca, longe ovata, obtuſe acuminata, ſubadſtringentia; *Flores* tubo longo in duo labia finduntur, quorum ſuperius latum, reflexum, quadrifidum, inferius anguſtius & ſimplex eſt, gratiſſimus recentium odor exſiccatione perit, albidi cum admiſta rubedine, *Stipites* teretes ſunt, epidermide cinerea flavedine ſuffuſa, veſtiti, ſapore imbuti dulciuſculo cum quadam amaritie eo evidentiore, quo ſtipites ſunt craſſiores Lonicera Periclymenum L. BLACKWELL Tab. 25. Ubivis naſcitur. *Folia a vi Roborante & Abſtergente, a quibuſdam laudantur, & ad Gargariſmata recipiuntur. Flores & ſtipites a nonnullis Sanguinem Depurandi & Urinam ciendi cauſa ſub forma Infuſi exhibentur.*

CARANNÆ GUMMI. Advehitur ad nos ex America Meridionali, in magnis maſſis ex viridi nigricantibus, quibus extus reſidua adhærent involucri juncei, quo, dum adhuc molles erant, involvebantur maſſæ; ſapore ſubreſinoſæ ſunt, odorem ſpirant admodum tenuem, accenſæ fumum emittunt haud ingrate olentem, igne funduntur, copioſius eas Alcohol, quam aqua diſſolvit, ab Oleis, quoad partem modo: Oleum deſtillatum fundit. *Olim externo ſcopo Reſolvendi & Roborandi adhibebatur.* Plantæ, unde Caranna obtinetur, character ignoratur.

CARDAMINE, *Creſſon des prés, Wieſenkreſſe. Florum* petala obtuſa, oblongo-ovata, anguſtis unguibus terminata, mox alba, mox venis purpureis picta, inodora, leviſſime acria. Cardamine pratenſis L. BLACKWELL Tab. 227. Communis per Europam planta. *Laudantur contra morbos Convulſivos ad Drachmam unam aliquoties de die data.*

CARDAMOMUM, Eſt Folliculus ſiccus, ventricoſus, trifido ſepto diſtinctus, ſeminibus angulatis. Plures ejus ſpecies in tabernis ſervantur. Hic modo eas, quæ ſub majoris, mediæ & minoris nominibus hodie proſtant, recenſeo. *Majus* BLACKWELL Tab. 385. & 584. diſtinguunt Folliculi aliquot pollices longi, turbinati, ſuperne apertura lacera hiantes, cinereo-rufi, ſtriati, Semina includentes Coriandro vix cedentia, ſub cute cinereo-ferruginea medullam albam continentia, ſapore acri Camphoræ affini inſtructa. Ex Aſia & Africa nobis adducitur, plantam unde colligitur, ignoramus. Edit $\frac{1}{45}$ circiter Olei deſtillati, quod *Oleo Cajeput* ſubſtituitur. *Medium*, quod *Zeylanicum* quoque appellant, ſiſtit Folliculos triquetros, unciales, gryſeo-fuſcos, apice acuto inſtructos & ſeminibus badiis, rugoſis, anguloſis, odoris ſuavis, ſaporis amariuſculi, minus quam in reliquis aromatici, largitur $\frac{1}{192}$ Olei odorati, ſpiſſiuſculi, dulciuſculi. Ex Ægypto, India, Perſia & Java ad nos transfertur. Hujus quoque fructus plantam perinde neſcimus. *Minus* ſive *Malabaricum* Folliculos ſemiunciales circiter habet, triangulares, ſubflavos, leviſſime ſtriatos, in apice papilla coronatos; ſemina ſunt rugoſa, ſubrufa, ſapor & odor Camphoræ propinquus; eſt fructus Amomi Cardamomi L. BLACKWELL Tab. 584. & 585. Indiæ civis, Olei odorati pellucidi $\frac{1}{25}$ fundit. Extracta aquoſa ex duobus poſterioribus parata plane inertia ſunt. *Ad Ventriculum Roborandum Infuſis Vinoſis aut Spirituoſis immiſcentur, recipiuntur quoque in Trageas, Morſulos &c. Extus Epithematibus Roborantibus adjiciuntur.*

CARDIACA, *Agricome*, *Herzgeſpann. Folia* cuneiformia, tribus lobis anguſtis & inæqualibus terminata, rugoſa, petiolata, inodora, amara. Leonurus Cardiaca L. BLACKWELL Tab. 171. Paſſim per Europam & Virginiam creſcit. *Viſceribus Abdominalibus obſtructis medetur. Vulgo ſub forma Unguenti adhibetur.*

CARDUUS BENEDICTUS, *Chardon benit*, *Cardenbenedicten. Folia* oblonga, magnis ſinubus runcinata, hiſpido-ſcabra, rigide ciliata, intenſe amara; *Semina* majuſcula, ventricoſa, ſtriata, flaveſcentia, pappo rigido coronata, medul-

lam albam & dulcem includentia. Centaurea Carduus benedictus L. Blackwell Tab. 476. Europæ calidæ & Orientis propria, copioſe apud nos etiam in agris colitur. *Folia ſub forma Infuſi Aquoſi aut Vinoſi vel Extracti Aquoſi Ventriculi Roborandi & Aperiendorum Viſcerum gratia exhibentur. Semina præ aliis Seminibus dulcibus nil proprii habent.*

CARDUUS MARIÆ, *Chardon Marie*, *Mariendiſtel. Folia* ovali-lanceolata, magna & lata, profundis & magnis ſinubus laciniata, margine ciliato, ſpinoſo, reti albo picta, ſapore ſalino, cui leviſſima amarities accedit, inſtructa. *Semina* cylindroidea, obtuſa, utrinque paululum compreſſa, ſub cortice fuſco & ſplendente medullam albam includunt. Carduus Marianus L. Blackwell Tab. 79. Europæ temperatæ civis. *Eodem modo, quo antecedens olim in uſu erat.*

CARDUUS TOMENTOSUS, *Chardon ſauvage, breite Wegdiſtel. Caulis* erectus, altus, craſſus, tomentoſus, alatus, *Foliis* decurrentibus, ovato-oblongis, dentatis, dentibus ſpinas emittentibus, tomentoſis veſtitus. Onopordum Acanthium L. Paſſim per Europam obvium. Succi inde expreſſi externus uſus *multum ad Ulcera cancroſa ſananda laudatur.*

CARICÆ, *Figues, Feigen.* Sunt Ficus exſiccatæ, variæ magnitudinis, partim rotundæ, partim turbinatæ, umbilicatæ, in pulpa cute tecta flavicante, abſcondunt grana, quæ Flores potius & Semina eſſe Recentiores docuerunt; melleam dulcedinem habent. Caricæ magnæ & rotundæ a *Smyrna* denominantur, magnæ & turbinatæ a *Genua*, parvæ rotundæ, utrinque compreſſæ a *Maſſilia;* ultimæ dulcedine ſua priores vincunt, ſed illis citius corrumpuntur. Caricæ ſicciores pulvere albo obſeſſæ, nigricantes, acidæ aut auſteræ rejiciendæ ſunt. Ficus Carica L. Blackwell Tab. 125. Europæ Auſtralis indigena arbor, apud nos per hyemem ſtramine a frigoris injuria defenditur. *Comeduntur crudæ Nutrimenti loco, coquuntur ex aqua in Pectoris medelam; ſive inverſæ ſive ſub cineribus coctæ Abſceſſibus aperiendis imponuntur.*

CARLINA, CARDOPATIUM, *Ebertswurzel. Radix* fibroſa, aliquot pollices longa, extus fuſca, intus ex albo-flava,

odore

odore proprio, nauſeoſo, ſapore acri, valde amaro gaudet. Carlina Acoualis L. Blackwell Tab. 532. Creſcit in Europa temperata. Oleum deſtillatum fundere dicitur. *Olim a virtute Alexipharmaca laudata, hodie Mulo-Medicis relinquitur.*

CARNEOLUS, *Sardus, Cornaline, Carneol.* Eſt Silex variæ magnitudinis, ſemipellucidus, colore rubro, plus minusve diluto ſplendens, qui vero igni admotus, perit. Silex Carneolus L. Paſſim in Europa occurrit ſub terra diſperſus. *Iners lapis hodie exſolevit.*

CARPATICUM BALSAMUM vid. TEREBINTHINA.

CARPIO, *Carpe.* Cyprinus Carpio L. Piſcis apud nos admodum frequens culinis relinquitur. *Lapides Carpionum* ſunt cartilagines conſiſtentia & colore cornua referentes, facies earum altera linea longitudinali diviſa eſt & duabus facieculis diſtinguitur; ſitæ ſunt inter palatum & primam vertebram. *Proprias quibuſdam iſtis adſcriptas vires experientia non confirmavit.*

CARTHAMUS, *Safran batard, Saflor. Flores* ex calice deſumti aſſervantur, tubuloſi, rufi, limbo profunde quinquefido, odorem nullum, ſaporem leviſſime ſalinum habent. *Semina* alba, quatuor angulis notata, oblonga, altero extremo craſſiora, nitida, includunt nucleum dulcem, nec nauſeoſum, nec acrem. Carthamus Tinctorius L. Planta annua, Ægypti & Indiæ indigena, paſſim per Europam colitur. *Flores uſibus tinctoriis inſerviunt. Semina Purgantibus a Veteribus erant adſcripta, & ad Unciam unam ſub forma Emulſionis data; infidum medicamentum eviluit.*

CARVI, *Mattenkümmel. Semina* incurva, convexo-concava, oblonga, ſtriata, ſubnigricantia, odore & ſapore aromatico, grato inſtructa. Carum Carvi L. Blackwell Tab. 529. Creſcit per omnem Europam. Fundit Olei odorati flavicantis, acris ℥$\frac{1}{4}$. *A virtute Carminativa maxime laudatur, cibis, Infuſis, Juſculis, Clyſmatibus adjicitur. Diſcutiendi ſcopo Epithematibus quoque immiſcetur.*

CARYOPHYLLATA, *Benoite, Benedictenwurzel. Radix* ex capite craſſiuſculo fibras emittit capillares, extus rufas, intus albas, Caryophyllos redolentes, ſapore adſtringente palatum

afficientes. Geum Urbanum L. Blackwell Tab. 253. Provenit per omnem Europam. Oleum deſtillatum, album, ſpiſſum, fragrans largiri dicitur. *Ad Decocta Adſtringentia adhibetur, recentiſſime contra Febres laudata.*

CARYOPHYLLI, *Cloux de Giroffle, Nægelein.* Sunt Germina immatura Antophyllorum, aliquot pollices longa, leviter angularia, inferne obtuſa, ſuperne in quatuor lacinias æquales, quibus creberrime globus ex quatuor petalis conſtans, floris elementum inſidet, diviſa, rugoſa, rubiginoſo colore tincta, odor illis proprius, fragrans eſt, ſapor evidenter linguam urens. Varietas angulis extantioribus diſtincta *Caryophyllorum Regiorum* nomine venit. Carpuntur hæc germina menſibus Octobri & Novembri, per aliquot dies fumo exponuntur & dein Sole exſiccantur; Olei limpidiſſimi ipſis Caryophyllis minus acris, in aqua fundum petentis $\frac{1}{4}$ circiter fundunt. *Cibis, Trageis, Morſulis, Infuſis Digeſtionem promovendi ergo adjiciuntur, ſed cum Humores valde commoveant, exiguæ modo eorum doſes recipi debent. Recipiuntur quoque ad Epithemata Roborantia. Oleum gratiæ ergo Medicamentis immiſcetur, nec non ſcopo Nervino Balſama ingreditur. Oſſibus quoque carioſis, cum ſucceſſu applicatur.*

CASCARILLA, *Chacrille, Cortices* in ſemitubum convoluti, aliquot pollices longi, lineam craſſi, extus rugoſi, cinerei, intus nigri, odore proprio aromatico, ſapore amaricante, acriuſculo, aromatico inſtructi, accenſi fumum naribus non ingratum emittentes. Croton Caſcarilla L. Blackwell Tab. 578. Americæ Meridionalis & Virginiæ arbor. Cortices Olei deſtillati $\frac{1}{7}$ circiter fundunt. *Vires Roborantes edit; ſub forma Pulveris, Infuſi, Extracti exhibetur; Extractum ſpirituoſum aquoſo præſtare videtur.*

CASSAVA videatur MANIHOT.

CASEUS, *Fromage, Kæs.* Pars Lactis tenax, proprio odore & ſapore ſalino inſtructa, animali natura gaudens. Ex integro lacte paratus, butyro ſcatet, unde pinguis eſt, ex lacte ebutyrato, qui ſurgit, macer eſt. Differt quoque pro vario lacte & pro vario animali ex cujus lacte ſeceſſit; Vaccinus O-

villo minus, Aſinino & Caprillo magis tenax eſt. *Digeſtu difficilis, extus Reſolvendi & Glutinandi ergo adhibetur.*

CASSIA CARYOPHYLLATA, *Canelle girofflée, Nægelein-Rinde. Cortices* aliquot pollices longi, tenues, ſemiconvoluti, intus fere nigri, extus dilutiores, creberrime Lichene obſeſſi, odore & ſapore Caryophyllos referentes, utroque tamen remiſſiore. Myrtus Caryophyllata L. Arbor Indiæ indigena. Oleum deſtillatum fundere, obſervata eſt. *Caryophyllorum vires, ſed debiliores edit.*

CASSIA FISTULA, *Caſſe en batons. Legumina* cylindroidea pedem & ultra longitudine, craſſitie pollicem æquantia, mox rectiſſima, mox incurvata, tubere ſubrotundo terminata, lignoſa, fragilia, ex ſpadiceo nigra, ſutura longitudinali, circulis non eminentibus diſtincta, quibus intus reſpondent ſepta tranſverſalia, rigidiuſcula, inter quæ pulpa nigra, dulcis obtinet, ſeminibus ſubrotundis, duris, fulvis, nitidis fœta. Rejiciuntur legumina evidentioribus rugis obſeſſa, quorum pulpa alienum ſaporem habet, aut adeo parca eſt, ut ſemina, concuſſo legumine, ſonum edant. Caſſia Fiſtula L. Blackwell Tab. 381. Ex India Orientali & aliis Aſiæ calidioris regionibus in Americæ Inſulas, Martinicam, Dominicam &c. translata & ibi culta præſtantiora, quam in patrio ſolo legumina largitur. In noſtris hortis perpetuo in vaporario aſſervanda. Legumina recentia, in conclavi clauſo in acervum collecta, adſperſa aqua ſudare cogunt, inde illis nigredo ſurgit. Pulpæ $\frac{1}{4}$ continere dicuntur. *Eccoprotico & Diuretico ſcopo exhibentur. Leguminum Unciæ quatuor interdum ex aqua coquuntur & Alvum Ducendi ſcopo dantur, ſed conſilio minus laudando; optimum eſt Pulpam cultro ligneo, ipſo uſus tempore inde ſeparatam, ad Unciam dimidiam pro Alvo ducenda, ad Seſquiunciam vel duas Uncias Purgandi fine exhibere. Neutiquam Urina eorum, qui eam aſſumſerunt, inde tingitur, ut vulgo ſolent perhibere.*

CASSIA LIGNEA, *Mutterzimmet. Cortices* pollicem circiter latitudine, lineam craſſitie æquant, mox plani, mox in ſemitubos convoluti, colore obſcuriore Cinnamomeo, ſimili etiam odore & ſapore, vero Cinnamomo multum inferioribus

inſtructi, maſticati evidente viſcedinis ſenſu, linguam afficiunt. Varii adhuc alii Cortices colore, odore, ſapore ad Cinnamomum accedentes hoc nomine veniunt. Laurum Caſſiam Indiæ arborem LINNÆUS adducit. Laurum Malabatram *BURMANN.* Cl. BERGIUS. Laurus Indica L. Virginiæ arbor, apud nos in tepidario per hyemem aſſervanda, odore & ſapore hanc Caſſiam refert. Cortices variarum Lauri ſpecierum ad Cinnamomum accedentes Caſſiæ ligneæ ſubſtitui videntur. Subſtituitur, ſed minus bene, Cinnamomo.

CASSUMINAR, *Caſumunar*, Dicitur Radix, quæ in taleolas longitudinales & transverſas ſecta ex India Orientali advehitur, extus annulis eminentibus notata, gryſeo-fuſca, intus flava, dura & tenax, odore & ſapore ad Zedoariam accedens, qua tamen evidentiorem amaritiem linguæ imprimit. $\frac{1}{85}$ Olei odorati fundere dicitur. *Nervino & Stomachico ſcopo in Anglia primis hujus Seculi luſtris uſurpari cæpit. Dabatur ſub forma Pulveris ad Grana quindecim, in Infuſo autem ad Drachmam unam. Evileſcere videtur. Zedoaria ei ſubſtitui poteſt.*

CASTANEA, *Chataigne, Caſtanie, Keſte. Nux* ovata, plus minusve triangularis, convexo-plana, umbilico notata, inferne in exiguum mucronem tomentoſum producta, badia, ſplendens, ſub cortice tenaci, intus tomentoſo includit *Nucleum*, cuticula ſtriata & fulva tectum, album, longitudinalibus ſulcis ſtriatum, odore proprio, levi, non ingrato, & ſapore dulci inſtructum. Fagus Caſtanea L. BLACKWELL Tab. 330. Creſcit in Europa temperata. Inoculatione *Sativa* reddita Nuces majores & ſuaviores, *Marones* dictas, largitur. *Flatulentæ inſuetis, torculari preſſæ nullum Oleum, ſed Liquorem fundunt, qui Fermentationem vinoſam ſubit. Aqua coctæ vel aſſatæ in cibum recipiuntur.*

CASTOREI AXUNGIA. Improprie ita denominatum eſt Sebum, quod conſiſtentiam Unguenti habet, flavum, odorem Caſtorei, ſed minus fortem ſpirans; deſumitur ex Glandulis conglomeratis, ſub Folliculis ſtatim dicendis, ad utrumque Urethræ latus hærentibus. Caſtoris Fibri L. Quadrupedis in

Europa & America Septentrionali occurrentis. *Recipitur ad Unguenta Nervina.*

CASTOREUM, *Bibergeyl.* Duo *Folliculi* inferne contigui, dein divergentes, progrediendo magis ventricoſi, efformati e membrana coriacea, includentes ſubſtantiam nigricantem, tenacem, proprio, Cerebrum gravante, odore & ſapore amaricante præditam, inflammabilem, multis cellulis membranaceis diſtinctam. Folliculi majores, ventricoſi, ſubſtantiam ſiccam quidem, ſed non aridam continentes, fortiſſimum odorem ſpirantes, reliquis præferendi; denominantur iſti a *Ruſſia*, *Boruſſia*, aut *Dantiſco*. *Canadenſe*, quod etiam *Anglicum* appellant, folliculis minoribus ſubſtantiam aridam includens & minus odoram, rejiciendum. Ad uſus medicatos ſubſtantia nonniſi ſeorſum a folliculis ſeparata recipienda eſt. Oleum deſtillatum fundere dicitur. Hi Folliculi ad utrumque Urethræ animalis modo dicti latus prope Præputium hærent & proprio orificio in illam patent. Ex animali exemti infumatione contra corruptionem defenduntur. *Contra morbos Spaſmodicos, ſub forma Pulveris aut Pilularum intus ad Scrupulum ſemis & ultra datur. Extus Unguentis, Epithematibus, Clyſmatibus admiſcetur; admovetur quoque tanquam Odoramentum Hyſtericarum naribus.*

CATAGAMBAR, videatur CATECHU.

CATAPUTIA MAJOR, *Palmæ Chriſti, Ricini Semina, Semence de Chaſſe-taupe, Purgirkœrner.* Sunt Semina ovata, utrinque compreſſa, hilo prominente terminata, ſub cortice fragili, ſicco, nitido, nigro, lineis albis pulchre variegato, ſapore acerrimo, continent nucleum album, mitiorem. Ricinus communis L. BLACKWELL Tab. 148. Planta annua utriuſque Indiæ propria, in noſtris hortis colitur. *Validioribus Draſticis hæc Semina omnino ſunt annumeranda, eorum doſis ad Grana ſex extendi ſolet, aſt vel tantilla nimia eſt; conſultius medicamentum acerrimum nunquam datur.* Oleum unguinoſum, flaviuſculum, vix acre, ex nucleis, demto prius cortice, prorſus expreſſum, *Oleum Palmæ* appellatur; *in Colica, Nephritide, Volvulo, Vermibus*

ad unum Cochlear ſingulis horis exhiberi ſolet, uſque dum Alvum ducere cœperit; infantibus ad unam vel duas Drachmas propinatur.

CATAPUTIA MINOR, *Grains de l'Epurge, Springkœrner. Semina* parva, ovata, ſub cortice ſicco, lituris rufis variegato, nucleum continent antecedentibus etiam acriorem. Euphorbia Lathyris L. BLACKWELL Tab. 123. Planta biennis Europæ Auſtralis propria, noſtræ hyemis patiens ſparſis ſponte ſeminibus in noſtris hortis ipſa ſemet propagat. *Ex officinis releganda ſunt.*

CATECHU ſive JAPONICA TERRA, *Cachou.* Subſtantia ſicca, dura, extus rufo-nigricans, intus ex rubro-fuſca, duriuſcula, ſapore adſtringens, ſenſu primum dulci, deinde amaro inſtructa. Rejicimus fruſta arena aut aliis ſordibus inquinata, nec non ea quæ ore detenta non tota liqueſcunt. Eſt Succus aut potius Extractum aquoſum ex variis Mimoſæ L. ſpeciebus, quibus forſan alia Vegetabilia adjiciunt, paratum. Rationes, cur non ex Areca Catechu L. parari credam alio loco expoſui. Ex India nobis affertur. *Roborandi & Adſtringendi ergo Pulveribus, Electuariis &c. admiſcetur; adjicitur quoque Dentifriciis.* Adduntur ipſi varia ſuaveolentia & in variæ figuræ Trochiſcos formantur, ad conciliandam animæ gratiam, ore detinendos. Ex Indiis allati *Siri Gata Gamber* appellantur, apud nos parati *Trochiſcorum, Muſcerdarum Cachou* nomine veniunt. Hoc medicamentum olim cum Argilla miſcebant, aqua affuſa Solis calori exponebant; oriebatur inde fermentatio; ſpumam liquori fermentanti ſupernatantem colligebant & in modulis orbicularibus exſiccabant; oriebantur ita placentulæ variæ magnitudinis, aliquot pollices latæ, extus ſaturius flavæ, intus pallidiores, ſapore amariuſculo, ſubadſtringente præditæ, quas *Catagamber* appellabant; & ad eoſdem cum terra Catechu uſus adhibebant.

CATUS, *Chat, Katze.* Felis Catus L. Quadrupes per omnem Europam frequentiſſimum; largitur *Axungiam* inſipidam, inodoram, albam, quæ Unguenti conſiſtentiam habet & a reliquis hujus generis pinguedinibus vix differre videtur.

CAOUTCHOU, *Reſina Elaſtica.* Reſina, quæ ſub varia figura globorum, lagenarum &c. variis figuris exſculptorum ad nos adducitur, inſipida, inodora, fuſca, interdum nigra, igne cum elaſticitatis jactura liquabilis, accenſa minus gratum fumum emittens. Eſt Succus arboris copioſe in America Meridionali creſcentis, cujus genus quamvis Monœciæ adſcribatur, determinatum tamen adhucdum non eſt; Succum lacteum inciſione ex arbore elicitum ſingulatim per ſtrata, quorum quodlibet prius fumi ope exſiccandum eſt, antequam novum quodque applicatur, inducunt modulis ex Argilla confectis: ſi reſina iſtam quam ipſi dare volunt, craſſitiem habet, tunc aquæ ope Argillam inde eluunt, ſive ſi Argilla cocta fuerit, diffringunt & fruſta e cavo auferunt. Ob inſignem ſuam elaſticitatem ab Americanis ad ſyringes, lagenas, calceos, ocreas &c. adhibetur. Tanta ejus tenacitas eſt, ut fruſtum 12 lineas longum, 5 ½ latum & ¾ craſſum, in longitudinem 37 ½ linearum extendi poſſit. Nec in Aqua, nec in Spiritu Vini ſolubile eſt, in Oleis ſi diſſolvitur, ſuam elaſticitatem perdit, dum autem Æthere Vitrioli diſſolvitur, poteſt in modum Americanis uſitatum modulis ex cera obduci, quæ juſta craſſitie adepta calore aquæ ebullientis inde eliquanda eſt, *& ita inde poſſunt tubi formari ad uſus Chirurgicos apprime facientes.*

CENTAURIUM MINUS, *petite Centaurée, Tauſendguldenblumen. Flores* rubri, infundibuliformes, quinquefidi, calycibus & extremitatibus ſuſtentati aſſervantur, inodori, amariſſimi. G e n t i a n a C e n t a u r e u m L. Blackwell Tab. 452. Per omnem Europam reperitur. *Dantur ſub forma Infuſi Aquoſi, Vinoſi, Spirituoſi, Extracti Aquoſi, Conſervæ vel Syrupi ad roborandum Ventriculum & reſerandas Obſtructiones Viſcerum Abdominalium.* Aqua inde deſtillata nauſeoſum & ſatis evidentem odorem ſpirat, acri ſapore linguam afficit.

CENTUMNODIA, *Sanguinalis, Renoue, Fraicaſſe, Weggras. Cauliculi* geniculati, teretes, ſcabri, inſtructi *Foliolis* utrinque acuminatis, glabris, integerrimis, ſubadſtringentibus. P o l y g o n u m A v i c u l a r e L. Blackwell Tab. 315.

Per omnem Europam vulgare. *Adſtringendi ſcopo olim tam extus quam intus adhibebatur.*

CEPA, *Oignon, Zwiebel. Radix* bulboſa, mox ſphæroidea, mox utrinque compreſſa, ſive alba, ſive rubra, ſub aliquot tunicis ſiccis & ſtriatis carnem albam, quæ linguam, nares & oculos valide afficit, includens. Albæ minorem quam rubræ acrimoniam habent. *Folia* viridia ſunt, fiſtuloſa, in medio ventricoſa, odorem & ſaporem Radicum habent, ſed mitiorem. Allium Cepa L. Copioſe in agris & hortis colitur. Aqua inde deſtillata olida eſt. *Radices & Folia in cibum non tam nutriendi, quam potius condiendi cauſa recipiuntur. Albæ Radices ſcopo potiſſimum Pectorali Juſculis incoquuntur. Cepæ ſub cineribus aſſatæ Hypogaſtrio imponuntur pro pellenda Urina. Adhibentur quoque Abſceſſibus maturandis.*

CEPA OBLONGA, *Ciboule, Jacobszwiebel.* Bulbus ovali-oblongus, hinc planus, inde convexus, tunicis albis veſtitus, carne alba efformatus, antecedentis odorem & ſaporem habet, ſed mitiorem. Allium fiſtuloſum L. Iisdem cum antecedente locis colitur. *Culinis duntaxat relinquitur.*

CEPA SECTILIS, *Schnittlauch. Folia* fiſtuloſa, ſubulata, acuta, ſtriata, odore & ſapore proprio antecedentibus vicino inſtructa. Allium Schœnopraſum L. Alpibus proprium copioſiſſime in hortis colitur. *Uſibus cibariis inſervit.*

CERA, *Cire, Wachs,* Subſtantia ſolida, tenax, calore liqueſcens, colore citrino, & proprio odore non ingrato inſtructa, ab Ape Mellifica L. ex antheris florum collecta, deglutita & e corpore denuo emiſſa, pro exſtruendis favis & claudendis cellulis adhibita. Obtinetur ex favis, melle privatis, dum cum aqua coquuntur, calore liquefacta Cera aquæ ſupernatat; quodque a coctione de favis remanet, torculari committitur, & reliqua Cera inde exprimitur, inhærentes ſordes eadem liquefacta ad fundum ſecedunt & cultri ope a refrigerata auferuntur. Soliditas, color citrinus & odor Ceram commendant. Durius Ceræ genus, magisque rufum, plus minus fuſcum, proprio nec ingrato odore inſtructum, ab Apibus ex corticibus variarum arborum deſumtum, hæc animalcula ad Alvearium fiſſuras claudendas & ſuſpendendos favos adhibent:

Propolis,

Propolis, *Stopwachs*, *Bienenwachs* dicitur Cera humectata, Solique ſubjecta colore & odore privatur, majorem firmitatem acquirit & *Cera alba* appellatur. *Cera Reſinarum effectus edit, nec Humores commovet, & intus quoque cum ſucceſſu exhibetur. Longe plurima Unguenta & Emplaſtra ingreditur, eisque juſtam ſpiſſitudinem conciliat.* Adjectione Therebinthinæ emollita & vario pigmento tincta, variam *Ceram ſigillatam* efformat. *Oleum inde deſtillatum* admodum olidum & acre eſt. *Laudatur contra Perniones, fiſſam Epidermiden &c.*

CERASA, *Ceriſes*, *Kirſchen.* Sunt fructus variæ magnitudinis, variæ figuræ, varii coloris, parvi *Meriſes*, *Waldkirſchen:* cordiformes, lateribus compreſſis, *Bigarreaux*, *Herzkirſchen* dicuntur, ad baſin concavi, in apice obtuſo-rotundati, pulpam plus minusve firmam, varie coloratam, ſive dulcem, ſive acidam, rariſſime amaricantem præbent. *Oſſiculum* includunt magis aut minus rotundum, glabrum, in quo hæret *Nucleus* albus, ovatus, acutus, dulcis. Prunus Ceraſus L. Blackwell Tab. 449. In omni Europa vulgaris; plurimæ varietates in hortis coluntur. Fructus plerarumque varietatum menſis imponuntur. Officinæ Ceraſa auſtera L. *Amarellen* recipiunt, in vicis noſtratibus copioſa. *Eadem Refrigerandi cauſa vel exſiccata cum aqua coquuntur, vel ſub forma Gelati aut Syrupi exhibentur;* ex his Ceraſis Fermentationis & Deſtillationis ope paratur Spiritus gratiſſimus *Kirſchenwaſſer.* Aqua Nucleis abſtracta grate ſapit & olet. *Nucleis vires Diureticæ adſcribuntur.*

CERASUS RACEMOSA, *Ceriſier à grappe*, *Elſenbaum.* *Fructus* vix Piſo majores, glabri, nigri, ad baſin quam minime excavati, pulpa pauca, nigro-fuſca, ſaporis aciduli, ſubadſtringentis. Prunus Padus L. Paſſim in Europa creſcit. In tanta gratorum Ceraſorum quantitate vix in uſum recipitur. Lignum ſuaveolens tornatorum in uſum migrat.

CERASORUM GUMMI. Eſt Gummi ex variis noſtratibus *Pruni* ſpeciebus exſudans, in maſſas variæ magnitudinis concretum, plus minus fuſcum, inſipidum, inodorum; ob ſordes, ſi quas habet, in aqua diſſolvitur, per linteum dejicitur, & denuo inſpiſſatur. *Gummi Arabici vires habet, ſed debiliores.*

CEREFOLIUM, *Cerfeuil, Kœrbelkraut.* *Folia* læte viridia, duplicato-pinnata, pinnis parvis integris & inciſis, exigua ſpinula terminatis, nervis hinc inde pubeſcentibus, ſuſtentata petiolis convexo-planis, ſulco notatis, odoris & ſaporis proprii, grati & aromatici. Scandix Cerefolium L. BLACKWELL Tab. 236. Planta annua Europæ Auſtralis propria ubique colitur & ſponte diſperſis Seminibus perpetuatur, nec hyeme læditur. Oleum deſtillatum fundere dicitur. Succus inſpiſſatus, evidenter ſalinus, non levem odoris jacturam facit. *Ad omnis generis Obſtructiones reſerandas, Humores ſpiſſos attenuandos, Tuſſes pertinaces, vitia Cutanea ſananda, ſive Juſculis incoctum, ſive Succus inde expreſſus exhibetur; Succi inſpiſſati Uncia una de die dari ſolet; Extus cum ſucceſſu Tumoribus induratis, partibus Sugillatis imponitur; Aqua inde abſtracta efficax, Oleum coctum iners eſt.*

CEREVISIA, *Bierre, Bier.* Eſt liquor vinoſus ex Infuſo Granorum Cerealium, germinaſcere coactorum, quæ *Maltæ* nomine veniunt, decoctione & ſubſequente fermentatione vinoſa confectus; conſiſtentia, colore, ſapore, vi inebriandi pro varietate Cerealis unde paratur, exſiccationis Maltæ, modi fermentationis, reliquorum præterea additamentorum multum variat. Omnis Cereviſia Aquam, Alcohol, partes gummoſas & reſinoſas continet. *Diluendi, Roborandi, Urinam pellendi ergo a Medicis præſcribitur, ita tamen, ut Cereviſiam tenuem ſaturatæ nunquam non præferant.*

CERVUS, *Cerf, Hirſch.* Cervus Elaphus L. Quadrupes copioſe per Aſiam & Europam occurrit; *Hinnuli, Faon, Hirſchkalb* aliquot menſibus non majoris, & anniculi *Subulonis, Daguet, Spieshirſch*, Caro in cibum recipitur. *Cornua* bina baſi *Mercin, Geweih* unita, corpore *Perche, Stange* formantur, cujus amplitudo progrediendo creſcit & varios ramos *Andouillers, Ende* emittit, quorum baſis tumida *Meule, Roſe* dicitur; nigricantia ſunt, tuberculis, *Pierrures, Perlures, Perlen* obſeſſa. Radula comminuta moleculas referunt ex albo nigricantes. *Cornu Cervi Raſpatum*, ſive *Raſura Cornu Cervi*, interdum etiam rejecto cortice nigricante, quæ huic ſubeſt portio

alba in tenuia ſecamina alba tornari ſolet *Cornu Cervi Tornatum*, quod cum parte medullari careat, antecedente minus ad ſcopos medicatos aptum eſt. *Decoctis Demulcentibus adjicitur, ſed diuturnam coctionem requirit, Gelatina, cujus ſiccæ* $\frac{1}{5}$ *circiter largitur, inde parata Juſculis Hecticorum & Febre lenta laborantium adjicitur; eadem ad ſiccitatem uſque evaporatur Gelatina Cornu Cervi ſicca, ad Pulveres demulcentes recipitur. Typhi, Crües, Kolben.* Cornua tenella, cylindroidea, apice craſſo, rotundato inſtructa, ſub cute craſſiore, extus tomento & pilis obſeſſa, ſubſtantiam oſſeam, ſanguinolentam, ſpongioſam includunt; *Nutrimentum minus bonum largiuntur.* Aqua inde abſtracta iners eſt. *Medulla* linimenti conſiſtentiam habet, ſanguinolenta, præ aliis pinguedinibus vix aliquid proprii habere videtur. *Os de Corde Cervi* planum, album, figura ſua irregulare, inſipidum eſt, portio Cordis ad ortum utriuſque orificii arterioſi indurata, *omnino iners. Sebum* ſolidum & album ad fines medicatos relatum ab aliis ſebis non differre videtur.

CERUSSA, *Blanc de Plomb*, *Bleyweis.* Eſt Plumbum, vapore Aceti in calcem albam verſum, ſapore adſtringens, ſub forma tam lamellarum friabilium *Schieferweis* quæ eſt ſinceriſſima, quam panum conoideorum charta involutorum, proſtat; hæc vel *Veneta* vel *Belgica* dicitur, poſterior in majores panes coacta, majore terræ inertis copia adulterata eſt. *Ad Exſiccandum Impetigini, Eryſipelati autem Diſcutiendi ergo inſpergitur. Creberrime ſub forma Emplaſtri aut Unguenti adhibetur.*

CETERACH, *Milzkraut. Folia* parva, pinnatifida, pinnis ovatis, obtuſis, integris, alternis, confluentibus, tota pagina inferior, maculis ferrugineis obſeſſa eſt, inſipida, inodora. Aſplenium Ceterach L. BLACKWELL Tab. 216. Europæ Meridionalis civis. *Leniter Adſtringit, ejus Infuſio aquoſa multum ad pellendum Sabulum laudatur.*

CETI, *Baleine, Wallfiſch.* SPERMA, *Blanc de Baleine, Wallrath.* Subſtantia alba, pinguis, proprio odore & ſapore inſtructa, e lamellis ſiccis & ſplendentibus compoſita, eſt Pinguedo in propriis Encephali variorum Ceti generum receptaculis hærens, quæ ſive inde deſumta, ſive ex animalibus putredine reſolutis effluxa, frigore deinde in floccos albos denſata

Marique innatans collecta, lotione a ſanguine, expreſſione per torcular, & Alcali ope a peregrino, quod ipſi adhæret, Oleo purgatur, in fruſta diſſecatur, Sole & Aëre exſiccatur. Sperma Ceti, quod vel leviſſimum flavedinis ſivė rancoris veſtigium habet, rejiciendum eſt. Veram pinguedinem cum Alcali Saponem quoque efformare, recentiſſima experimenta docuerunt. *Vires Demulcentes & Antiſpaſmodicas edit. Datur cum aliquo ſapone junctum ad Drachmam unam pro doſi ſub forma ſive Pulveris ſive Linctus; extus Unguentis ſive Emplaſtris ad Fiſſuras labiorum ſanandas aut Lac in Mammis ſtagnans diluendum admiſcetur.*

CHAMÆDRYS, *Germandrée, Gamænderlein. Folia* parva, ovata, inciſo-crenata, nitida, brevibus petiolis inſtructa, inodora, amara. Teucrium Chamædrys L. BLACKWELL Tab. 80. Obtinet in Europa temperata & in Oriente. *A vi Reſolvente & Aperiente laudatur; Arthriticis maxime commendatur & Febre Intermittente laborantibus. Recipitur ad Infuſa.* Extractum cum aqua parandum eſt.

CHAMÆPITYS, *Ivette, Schlagkrætlein.* Folia hirſuta, oblonga, trifida, odore leviſſimo, ſapore amaro & ſubaromatico inſtructa. Teucrium Chamæpitys L. BLACKWELL Tab. 528. In iiſdem ac præcedens locis, in Aſia præterea Africa & America creſcit, *ad ſimiles quoque uſus adhibetur.*

CHAMOMILLA ROMANA, *Camomille Romaine, Rœmiſche Camillen. Flores* compoſiti, calice hæmiſphærico, imbricato, tomentoſo comprehenſi, radiati, ligulatis radiorum floribus albis, linearibus; diſcus efformatur tubuloſis floribus flavis, quinquefidis, paleis diſtinctis, odorem proprium, non ingratum ſpirantibus, ſapore amaricante, leviter aromatico, linguam afficientibus. Anthemis nobilis L. BLACKWELL Tab. 526. Paſſim creſcit in Europa. In Germania Varietas floribus plenis recipitur, quæ vero quo minus odorata & ſapida, eo minus etiam efficax eſt. Cl. BAUMÉ inde Olei cœrulei (mihi flavum exhibuerunt) $\frac{1}{4395}$ obtinuit. *Viribus cum ſequente æquipollens ad internos potiſſimum uſus adhibetur.*

CHAMOMILLA VULGARIS, *Camomille, Camillen.* Flores ab antecedentibus, nonniſi diſco conoideo, radio de-

flexo, receptaculo nudo, odore minus grato differunt. Matricaria Chamomilla L. Blackwell Tab. 298. Copioſa per omnem Europam. Olei pulcherrime cærulei $\frac{1}{2000}$ largiuntur. *Ad præcipua Antiſpaſmodica referuntur, intus cum aqua Infuſi ſive in Pulverem redacti exhibentur. Extus Diſcutiendi inſuper ſcopo ad Epithemata, Cataplaſmata, Balnea, Clyſmata recipiuntur. Oleum deſtillatum ad paucas Guttas intus datur. Oleum coctum Abdomini illinitur, ad Clyſmata recipitur; conſultius duxerim illud Infuſionis ope parare.* Utraque Chamomilla Flores *Cotulæ Fœtidæ*, quos Anthemis Cotula L. largitur, ex officinis excluſit, nonniſi a Pharmacopœis ignaris interdum Chamomillæ Vulgari ſubſtitui ſolitos.

CHEIRI, *Girofflé, gelbe Violen oder Nægelein. Flores* petala ex calice exemta, obovata, obtuſa, lutea, quæ gratum, quem recentes ſpargunt odorem exſiccata amittunt, ſapore amaricante nonnihil etiam ſalino inſtructi ſunt. Cheiranthus Cheiri L. Blackwell Tab. 179. Europæ Auſtralis proprius, apud nos omnino perennat, nec hyeme læditur. *Ob virtutem ſuam Emenagogam partim ad Infuſa Aquoſa recipiebantur, partim Succus eorum expreſſus exhibebatur.*

CHELIDONIUM MAJUS, *Chelidoine, Schœllkraut. Radix* fibroſa, recens tota crocea, ſuccum etiam croceum fundit, exſiccata vero fuſca eſt, ſaporis acris, odoris nauſeoſi, medulla gryſea, inodora, ſapore minime fortis. *Folia* pinnata, pinnis in aliquot lobos ovatos, obtuſos diſcedentibus, ſupra glauca, infra hirſuta, recentia minus grate olent, ſucco croceo acriuſculo ſcatent. Chelidonium majus L. Blackwell Tab. 91. Per omnem Europam vulgare. *Aperiendi ſcopo Radix recens ad Juſcula recipitur, exſiccatæ Pulvis ad Drachmam unam pro doſi datur; eundem in finem Succum ex Foliis expreſſum ad aliquot Drachmas aliquoties de die propinant.*

CHELIDONIUM MINUS, *petite Eclaire, Feigwartzwurzel. Radix* ex bulbulis cylindroideis, extus gryſeis, intus albis, acriuſculis efformata. *Folia* longis petiolis ſuſtentata, reniformia, glaberrima, dentata, levi Naſturtino ſapore linguam afficientia. Ranunculus Ficaria L. Blackwell Tab. 51.

Vulgaris per Europam. *Radices recentes Veſicantem virtutem habere dicuntur. Folia recentia ad Juſcula Aperientia recipiuntur; cum Axungia frixa Hæmorrhoidibus applicantur.*

CHERMES GRANA. *Folliculi* piſorum magnitudinis, rotundi, unde portio inferior reſecta fuiſſe videtur, ex rubro fuſci, ſplendentes, intus grana minima, ſive ſanguinei, ſive flaveſcentis coloris, pulverem referentia continent, ſapore amaricante & leviter flaveſcente, odore tenui non ingrato imbuti; ſunt exuviæ femellarum Cocci Ilicis L. in Quercu Coccigera L. Blackwell Tab. 186. Europæ Meridionalis & Archipelagi indigena, apud nos in frigidario contra hyemem defendenda, habitantis, ſuper ſua ova exſiccatarum, Aceto conſperſæ, ne ova, a quibus pigmentum inde parandum pendet, excludantur; *Roborandi & leviter Adſtringendi ergo ad Semidrachmam ſub forma Pulveris exhibentur;* ſed majoris omnino efficaciæ eſt *Succus*, qui ex Folliculis recentibus in Aquitania expreſſus, addita pari Sacchari quantitate a corruptione defenſus, ſub nomine *Succi Chermes* per orbem divenditur, pulcherrimo colore purpureo nitens, admodum ſuavi odore æque ac ſapore præditus. *Ad Unciam ſemis ſive ſeorſum ſive Julapiis, Electuariis &c. admiſtus exhibetur.*

CHINÆ CORTEX, *Cortex Peruvianus, Quinquina.* Fruſta ad dimidium vel ultra etiam convoluta, vix digiti longitudinem excedentia, extus ſcabra, bruneo-fuſca, intus ferruginea, ſæpe Lichene obſeſſa, odore proprio aromatico, cui aliquid mucidi accedit, ſapore aromatico, amaricante, leviſſime ſubadſtringente. Cinchona officinalis L. Arbor procera, in regni Peruviani præfecturæ Quito montibus copioſa, tractum ultra 50 milliaria extenſum occupans. Cortices inde a Septembri ad Novembrem uſque menſem deglubuntur in libero aëre, ſæpius agitati, exſiccandi. Rejiciendi ſunt Cortices multum amari, aliquid ſtyptici aut viſcidi, linguæ imprimentes, integram lineam craſſi, læves, non convoluti, & ſi franguntur filamentoſi. Remedium *Comiti Cinchon* detectum, primum *Cardinali de Lugos* miſſum, dein a *Jesuitis* medio ſeculi ſuperioris diſpenſatum, inde quoque denominatur. Extra-

cti aquoſi $\frac{3}{8}$, Reſinoſi $\frac{1}{5}$ inde obtinui. *Princeps remedium contra morbos Periodicos, Gangrænam, Putredinem, Obſtructiones Viſcerum, Spinam ventoſam. Datur ſub forma Pulveris quam ſubtiliſſimi.* Sunt qui contendunt, Pulverem ad priores piſtilli ictus ſurgentem minus efficacem eſſe, ſed oculus ſane minimam modo differentiam inter portionem pulveris, quæ prima ſurgit & eam ſequentes detegit, nec pulverem a Magnete trahi obſervare potui. *Doſis eſt ad Drachmam ſemis; exhibetur porro Aqua aut Vino Infuſus, nec non ejus Decoctum vel Extractum, Pulvis etiam, ope aquæ in Cataplaſma redactus, Ventrique impoſitus, quo ſcopo duæ Unciæ Infantibus, quinque autem adultis tribui ſolent; quin & Balneis admixtus, receptusve in Clyſmata, ſalubritatem ſuam probavit. Nutricibus exhibitus lactantes curat.*

CHINÆ RADIX. Geniculata, nodoſa, multis tuberculis obſeſſa, ponderoſa, inſipida, inodora, ſub cuticula ex bruneo ruſeſcente, medullam includit albam, nonnihil etiam ruſam, ſolidiuſculam. Rejicimus Radices leviores, quæque rariorem aut ſpongioſam medullam habent, nec non illas, quæ ex America trajiciuntur, ſive nigricantes, ſive evidentius ruſas; Smilax China L. Blackwell Tab. 433. Chinæ, Japoniæ, Perſiæ indigena. Aqua cum Radice cocta rubra evadit. *Decoctum ad varii generis Acrimoniam Humorum corrigendam adhibetur.*

CHRYSOLITHUS. Veteribus Topaſium hoc nomine veniſſe contenditur. Hodie ita appellatur Gemma ceteris omnibus mollior, ex viridi ſubflava, in igne colorem amittens, & in vitrum abiens. Borax Gemma nobilis Viridis Chryſolithus L. In India Occidentali, Bohemia, Sileſia deprehenditur. *Uſus ejus in Medicina eviluit.*

CICERA, *Pois Chiches, Kickererbſen.* Semina rotunda, Piſis majora, ruſa, inferne in acumen producta, hinc inde leviſſime compreſſa, ſub cortice ruſo-fuſco abſconditam medullam flavicantem, inſipidam continent. Cicer Arietinum L. Blackwell Tab. 557. Planta annua, Europæ Meridionalis & Syriæ indigena, apud nos in hortis colitur. In regionibus calidioribus, eoque culturæ Piſorum minus amicis, id genus copioſe

colitur & in ciborum numero habetur. *Ad Decocta Diuretica recipiuntur. Farina eorum extus ad Epithemata & Cataplaſmata Reſolventia & Abſtergentia adhibetur.*

CICHORIUM, *Chicorée, Wegweis. Radices* fuſiformes, ſub cuticula leviſſime fuſca, una cum carne dulci medullam albam & amaram abſcondunt. *Folia* petiolis latis ſuſtentata, ex fine anguſto dilatantur, laciniis latis progrediendo creſcentibus dentata, viridia, utrinque aliquantulum hirſuta, amara. Cichorium Intybus L. BLACKWELL Tab. 177. & 183. Vulgaris per Europam planta; quæ in hortis colitur per omnes partes major, foliorum etiam laciniæ minus profundæ evadunt, & non raro purpuram æque ac radix admittunt. Folia plantæ in hortis cultæ, terra obruuntur, ut alba fiant & amaritiem deponant, quo facto *in Acetaria recipiuntur. Radices & Folia Humores reſolvunt, unde Aperientes & Refrigerantes ipſis adſcribuntur vires; illarum frequentior, quam horum uſus eſt. Recentes vel Juſculis adjiciuntur, vel Saccharo condiuntur; exſiccatæ ad Decocta recipiuntur, Extractum earum aquoſum efficax eſt.*

CICUTA, *Cigue, Schierling.* Folia triplicato-pinnata, glabra, ſaturate viridia, odore fœtido, ſapore leni inſtructa. Conium maculatum L. BLACKWELL Tab. 451. Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem. Deſtillata per ſe planta Spiritum Ammoniacalem fundit. Succus in formam Extracti inſpiſſatus $\frac{7}{8}$ perdit, fœtidus eſt, ſalſus, nauſeoſus, humiditatem ex Aëre attrahit, quocirca ad ſervandam ejus juſtam conſiſtentiam herba in pulverem redacta temperandus eſt. *Folia largiore quantitate comeſta Veneni Narcotici effectus edidiſſe Obſervatores docent; Succum inſpiſſatum, qui ſub Extracti nomine aſſervatur, validiſſimum medicamentum Reſolvens eſſe & deſperatiſſimos morbos curare maximi Viri experti teſtantur. A medicationis initio quatuor aut ſex Grana Extracti bis de die dantur, augetur inde ſenſim doſis; ad Unciam uſque unam unius diei doſin citra ullum incommodum auctam fuiſſe, relatum lego; dantur quoque Folia ſub forma Infuſi aquoſi. Eadem extus, ſub forma Cataplaſmatis, cum ſucceſſu Partibus Induratis imponuntur.*

CICUTA AQUATICA, *Waſſerſchierling. Radix* magna, craſſa,

craſſa, flaveſcens vel vireſcens, geniculis, quibus intus prominentes circuli reſpondent, diſtincta, odore vel ſapore Apio propinqua. *Folia* magna, bipinnata pinnis linearibus, ſerratis, glabris, minus quam Radix odora, ſapore etiam inferiora. Cicuta viroſa L. BLACKWELL Tab. 574. a b c. Creſcit paſſim per Europam. *Præcedente virulentiorem eſſe aſſerunt Obſervatores; exſiccatione fere effœtam reddi perhibent.* Non inepte pro Emplaſtro de Cicuta hæc recipi jubetur. *Succum in modum antecedentis ad Drachmas tres uſque datum, & Decocti ſaturati largam quantitatem abſque ullo ſive bono ſive malo effectu fuiſſe ingeſtam, a magni nominis Obſervatore notatum lego.*

CINA, *Santonicum, Semence Contra, Wurmſaamen.* Semina, quæ ex Orientalibus regionibus advehuntur, oblonga, exigua, plus minus flava, intermixtis ſtipitibus immunda, ſapore amaro & nonnihil acri, odore proprio, forti, nauſeoſo imbuta. Ex *Aleppo* allata optima ſunt, hæc excipiunt *Orientalia,* quæ rurſus *Indica* poſt ſe relinquunt, quibus exigui floſculi non aperti intermixti eſſe videntur, *Barbara* ſeu *Africana*, ex cauliculis maxime efformata, ſunt viliſſima. Artemiſia Contra L. Perſiæ ac Mogolis regno propria. *Vermibus potiſſimum infeſta feruntur. Datur ſub forma Pulveris; nauſeoſi medicamenti vix ultra Scrupulum unum ægroti deglutire ſolent, quapropter hæc doſis aliquoties de die eſt repetenda; Infantibus ſub forma* CONFECTIONIS SICCÆ *exhibetur.*

CINERES CLAVELLATI, *Cendres gravellées, Potaſſe, Potaſche.* Sal in maſſas variæ magnitudinis inſpiſſatus, ex albo ac cœruleo bicolor, odoris expers, ſaporis lixivioſi, in Aëre diffluens & ſi quidem purus eſt, omnibus Alcali vegetabilis qualitatibus præditus. Paratur ex cineribus arborum maxime atque fruticum, ex quibus aquæ ope extrahitur; aqua eo imprægnata, *Lixivium* dicta, evaporatur ad ſiccitatem; Sal hac ratione obtentus in fornace reverberatoria calcinatur, neque prius inde, quam penitus ignitus fuerit, deſumitur. Cineres clavellati nunquam non Tartaro Vitriolato, Sale communi, ſordibus etiam polluti ſunt, ab his ſolutione in aqua frigi-

da purgantur; qui Salem communem habent ad uſus Chemicos ſaltem inepti ſunt. *Cineres Clavellati depurati omnes Alcali fixi vegetabilis vires habent.*

CINNABARIS, *Minium Veterum.* Eſt minera pulcherrimo rubro colore ſplendens, ponderoſa, variæ magnitudinis maſſas efformans. Hydrargyrum Cinnabaris L. In Palatinatu, Hungaria, Idria, Japonia &c. ex montibus effoditur. Rariſſime ad uſus medicatos, nec niſi a ſordibus, quæ ipſi fere adhærent, ſublimatione purgata recipitur. *Cinnabaris factitia*, cum multo minoris veneat, neque tamen viribus inferior ſit, commode ſubſtituitur.

CINNAMOMUM, *Canelle, Zimmet. Cortices* convoluti, prælongi, teneri, ex variis laminis tenera charta non craſſioribus conſtantes, glaberrimi, odore proprio, fragrantiſſimo, ſapore aromatico, linguam feriente, quadantenus dulci inſtructi. Laurus Cinnamomum L. Blackwell Tab. 354. In Zeylona creſcit; Cortex ejus intermedius noſtrum aroma conſtituit. Eadem arbor in Martinica creſcens exhibet Cortices a Zeilonicis minore longitudine, craſſitie majore linea tamen minore, ſuperficie rugoſa, ſapore acriore, odore paulo minus fragrante differentes, quibus nomen *Cinnamomi Indici* dederunt. Proſtant præterea ab aliquot retro luſtris germina fuſca, colore Caryophyllorum aromaticorum profundiore tincta, pedunculo concolori, oblongo, ſenſim craſſiori, gracili, ſtriato inſidentia, rotunda, calice ſexfido, laciniis ſtriatis ad germen adeo reflexis, ut ejus nonniſi apex breviſſimo ſtylo inſeſſus proſtet, odore perfuſa & ſapore ad Cinnamomum Zeylonicum accedente, utroque vero paulo remiſſiore; dicuntur improprie *Flores Caſſiæ*, nec non *Clavelli Canellæ* ab exactiſſima figuræ cum claviculis capitulo rotundatis ſimilitudine, *Grains du Canellier.* Interdum quoque occurrunt *Nuces Cinnamomi*, fructus Olivæformes ad Baccas Lauri accedentes, glabri, quaſi lævigati; ſub cortice fragili, inodoro, primum dulciculo, Cinnamomum fere reſipiente, dein adſtringente, nucleum abſcondunt ſuperne compreſſum, ſub cuticula ferruginea medullam albiſſimam, inodoram & inſipidam continentem.

Olei deſtillati exiguam modo quantitatem fundit, magna quippe ejus parte ab aqua non ſecedente. $\frac{1}{11520}$ inde obtentum fuiſſe lego: idem ex Zeylona advehitur dilute aureo colore inſignitum, ſuavitatis, virium quoque Cinnamomi egregie conſors. Claviculi Oleum fundunt Oleo Cinnamomi haud abſimile, quanquam pauxilla eſt, quæ inde obtinetur, portio. Aqua Cinnamomi ſubſtantiæ, unde deſtillavit, viribus præ reliquis id genus quibuscunque imprægnata eſt; Oleo prægnans omnino lacteum colorem habet. *Suaviſſimum Aroma Nervino & Stomachico ſcopo ad Infuſa, Morſulos, Pulveres &c. recipitur. Elæoſaccharum frequenti in uſu eſt. Oleum Mixturis contractis immiſcetur. Dentibus quoque carioſis Goſſypio inſtillatum immittitur.*

CITREUM MALUM, *Medicum Malum, Limon, Citron.* Pomum ovato-oblongum, variæ magnitudinis, variæ figuræ, creberrime ſuperne in papillam eductum, inferne calice notatum, rugoſum, ſub *Cortice* extus flavo, fragrante, aromatico, leviſſime amaro, intus coriaceo, albo, vix ſapido, qui interna ſubſtantia demta, *Flavedo* dicitur, *Pulpam* includit, in officinis *Carnem* dicunt, in plures loculos diſtinctam, tenuem ſpargentem odorem, *Succo* turgentem flavicante, varii, pro varietate fructus, ſaporis, *Semina* inſuper continentem ſubflavida, ovato-gibba, ſtriata, amara, vix odora. Ad uſus autem medicatos nonniſi acida recipiuntur poma. Citrus Medica L. BLACKWELL Tab. 361. Eadem ejus ac Aurantii patria, eadem colendi ratio eſt, frigoris duntaxat non perinde patiens. Suaviſſimi *Olei*, quod etiam *Quintam Eſſentiam* nominare ſolent, ex centum malorum Corticibus Unciam unam exprimi obſervatum eſt. In *Succo*, quem ſeorſum aſſervamus, limpido, odoro, acido, leve modo relinquitur flavedinis veſtigium. *Cortices* Saccharo in condituram ſiccam redacti ſub nomine *Citronade* per orbem divehi ſolent. In Corticibus *Vires agunt Nervinæ & Stomachicæ. Infuſis adjiciuntur; conditi ſeorſum comeduntur. Electuariis, Morſulis &c. admiſcentur, cibis adduntur; Pulpa Corticibus juncta condimenti loco culinis inſervit. Refrigerandi, ſitim Sedandi & Antiſcorbutico ſcopo cum aqua decoqui-*

tur. Succus ad eoſdem uſus Mixturis, Julapiis &c. immiſceri, vel in Rotulas aut Syrupum cogi ſuevit. Oleum voluptatis gratia extus æque ac intus uſurpatur.

CITRULLUS, *Anguria, Melon d'eau, Waſſermelon.* Poma rotunda, non raro caput humanum amplitudine excedentia, viridia, lineis nigris mox latioribus, mox anguſtioribus diſtincta, duplici pulpa referta, exteriore altera ſolidiore, pallida, palato minus grata, altera interiore fere diffluente, ſanguinei coloris, dulciſſimi ſaporis, ſola in cibum recipienda, odoris Cucumerini; in intima pulpa nidulantur *Semina* mediocris magnitudinis, oblongo-ovata, inferne contracta & marginata, utrinque compreſſa, ſub cortice nigro, fragili, nucleum album, inferne acutiſſime terminatum, inodorum, dulciculum continentia. Cucurbita Citrullus L. Blackwell Tab. 157. In Oriente, Italia Meridionali ſponte creſcere dicitur; Semina ex Aſtracan miſſa reliquis, ſi planta propter fructum colitur, præferuntur; apud nos nonniſi in fimetis ſub campanis adoleſcunt, multoque difficilius, quam Melones, ad juſtam maturitatem perveniunt. *Dulciſſima pulpa ad Edulia Refrigerantia refertur; Semina inter quatuor frigida majora locum tenent.*

CLEMATIS *Liene, Flammula Jovis, Lienen.* Folia aliquot pinnarum paribus pinnata, pinnæ majuſculæ, petiolatæ, ovato-oblongæ, inter maſticandum acrimonia quidem, ſed modice linguam afficiunt; exſiccatu omnem fere acrimoniam exuunt. Clematis Recta L. In Europa Meridionali & Orientali, nec non in Aſia Septentrionali habitat, noſtras hyemes patientiſſime fert. *Folia recentia, Cuti impoſita Rubefacientes imo Veſicantes effectus edere jam a longo retro tempore experimenta docuerunt. Sanguinis Depurandi cauſa foliorum exſiccatorum ſemuncia cum duodecim Libris aquæ infunditur & partitis vicibus quotidie hauritur; Pulvis Ulceribus ſordidis & Carni fungoſæ inſperſus ſalubritatem ſuam probavit expertis.*

COBALTUM. Hoc nomine minime proprio paſſim in Pharmacopoliis proſtat Minera Arſenici arida, ſtriata, nigra. Arſenicum poroſum L. haud infrequenter in montibus

deliteſcens. *Ad necandas muſcas inconſulto adhibetur. Ab uſu omnino arcendum.*

COCCIONELLA, *Cochenille.* Inſecta duas circiter lineas longa, utrinque rugoſa, coloris intus punicei, extus atro-ruſi, odoris vacua, ſaporis leniter adſtringentis, nonnihil etiam nauſeoſi, & empyreuma reſipientis. Coccus Cacti L. In regno Mexicano, Carolina & Georgia patriam ſedem habet, ad Antequara Provinciæ Guaratæ urbem ſuper variis *Opuntiæ* ſpeciebus colitur; inſecta, ſive aqua ebulliente, ſive calentibus laminis ferreis, enecata nobis mittuntur. Colore purpureo perfuſa, qui Acido affuſo exaltatur, Alcali profundior redditur, Coccionella Tinctoribus potiſſimum inſervit, *Urinam propellere dicitur; præcipue ad infucanda medicamenta adhibetur.*

COCCOGNIDIUM nequaquam *Granum Cnidium* Veterum. *Semence de Laureole, Seidelbaſtſaamen.* Semina rotunda, Piſi magnitudinem fere æquant, in brevem apicem exeuntia; ſub cortice fuſco, fragili, ſtriato, nucleum oleoſum, acerrimum includunt. Daphne Mezeræum L. Blackwell Tab. 582. Frutex per omnem Europam præter maxime Meridionalem obvius. *Horum Granorum doſin admodum exiguam primas Vias vehementer irritaſſe, imo excitata Inflammatione mortem intuliſſe referunt Experti; quocirca ab eorum uſu abſtinent cauti.*

COCCULI. Nuces ſubrotundæ, magnitudine Piſa majora referentes, gryſeæ, rugoſæ, non raro pedunculo ſuſtentatæ, ſub Cortice tenaci nucleum reniformem, amariſſimum & fervido ſapore linguam afficientem includunt. Meniſpermum Cocculus L. Blackwell Tab. 389. Frutex in India Orientali creſcens. *Ad uſus internos nunquam adhibentur, ineſcandis piſcibus inſerviunt, qui inde vertigine corripi adeo, ut aquæ ſupernatantes manibus capi poſſint, dicuntur; Pulvis locis Pediculoſis inſpergitur.*

COCHLEARIA, *Herbe aux Cuillerées, Lœffelkraut.* Folia magnis petiolis innixa, ſubrotunda, cordata, angulata, facie prona, leviter depreſſa, odorem, niſi manibus conterantur, admodum tenuem, exſiccatione una cum ſapore amittunt, relicta aliquanta amaritie. Creſcit ad littora Maris; in Corſica quoque obvia, apud nos in hortis culta per totum annum recens carpi

poteſt. Spiritus Vini quam aqua ipſi accommodatior eſſe, Oleumque deſtillatum inde obtineri dicitur. *Laudatur ad aperienda Viſcera Abdominalia; Antiſcorbuticorum princeps habetur. Ad varios uſus medicatos partim recentia folia Juſculis infunduntur, partim Succus inde exprimitur, qui etiam ad Gingivas fricandas adhiberi ſolet.*

COCHLEA, *Limaçon, Schnecke.* Ex numeroſa gente inter nos recipitur Helix Pomatia L. cujus teſta ſubovata eſt, prior anfractus reliquis multo major, decolor, umbilicata, conoidea. In Europa temperata vulgaris, nimia etiam ſui frequentia noſtrorum hortorum peſtis, muco privata crebro in cibum recipitur. *Demulcendi ergo ex Jure coquuntur Cochlearum ad decem uſque cum Unciis duodecim menſtrui aquoſi. Teſtæ neque id genus neque ceteræ ullas præter Abſorbentes vires habent, vel rariſſime in uſum trahuntur.*

CODAGAPALA, *Cropal, Profluvii Cortex, Caneſſi Rinde.* In tubulos, aliquot lineas craſſos, convolutus adduci, niger, ſuperficie nigra Lichene tecta, ſaporis amari & auſteri eſſe dicitur. Nerium Antidyſentericum L. Humilis arbor in Malabaria & Zeylona creſcens. *A Britannis potiſſimum ad ſiſtendam Diarrhœam laudabatur, a Lichene purgatus & in Pulverem redactus ad Drachmam ſemis dabatur aliquoties de die.* Hoc medicamento, cum plura alia ad eundem ſcopum facientia habeamus, carere facile poſſumus.

COLCHICUM, *Faule Fuden.* Radix bulboſa, ſubrotunda, uno latere gibba, ſquamis inde rejiciendis tecta, ſub cuticula flava carnem albam includit, odore minus grato nares, & ſi verno tempore effoditur ſapore acri quidem, ſed nec rodente, nec inflammante linguam afficit. Colchicum Autumnale L. Blackwell Tab. 566. Creſcit in Europa temperata. *Ventriculi juſto vehementius irritamentum eſſe, imo lethales inde effectus excitatos fuiſſe Obſervatores docent. Hodie ſcopo Diuretico Oxymelli immiſcetur.*

COLOCYNTHIS, *Coloquint.* Pulpa cortice nudata, variæ magnitudinis, ſubrotunda, ſicca, candida, fungoſa, levis, ſex loculis diſtincta, *Semina* concludens ovata, com-

preſſa, flavicantia, modice amara, ſaporem habet amariſſimum, acrem, odorem nauſeoſum. Cucumis Colocynthis L. Blackwell Tab. 441. In Archipelago & Oriente creſcit; apud nos inſtar Citrullorum colenda; copioſa mucilagine turget. *Pertinet ad validiora Draſtica, graviſſima Tormina inde excitata, imo ipſum Sanguinem ex vaſis Inteſtinalibus extortum fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Hanc virulentiam Veteres ope Mucilaginis Tragacanthæ corrigere tentarunt & TROCHISCOS inde, ALHANDAL nominatos, formarunt; ſed hæc corrigendi ratio, cum effectu fere prorſus fraudarit Obſervatores, hodie tranſiit hoc nomen ad Pulpam in tenerrimum pulverem redactam. Pulpa hoc modo parata interne ſola datur, ſed ad pauca modo Grana Pilulis ſtimuli loco adjicitur. Semina aqua probe lota Emulſionem præbere, nec amaram, nec purgantem lego. Pulpa ſcopo Anthelmintico Umbilico imponitur; ad tres Drachmas uſque Clyſmatibus irritantibus adjicitur. Extractum aquoſum Pulpa multo mitius eſſe, ejuſque ad Grana ſex uſque doſin augeri poſſe, reſinoſum vero valde torminoſum eſſe, aſſeritur.*

COLOMBO RADIX. Taleolæ pollicares, irregulariter rotundæ ſive longitudinaliter ſectæ, ſub cortice rugoſo & bruneo medullam flavicantem, leviſſime ſtriatam, laxiuſculam concludunt, odoris fere expertes, guſtu amaræ; recenter allatas Cuminum redolere lego. Ex urbe Colombo Inſulæ Zeylon advehitur. *Laudatur a vi Antiſeptica, & Roborandi ergo in Cholera, Vomitu, Diarrhœa, Dyſenteria ad Drachmam unam ſingulis trihoriis exhibetur.*

COLOPHONIUM, *Reſina nigra, Bray ſec, Geigenharz.* Reſina ſolida, ſplendens, fuſco-rufeſcens, fragilis, fractura plana, nitente, vix odora, inſipida. Eſt reſiduum a *Terebinthina* deſtillationi per ſe ſubjecta. *In modum Reſinæ Vulgaris in Emplaſtra recipitur, Suffitus ejus Prolapſibus medetur.*

COLUBRINUM LIGNUM, *Bois Couleuvrée, Schlangenholz.* Fruſta dimidium circiter pedem craſſa, ſolida, ponderoſa, alba, quadantenus etiam luteſcentia, cortice tecta caſtaneo, rugoſo, tuberculis aſpero, inodora, intenſe amara. Strychnos Colubrina L. Blackwell Tab. 403. Creſcit in India. *Sunt, qui inde effectus Narcoticos ſurrexiſſe dicant, alii contra Febres & Vermes laudant. Anceps medicamentum merito exſolevit.*

CONCHÆ, *Coquilles, Muſcheln.* Sunt domunculæ Teſtaceorum, quæ aqua penitus ablutæ ad uſus medicatos adhibentur, ſaporis & odoris expertes, Calcarei qualitatibus inſtructæ; ex omni Vermium teſtaceorum genere deſumi poſſunt. Apud nos vulgo a Mya Pictorum L. copioſiſſime fluviis inhabitante deſumuntur. *Earum Pulvis quippe a* CROLLIO *tanquam ſpecificum ad Febres intermittentes enixe commendatus, SPECIFICUM ANTIFEBRILE* CROLLII *cognominatur. Præter Abſorbentes nullas vires habent.*

CONSOLIDA MAJOR videatur SYMPHYTUM.

CONSOLIDA MEDIA videatur BUGULA.

CONSOLIDA MINOR videatur BRUNELLA.

CONSOLIDA REGALIS, *Calcatrippa, Pied d'Alouette, Ritterſpærlein.* Corolla pentapetala, irregularis, patens, acuta, nectario antice bifido, hiſpido, in calcar educto inſtructa, inodora, amara. Delphinium Conſolida L. BLACKWELL Tab. 29. *Præter vires cum omnibus amaris communes, nullas proprias habet.*

CONSOLIDA SARACENICA, *Verge d'or, Heidniſch Wundkraut.* Folia ex ovatis oblonga, argute ſerrata, acute terminata, leviter aſpera, pallidius viridia, guſtu leviter adſtringentia, nonnihil amara. Solidago Virgaurea L. Ubique in Europa creſcit. *Tam intus, quam extus Traumatico ſcopo aſſumitur; Infuſum ejus vires Antinephriticas edere animadverſum eſt.*

CONTRAJERVA. Eſt Radix fibroſa, plurimis fibrillis inſtructa, rugoſa, extus fuſca, intus pallida, tenui odore, ſapore ſubadſtringente, leviſſime aromatico inſtructa. Dorſtenia Contrajerva L. BLACKWELL Tab. 578. ſeq. In America Auſtrali creſcit. Spiritus Vini magis quam Aqua ad ejus vires recipiendas idoneus eſt. *Contra morbos Malignos olim magnopere commendabatur.*

CONYZA CÆRULEA, *Blau Dürrwurz, Berufkraut.* Folia lanceolata, hirſuta, integerrima, utrinque villoſa, acriuſcula, inodora. Erigeron Acre L. Paſſim per Europam invenitur. *Olim in Germania maxime Incidendi ſcopo ad Infuſa Pectoralia recipiebatur.*

CONYZA

CONYZA MEDIA, *Dürrwurz.* Folia ſagittata, cordato-ovata, leviſſime ſerrata, rugoſa, tomentoſa, levi odore, ſapore acriuſculo inſtructa. Inula Dyſenterica L. Paſſim per Europam obvia. Inepte olim Arnicæ ſubſtituta, *interdum contra Dyſenteriam dabatur.*

CONYZA VULGARIS, *Groſſe Dürrwurzel.* Folia majora, ovato-lanceolata, paulum acuta, hirſuta, utrinque tomentoſa, leviſſime ſerrata, non admodum odora, guſtu ſubaromatica. Conyza ſquarroſa L. Vulgaris Europæ planta. *Ob virtutem Emenagogam a quibusdam laudatur.*

COPAIBA BALSAMUM. Limpidiſſimum eſt, ſpiſſitudinem habet inter Terebinthinam & Olea unguinoſa mediam, colorem pallide citrinum, odorem proprium non prorſus ingratum, ſaporem amarum punctim acutum & linguæ diu inhærentem. Copaivera L. Braſiliæ, Cajennæ, Carthagenæ civis, ex trunco arboris ſauciato Balſamum effluit. Olei odorati non colorati $\frac{1}{5}$ inde obtinui. *Circa medicamenti hujus, quippe multum calidi uſum internum cautiſſime verſandum eſt. Abſtergendi & Conſolidandi cauſa ad Guttas decem in vehiculo ſaponaceo datur. Solutio ejus in Spiritu Vini Tartariſato ſub titulo TINCTURÆ BALSAMI PERUVIANI ALBI proſtat; multum exæſtuans medicamentum.*

COPAL GUMMI. Fruſta variæ magnitudinis, pugnum interdum æquant, pallide lutea, pellucida, dura, inodora, inſipida. Color dilutius citrinus, durities, pelluciditas, indiſſolubilitas in Spiritu Vini ſunt indicia bonitatis. Ex regno Mexicano advehitur, origo ejus adhucdum ignoratur. Igne funditur, fuſumque Oleis diſſolvitur unguinoſis, quibus alias nullæ ſunt in ipſum vires. *Oleis Rorismarini, Lavendulæ, Benzoës, Balſamo Copaibæ, Terebinthinæ* diſſolvi dicitur, nec non Alcohole, ſiquidem cum Camphora fuerit tritum. Diſſolvitur Alcohole, quod ſub digeſtione *Tincturæ Tartari* deſtillat. *Unice ad Vernices adhibetur.*

CORALLIA ALBA, *Corailles blancs, weiſſe Corallen.* Fragmenta proſtant in officinis parva, lapidea, ſubinde ramoſa, copioſiſſimis foraminibus, ſtellæ figuram referentibus ex-

ſculpta, alba, inſipida, inodora. Madrepora Oculata L. Blackwell Tab. 342. & 343. Magna ejus copia colligitur in Oceano Indico. *Vires præter Abſorbentes nullas habet.*

CORALLIA RUBRA, *Corailles rouges, rothe Corallen.* In officinas recipiuntur fragmenta exigua, gracilia, lapidea, creberrime ramoſa, integerrima, rubra, odoris æque ac ſaporis vacua. Iſis nobilis L. Maris Mediterranei propria. *Vires cum præcedentibus pares, Roborantes nullas habet.*

CORALLINA, *Mouſſe marine, Corallen oder Meermoos.* Fragmenta articulata articulis ovato-ſubcuneiformibus, pinnatis, duriuſcula, friabilia, odore nauſeoſo, marino, ſapore ſalino inſtructa. Corallina officinalis L. In Mari Anglico & Mediterraneo obtinetur. *Pulveribus Anthelminticis adjicitur.*

CORIANDRUM, *Coriander.* Semina rotunda, umbilicata, ſtriata, cava, flavicantia; recentia Cimices redolent, exſiccata proprium & gratum odorem ſpirant, ſapor etiam gratus eſt & aromaticus. Coriandrum Sativum L. Blackwell Tab. 176. Italiæ & Paleſtinæ indigenum, apud nos in agris colitur. Olei deſtillati $\frac{1}{477}$ fundere dicitur. Ad eliciendas ejus vires Spiritus Vini aptior quam aqua eſt. *Formidine mali liberrimum, cum ſucceſſu ſcopo Carminativo uſurpatur.*

CORNA, *Cornouilles, Cornel oder welſche Kirſchen.* Fructus umbilicati, figura Olivas referentes, magnitudine Ceraſa, rubri, ſub tenui cuticula carnem continent dulcem, paululum etiam adſtringentem, in qua reconditum duriſſimum oſſiculum, drupam fere æquat, duosque nucleos exiguos concludit. Cornus Mas L. Blackwell Tab. 121. Copioſa arbor in Europa temperata. *Vires ei fructibus horæis communes ſunt, aliquatenus etiam Adſtringentes. Rob inde paratum proſtare ſolet.*

CORONOPUS, *Corne de Cerf, Kræhenfus.* Folia nervo lato crenata, pinnatifida, pinnis cuneiformibus, progrediendo majoribus, jam integris, jam inciſis, guſtu acriuſcula. Cochlearia Coronopus L. Blackwell Tab. 120. Europæ haud infrequens planta. Huic potius, quam inſipidæ *Plantaginis* ſpeciei *Vires Diureticæ adſcribendæ ſunt.*

COSTUS. Radicis Cortex aliquot pollices longus, interdum etiam ſeſquipedalis, dimidium circiter pollicem craſſus, extus flavicans, medulla laxa profundius tincta fartus, convolutus, Violas redolens, ſapore evidenter amarus & acer. Coſtus Arabicus L. BLACKWELL Tab. 394. Creſcit in utraque India. *Stomachicis, Becchicis, Diureticis adſcribitur. Infuſum Spirituoſum aquoſo efficacius eſt.* Coſti in amarum & dulcem diſtinctio nulla eſt.

CRANIUM HUMANUM. Medicamentum nonniſi anilibus fabulis & abſurdiſſima ſuperſtitione nixum, jure eviluit. Aſſervabantur hoc nomine Oſſa Parietalia.

CRASSULA, *Telephium*, *Orpin*, *Repriſe*, *fette Henne*. Folia ſeſſilia, ovata, obtuſa, plana, craſſa, dentata, glauco-viridia, ſubdulcia. Sedum Telephium album L. Paſſim in Europa occurrit. *Succus inde expreſſus Refrigerandi & Demulcendi ſcopo ad aliquot Uncias pro doſi datur.*

CRETA, *Craie*, *Kreide*. Maſſæ variæ magnitudinis, partim molliores, partim duriores, ſiticuloſæ, cum Acidis effervescentes, digitos maculantes, ad ducendas lineas aptæ, igne in calcem abeuntes. Calx Creta L. Maximam ejus copiam Europa ſuppeditat, ſive per ſtrata collocatam, ſive diſperſam. *Ad Abſorbendum intus valet; ad Exſiccandum extus Impetigini inſpergitur.*

CREPITUS LUPI videatur BOVISTA.

CRITHMUM, *Bacile*, *Fenouil de Mer*, *Meerfenchel*. Folia, pinnis pinnata integris, trifidis, oblongis, craſſiuſculis, ſubacria. Crithmum maritimum L. Ad Maris littora creſcit, apud nos in frigidario ab injuria hyemis defenditur. *Ad excitandam eſuriem ſub forma Acetarii comeditur; propter vires etiam Aperientes celebratur.*

CROCUS, *Saffran*. Stigmata fulva, filiformia, inferne anguſtata, odore proprio, forti, Cerebrum gravante, ſapore aromatico, amaro inſtructa, aliquantum etiam tenacia. Rejiciuntur, quæ digitos preſſa non polluunt, levem admodum aut peregrinum odorem ſpirant, quæque filamentis albis aut luteis intermixtis diſtincta ſunt. Crocus ſativus officinalis L. Creſcit in Europa calida, noſtræ hyemis patien-

M 2

tiſſima. Paſſim per Europam colitur. Optimus eſt ab *Oriente* ſive *Auſtria* denominatus, cui tamen *Vaſtinienſis* neutiquam cedit; *Maglianenſis* in Pulverem redactus præ reliquis uberius tingit. Olei deſtillati pauxillum fundere dicitur. *Humores valide attenuat, ad remedia Becchica & Emenagoga recipitur; Putredini reſiſtit. largius ſumtus Affectus ſoporoſos excitat. Datur ad Grana decem ſub forma Pulveris in quem ut poſſit conteri, clibano prius exſiccandus eſt. Extus Reſolvendi & Sopiendi cauſa ad Cataplaſmata, Epithemata &c. recipitur.* Miror de medicamento parva doſi efficaci *Extractum* parari.

CRUCIATA, *Croiſette, gelb Kreutzkraut. Folia* ovata, ſeſſilia, acutiuſcula, hirſuta, cauli tetragono, hirſuto inſidentia, ſapore quam minime amaricantia. Valantia Cruciata L. Blackwell Tab. 76. *Olim ejus tam internus, quam externus contra Hernias uſus erat.*

CRYSTALLUS MONTANA. Proſtant in officinis Fragmenta pellucida, alba, duriſſima, angulata, limæ vim omnem repellentia, nec aqua, nec acidis, nec igne fundenda, inſipida, inodora. Nitrum Cryſtallus montana L. Reperitur in montibus. *Omnis virtutis medicinalis expers eſt.*

CUBEBÆ. Capſulæ rotundæ, pedunculatæ, Piperi circiter figura & magnitudine aſſimiles, rugoſæ, granum ex rufo nigrum, intus album, odore proprio fragrans, ſapore acre, aromaticum continent. Majores, nucleo ventricoſo fœtæ, ceteris præferuntur. Planta unde colliguntur in *Pharmacopœa Suecica* ſarmentoſa eſſe dicitur & Piperis caudati nomine venit. In Aſia Meridionali provenit. Exiguam quantitatem Olei Eſſentialis mitis fundere dicuntur. *Ratione virium mitiores, ceterum Piperi rotundo æquiparabiles ſunt.* Utrum Aqua an Spiritu Vini extrahantur, nihil intereſt.

CUCUMIS, *Concombre, Cucumer. Fructus*, antequam ad plenam maturitatem pervenerit, recipitur oblongus, plus minus cylindraceus, frequenter incurvus, imparibus tuberculis obſeſſus, colore in tempore viridis, quo vero propius ad maturitatem accedit, eo magis pro plantæ, unde deſumitur, varietate vel flaveſcit, vel albeſcit. *Pulpa* quam maxime ſucco-

ſa, proprio odore, dulciculo ſapore prædita, *Semina* complectitur parva, compreſſa, utroque apice obtuſa, alterutro tamen emarginata, ſub cortice flavicante medullam albam & dulcem includentia. Cucumis Sativus L. BLACKWELL Tab. 4. Conſtantinopoli & in Ægypto ſpontaneus, apud nos ſub diu per plures varietates colitur; *Citrullis viribus par, præcipue ſub forma Acetarii aſſumitur, cui ſcopo, qui ſuccum inde ante exprimunt, incongrue agunt. In vi Aperiente laus ejus ponitur egregia. Fructus tenelli Aceto & Sale conditi CORNICHONS cum carne comeduntur, ex condimentis maxime dijudicandi. Semina quatuor frigidis majoribus adjiciuntur.*

CUCUMIS ASININUS, *Concombre ſauvage, Eſelskürbis.* Radix craſſa, fibroſa, alba, inodora, inſigniter amara. Momordica Elaterium L. BLACKWELL Tab. 108. Europæ Auſtralis civis, in hortis noſtris ſponte ſparſis ſeminibus propagatur. *Medicamentum a Veteribus pro valde Draſtico habitum ad Scrupulum uſque datum, extus quoque Diſcutiendi ſcopo in uſum tractum, noſtro ævo ab uſu medicato ſummo jure fere removetur.*

CUCURBITA, *Courge, Kürbis, Pfaffenhütlein. Fructus* variæ magnitudinis, ſubrotundus, apice depreſſus, tuberculis notatus, flavus, *Pulpam* præbet ſicceſcentem, flaveſcentem, fere inſipidam, *Semina* continentem majora, utrinque plana, ovata, margine tumido cincta, concluſus *Nucleus* dulcis eſt & albus. Cucurbita Melopepo L. Apud nos in agris colitur. *Ab infima plebe in cibum recipitur. Semina quatuor frigidis majoribus adduntur.*

CULILAWAN CORTEX. Fruſta lineam circiter craſſa, ſeſquipollicem lata, plana, interdum concava, colore cinnamomeo perfuſa, tenera & rugoſa epidermide tecta, texturæ laxioris, odore fragranti, Caryophyllos referente, ſimili ſapore, ſed mitiore prædita. Laurus Culilaban L. Arbor Indiæ Orientalis. Exiguam portionem Olei limpidi, quod L. Saſſafras & Caryophyllos ſapit, fundere dicitur. *Medias inter Caſiam ligneam & Caryophyllatam vires poſſidere videtur.*

CUMINUM, *Rœmiſcher Kümmel.* Hodiernum evidenter ab eo, quo Veteres utebantur, differt. Semina majuſcula, ovato-

oblonga, ſtriata, ex gryſeo-flaveſcentia, odore & ſapore aromatica, non admodum grata. Cuminum Cyminum L. Ægypti & Palæſtinæ indigenum, in Sicilia & Melito colitur. Olei odorati $\frac{1}{32}$ largiri dicitur. *Rarius intus ſcopo Carminativo datur; Extus ad Diſcutiendum ſub forma Epithematis adhibetur.*

CUPRESSUS, *Cyprès. Lignum* ſub cortice ferrugineo ex albo flavicat, abſque ullo odore, ſaporem leviſſimum habet; *Folia* ſunt pinnata pinnis imbricatis, viridia, guſtu adſtringentia, odoratu reſinoſa; *Nuces,* Veteribus *Galbuli,* ſunt Coni ſubrotundi, dimiſſis ſeminibus, ex ſquamis conſtantes clavos referentibus, uni communi axi affixis, ſuperne gryſeis, inferne rufis, ſapore ſunt adſtringentes, nec non aliquatenus reſinoſi & ſalini. Cupreſſus ſempervirens L. Græciæ & Aſiæ indigena arbor, noſtræ hyemis patiens eſt. *Omnes Cupreſſi partes, & præ cæteris Nuces, vires Adſtringentes habent; hæ ad Drachmam dimidiam intus olim dabantur.*

CUPRUM, *Æs, Cuivre, Kupfer.* Metallum rubrum, odore proprio, ſapore nauſeoſo inſtructum, poſt Ferrum difficillime funditur & fluens pulcherrimis micat coloribus, tardius exuritur, quam cetera, quæ ignobilia dicuntur, metalla, mediæ inter Aurum & Ferrum firmitatis, malleabilitate Argento ſuppar, novies fere aqua gravius eſt. Sive Nativum, ſive ſub forma variarum Minerarum Natura ſubminiſtrat; menſtruis quibuſcunque ſolubile, aëre in viridem calcem vertitur. *Tam extus quam intus effectus Rodentes edit, quapropter ab uſu ejus medicato uſquequaque abſtinendum, quin & inſtrumenta inde parata, cum fere nunquam ſatis cautus eorum ſit uſus, a culinis æque ac pharmacopoliis, me quidem judice, tutius prohibentur.*

CURCUMA, *Terra merita.* Radix tuberoſa, geniculata geniculis cylindraceis vel ſubrotundis, rugoſis, extus pallidioribus, intus ſplendentibus, rufo-croceis, odoris leviſſimi, ſaporis aromatici. Curcuma longa L. Blackwell Tab. 396. Creſcit & colitur in omni India aquoſa; apud nos ſemper in vaporario aſſervanda. Olei odorati aliquantulum fundere dicitur. *Primas vias Roborat, Obſtructiones Abdominales tollit. Datur ad Scrupulos duos ſub forma Pulveris, ad Drachmas duas cum aqua infuſa.*

CUSCUTA, *Epithymum, Flachsſeide, Goutte de lin.* Filamenta longa, tenerrima, multis tuberculis obſeſſa, ſapore vix dum acriuſculo prædita. Cuſcuta Europæa L. Paraſitica planta, variis Vegetabilibus, apud nos præcipue *Euphorbiis*, innaſcitur. *Olim Purgantibus adſcripta hodie uſu fere deſtituta.*

CYANUS, *Bluet, Kornblume.* Flores aſſervantur e calyce evulſi, tubuloſi, profunde quinquefidi & ultra, cærulei, inodori, inſipidi quidem, aquam vero, qua cum infunduntur, amaram reddentes. Centaurea Cyanus L. Blackwell Tab. 270. Creſcit per totam Europam. *Olim Reſolvente & Diuretico ſcopo ad Infuſiones adhibebantur. Aqua inde deſtillata utique iners ad Collyria recipitur.*

CYCLAMEN, *Artanita, Pain de pourceau, Schweinbrod.* Radix tuberoſa, leviter depreſſa, ſubrotunda, forinſecus nigricans, intus candida, inodora, ſapore recens quidem acris, ſubacerba, exſiccata vero fere penitus inſipida eſt. Cyclamen Europæum L. Blackwell Tab. 147. Europæ Orientalis & Meridionalis ſolum natale habet, noſtras hyemes innoxias experitur. *Viribus Purgans vulgo habetur, olim ad Drachmam unam ſub forma Pulveris, ad Unciam ſemis in Infuſo exhibebatur.*

CYDONIA, *Coings, Quitten. Poma* variæ magnitudinis, qua rotunda a *Malis*, qua turbinata a *Pyris* denominata, umbilico eminenter angulato inſignita, epidermide aurea, tomento obſeſſa, carnem complectuntur firmam, luteſcentem, quinquelocularem, fragrantem, evidenter adſtringentem, acidam, *Semina* continentem ovata, muco obducta, corticis ſpadicei, medullæ albæ, ſaporis fatui. Pyrus Cydonia L. Blackwell Tab. 137. Arbor ex Creta in Italiam advena, paſſim in Europa & ſponte & cultura provenit. Pomum recens nimis acerbum varia ratione conditur Saccharo, in taleolas diſſectum & exſiccatum miteſcit & ad Decocta adhibetur; *Roborantes & Adſtringentes vires edit. Semina in aqua contuſa in Mucilaginem formantur, quæ intus quidem ad Os, Fauces, Ventriculum &c. Refrigerandi & Demulcendi ergo extus vero ad Ambuſta, Fiſſuras; Ophthalmiam ſanandam conducit. Drachma una Seminum, ſex aquæ Uncias ad conſiſtentiam Mucilaginis exſpiſſat.*

CYMBALARIA, *Linaire des Montagnes, Cymbelkraut.* Folia reniformia, longius petiolata, ſucculenta, ſuperne atro-viridia, inferne interdum purpuraſcentia, inodora, leviſſime ſalſa. Antirrhinum Cymbalaria L. Vulgatiſſima per Europam temperatam planta. *In Aperiendo vis ejus hinc & inde laudatur, tam cum Juſculis recens coquitur, quam Succus ejus expreſſus exhibetur.*

CYNOGLOSSUM, *Langue de Chien, Hundszunge. Radix* oblonga, craſſiuſcula, extus ex atro-rubens, intus alba, odoris, recens minus grati, exſiccata prorſus vacua, guſtu fatua. *Folia* ſunt oblonga, acuminata, utrinque alba, nec odora, nec ſapida. Cynogloſſum officinale L. BLACKWELL Tab. 249. Creſcit, qua late patet Europa. *Planta ab omni retro tempore innoxia habita, ſuperiori demum ſeculo, incerta obſervationum auctoritate in ſuſpicionem adducta, experientia tandem magnorum Virorum noxæ omnino exemta eſt. A vi Relaxante laudatur, hodie rarius uſurpatur.*

CYNOSBATOS, *Gratte-cul, Hagenbutte, Butte.* Fructus ovalis, coronatus calycis laciniis, lævis, nitidus, ruber, intus flaveſcens, tenui odore, ſapore grato paulum vinoſo inſtructus, Semina ſubovata, pilis rigidiuſculis inhærentia continet; aſſervatur in longitudinem diſſectus, a pilis æque ac ſemine penitus purgatus. Roſa Canina L. BLACKWELL Tab. 8. Non modo per totam Europam, ſed etiam in Aſia & America offenditur. *Comeduntur hi fructus in Rob redacti, adhibentur cum aqua decocti, Scopo Roborandi & Urinam pellendi.*

CYNOSBATI FUNGUS, *Bedeguar, Schafkunz.* Eſt excreſcentia Roſæ fruticis, quæ variam magnitudinem habet, ſubrotunda, rubra, ſpongioſa, fibris pulchre & varie flexis cincta, intus cava, odoris nullius, ſaporis leniter adſtringentis; formatur a Cynipe Roſæ L. *Adſtringentes vires habere dicitur, alias etiam Vulgus ipſi affingit.*

CYPERUS LONGUS, *Souchet long.* Radix duriuſcula, calamo anſerino craſſior, geniculata, circulis & nodulis notata, extus rufa, intus pellucidior, ſuaviter odora, guſtu aromatica. Cyperus longus L. Galliæ Meridionalis & Italiæ

civis,

civis, noſtras hyemes fert. *Propter vim Roborantem & Diureticam olim celebrabatur.*

CYPERUS ROTUNDUS, *Souchet rond.* Radices tuberoſæ, ovatæ, Olivarum magnitudinis, extus pallide ruſæ, odorem præcedentibus debiliorem, ſaporem aromaticum eminentiorem habet. Cyperus rotundus L. Creſcit in India, Syria, Ægypto. Hanc præcipue Veteres in uſum trahebant; *Eædem ipſi, ac præcedenti adſcribuntur vires.*

DACTYLI, *Dattes, Datteln. Fructus* cylindroidei, pollicares, ſuperne pulvinati, umbilico cartilagineo notati, rufi, rugoſi; *Pulpa* cuticula tenerrima obducta, viſcidula, ex rufo-flaveſcens, ſapore dulciſſima, leniſſime etiam adſtringens eſt; ſub tunica alba, ſplendente, ex pluribus lamellis conſtante, oſſiculum abſconſum eſt convexo-planum, oblongum, albidum, in facie plana ſulco notatum, intus plumbeo-violaceum, adſtringens. Rejiciuntur Dactyli profundius ſulcati, albidi, molliores, nec non aridi, flaccidi, quique concuſſu ſonant. Phœnix Dactilifera L. Blackwell Tab. 202. In Aſia, Africa & America ſponte, in Hiſpania, Luſitania & Italia Meridionali cultura creſcit; fructus in his regionibus etiam ematureſcunt, Orientalibus autem utique poſtponuntur; apud nos ſemper in caldario aſſervari debet. *Menſis ſecundis apponi ſolent; Decoctis Pectoralibus adjiciuntur, ceterorum Demulcentium relaxationis nimiæ temperamentum.*

DAUCUS CRETICUS, Semina cylindracea, villoſa, aliquantulum odora, ſapore aromatica. Athamanta Cretenſis L. Blackwell Tab. 471. Helvetiæ, Galliæ Meridionalis, Auſtriæ progenies. Aliquantum Olei odorati fundere dicitur. *Recipitur ad Infuſa Carminativa & Diuretica.*

DAUCUS VULGARIS, *Carottes, Vogelneſt, Mœhren, gelbe Ruben. Radices* fuſiformes, pro hortenſi, unde deſumuntur, varietate luteæ, albæ, rubræ, proprium aromaticum odorem, ſaporem habent admodum dulcem. *Semina* ovalia, convexo-plana, altera facie ſtriis piliſque rigidis obſeſſa, aromatici ſaporis ſunt, aliquantum etiam amari. Daucus Carota L. Creſcit qua patet Europa. Copioſe in hortis colitur.

Radices a varietate ſativa, Semina a ſylveſtri deſumuntur. Radices tanquam olus, in culinas recipiuntur, recentes raſas vel cum aqua in Cataplaſma coctas, *egregie contra Ulcera Cancroſa facere Recentiorum Obſervationes adſtruunt. Seminum vis medica cum praecedentibus aequiparatur.*

DENTALIA. Sunt Conchylia profundius ſtriata, quæ canales cylindroideos referunt, alba, inſipida, inodora, utrinque aperta, leviter arcuata. Dentalium Elephantinum L. In Oceano Indico & Europæo occurrit. *Intus Adſtringendi, extus Exſiccandi ergo olim adhibebantur.*

DENTARIA MAJOR, *Schuppenwurzel.* Eſt Radix longa, ſquamis ſibi invicem incumbentibus efformata, ferruginea. Lathræa ſquamaria L. Blackwell Tab. 130. Vix ultra Alſatiam in regiones calidiores eſcendit. *A paucis & quidem ſine ulla obſervatione contra Epilepſiam eſt laudata.*

DENTARIA MINOR, *Zahnwurzel.* Radix cylindroidea, ad angulos rectos ramoſa, alba, e ſquamis geniculata, ſaporis acris, minus grati. Dentaria Pentaphylla L. In altioribus montibus Europæ temperatæ occurrit. *Pulverata tanquam Roborans, ad Vulnera interna & Hernias ſanandas dabatur, non admodum, ut mihi quidem videtur, congruenter.*

DENTELLARIA, *Bleywurzel. Radix* cylindracea, ramoſa, ſaporis fervidi. *Folia* lanceolata, amplexicaulia, ſcabra, acerrima. Plumbago Europæa L. Creſcit in Europa calida. *Apophlegmatizandi ergo quidam Radicibus in locum Radicis Pyrethri uſi ſunt. Folia Cutim exulcerare obſervata ſunt. Oleo cum eis infuſo partes Cancroſas exſtirpatas eſſe, lego.*

DICTAMNUS ALBUS. Radices albæ, oblongæ, fere calamum craſſæ, intus ſpongioſi quid, odorem nullum habent; aquam, cum qua infunduntur, amaram reddunt. Dictamnus albus L. Blackwell Tab. 75. Europæ temperatæ civis; *Pulveris Drachma ſemis Anthelmintico & Emenagogo ſcopo commendatur.*

DICTAMNUS CRETICUS. Folia orbiculata, utrimque multo tomento obſeſſa, odorem jam in recentibus levem, ſaporem aromaticum, neque vero acrem habent. Origanum Dictamnus L. Blackwell Tab. 462. Suffrutex Europæ ma-

gis Meridionali proprius, hyeme apud nos in frigidario aſſervatur. Oleum deſtillatum fundere dicitur. *Maxime ad morbos Uterinos olim commendabatur.*

DIGITALIS, *Doitier, Fingerhut.* Folia ovatò-oblonga, rugoſa, crenata, leniter pubeſcentia, amara cum levi acrimonia. Digitalis purpurea L. BLACKWELL Tab. 16. Creſcit in Europa temperata, non ultra Haſſiam videtur aſcendere. *Emetica eſt & Hydropicis laudatur. Foliorum recentium Unciæ quatuor in triginta & duabus Unciis aquæ ad ſedecim reſiduas Uncias coquuntur & Decocti aliquot Cochlearia exhibentur. Butyro recepta contra Scrophulas extus adhibetur.*

DIPSACUS, *Chardon à Foulon, Karten oder Bubendiſtel.* Radix fibroſa, alba, valde amara. Dipſacus Fullonum L. BLACKWELL Tab. ſo. Creſcit in Europa temperata. *Nonnullos eam contra Obſtructiones Abdominales Decoctis admiſcuiſſe lego.*

DORONICUM, *Gemſenwurzel.* Radicis tuberoſæ, articulatæ, articuli proſtant, rotundi, in anguſtum finem terminati, extus flavicantes, intus albi, inodori, ſapore dulciuſculi, ſubaromatici. Doronicum Pardalianches L. BLACKWELL Tab. 239. Altiorum montium civis. *Nec venenata eſſe, nec proprias vires medicatas habere obſervata eſt.*

DRACONIS SANGUIS. Reſina, quæ in variæ magnitudinis maſſis ad nos pervehitur, nigro-rubicunda, moleculis, quandoque ſplendidis diſtincta, fragilis, fractura mox nitida, mox contra; quæ ad nos perveniunt maſſulæ foliis arundinaceis obvolutæ, plurimam partem concatenatæ, nec non majores etiam ſolitariæ exquiſiti coloris melioris notæ eſſe judicantur; proſtant vero etiam, quanquam rarius fruſta Cinnabarino colore conſpicua. Varium Arborum genus hanc reſinam largitur, illa obducti ſunt Calami Rotang L. Indiæ Orientalis fruticis fructus; exſudat ex truncis Dracænæ Draconis L. BLACKWELL Tab. 3ſ8. cum priori conterraneæ & Pterocarpi Draconis L. Americæ Meridionalis civis. Sanguis Draconis nullum odorem ſpirat, ſapor leviſſime reſinoſus eſt; flamma quam concipit, non ingratum fumum emittit; liquationem admittit. *Ab Adſtringente virtute laudatur. Adhibetur ad Dentifricia*

DRACUNCULUS, *Eſtragon, Dragun, Kayſerſalat.* Folia integerrima, anguſta, lanceolata, atroviridia, odoratu pergrata, guſtu aromatica, leniter linguam pungentia. Artemiſia Dracunculus L. Blackwell Tab. 116. Aſiæ Septentrionalis civis, apud nos copioſe in hortis colitur. *Tam in Palati gratiam, quam ad juvandam Digeſtionem Embammatibus & Acetariis adjicitur. Multo in uſu eſt Acetum cum his foliis infuſum.*

DULCAMARA videatur AMARA DULCIS.

EBENUM LIGNUM. Eſt ponderoſum, nigrum, ſplendens, ſaporis acriuſculi. Ex India advehitur, ex meditullio trunci deſumi dicitur Arboris cujus character nos adhucdum latet. *Uſus præcipuus Mechanicus eſt. Vires Ligni Guajaci olim ei tribuebantur.*

EBULUS, *Yeble, Attich. Radix* eſt alba, fibroſa, amaricans, nauſeoſa. *Folia* magna, pinnata cum impari, ſerrata, minus grate odora, amara, nauſeoſa, *Flores* aſſumuntur corymbis inſidentes pentapetali; odor eorum Floribus Sambuci finitimus, ſed minus gratus eſt; *Baccæ* rotundæ ſunt, umbilicatæ, ſaporis dulciuſculi, nonnihil amaricantis. Sambucus Ebulus L. Blackwell Tab. 488. Creſcit per totam Europam. *Radicibus vis Emetica & Hydragoga a quibuſdam tribuitur. Unciæ duæ pro doſi aqua infunduntur, ſive Succi inde expreſſi Uncia una exhibetur. Folia Œdematibus aut Eryſipelati imponuntur. Floribus his Sambuci flores præferuntur, ex Baccis ROB paratur, quod ſcopo Reſolvendi, Sudorem aut Urinam pellendi ad Unciam ſemis exhibetur.*

EBUR, *Ivoire, Elffenbein.* Dentes laniarii, variæ magnitudinis, quinque pedes & ultra longi, albiſſimi, ſenio luteſcentes, reſimi, baſi latiſſimi & cavitate conoidea non raro pedali excavati & ſtriati. Elephas maximus L. Africam & Aſiam Meridionalem inhabitat. *Raſura* fruſtulis mollioribus & Cornu Cervi albidioribus efformatur, $\frac{1}{12}$ Gelatinæ ſiccæ largitur, ut plurimum *Raſuræ Cornu Cervi* adjicitur ad augendam Gelatinæ albedinem. *Ebur uſtum*, quod perperam *Spodium* dicitur, *album* quidem *vires Cornu Cervi uſti exſerit; nigrum* vero *artibus Mechanicis materiam ſubminiſtrat.*

EBUR FOSSILE L. improprie *Unicornu foſſile*, Zoolithus Ebur foſſile L. Occurrunt non raro integri dentes, plerumque eorum fruſta majora vel minora, ut plurimum extus nigro aut gryſeo cortice obducta, ſubſtantia fragili, albiſſima, cum Acidis effervefcente efformata, in quam Os aëre, aqua &c. fuit redactum. *Cum Ebore uſto collatum nihil proprii habet.*

ELATINE, *Velvotte, Ehrenpreisweiblein.* Folia breviſſime petiolata, orbiculata, ovata, acutiuſcula, pubeſcentia, ſubadſtringentia, amaricantia. Antirrhinum ſpurium L. Creſcit in Europa temperata. *Succus inde expreſſus Ulceribus ſordidis & cancroſis ſalubris perhibetur.*

ELEMI GUMMI. Reſina quæ in magnis fruſtis flavis, ſuffuſo veſtigio viroris, inter digitos lenteſcentibus, odore proprio ad Fœniculum accedente, ſapore amaricante inſtructis ad nos transvehitur; præter ſicciorem foliis arundinaceis involutam, qualis vulgo afferebatur, proſtat & mollior, quæ in ciſtis miſſa hodie priori præferri ſolet. Amyris Elemifera L. Americæ Meridionalis Arbor. Igne liqueſcit. Oleis ejus aliquantula tantum pars diſſolvitur. $\frac{1}{16}$ Olei odorati fundere dicitur. *Adhibetur ad conſolidanda Vulnera.*

ENTALIA. Conchylia recta, lævia, penitus cava, utrinque pervia, albiſſima. Dentalium Entalis L. Eandem cum Dentaliis patriam habent & *ad eoſdem ſcopos adhibentur.*

ENDIVIA, *Intybus, Scariola, Chicorée, Endivien. Folia* inferne anguſtata, pro varietatum diſcrimine mox lata & ſinuata, mox anguſta, laciniis acutis laciniata, lacteo ſucco turgent, amara; *Semina* cylindracea flavicant, angulis quatuor eminentibus notata, pauciſſimam medullam leviſſime ſalinam includunt. Cichorium Endivia L. Blackwell Tab. 378. In Palæſtina ſponte creſcere dicitur, copioſe apud nos in hortis colitur. *Vires Cichorii exæquat. Folia, cum ſint ſuccoſiora, efficaciora etiam eſſe videntur; colligata aut terra tecta cum virore amaritiem deponunt & in uſus culinares recipiuntur. Seminum, quatuor frigidis minoribus adſcriptorum, uſus abolevit.*

ENULA, *Helenium, Aunée, Alant.* Radix craſſa, mul-

N 3

tifida, extus fuſca, exſiccata gryſea, intus alba, odore haud ingrata, ſapore acris, amaricans. Inula Helenium L. Blackwell Tab. 437. Creſcit in Europa temperata. Pauxillum Olei odorati ſpiſſi fundere dicitur. *Humores attenuat, Solida ad Excretionem ſtimulat. Datur cum Aqua infuſa. Extus contra Scabiem laudatur.*

EPITHYMUM videatur CUSCUTA.

EQUISETUM, *Prêle, Queue de Cheval, Katzenwadel.* Cauliculi virides, nodis diſtincti, ex quibus prodeunt ſetæ prælongæ, fragiles, mediocriter adſtringentes & leviter ſalini. Equiſetum arvenſe L. Blackwell Tab. 217. Creſcit per totam Europam. *Viribus Adſtringendi & Urinam pellendi prædita olim credebatur.*

ERICA, *Bruyere, Heide. Cauliculi* denſe obſiti *Foliolis* ſagittatis, craſſiuſculis, ſubulatis, læte viridibus, & *Floribus* alaribus, quadrifidis, partim rubris, partim albis, ſapore evidenter adſtringente. Erica vulgaris L. Obtinet per totam Europam. *Cum aqua infuſa quidam Calculi conterendi propellendique virtutem tribuerunt.*

ERINACEUS, *Heriſon, Igel.* Animal quadrupes, toto corpore, præter ventrem piloſum pedesque, aculeis ex fuſco & albido variegatis obſeſſum. Erinaceus Europæus L. Totam Europam, citra maxime Septentrionalem inhabitat. *Combuſtus ſatis abſurde lectum commingentibus exhibetur.*

ERUCA, *Roquette, weiſſer Senf.* Semina minuta, rotunda, leviter flavicantia, proprio odore, acriore ſapore inſtructa. Sinapi alba L. In Italia, Gallia, Anglia & Belgio ſponte creſcit. *Seminis Sinapeos vim exſerit, ſed mitiorem.*

ERYNGIUM, *Chardon roland, Mannſtreu.* Radix fibroſa, pollicem circiter craſſa, extus nigra, intus alba, ſtriis transverſalibus notata, dulcicula. Eryngium CampeſtreL. Blackwell Tab. 297. Creſcit in omni Europa. In vaſa Renalia & Spermatica agere creditur; quinque Aperientibus minoribus adſcribitur. Saccharo quoque condita proſtat. Maritimi L. ad littora Maris creſcentis & noſtrorum hyemum patientis Radices cum præcedentibus conveniunt.

ERYSIMUM, *Velar, Wegſenf.* Folia longa, laciniato-pinnata, lacinia terminali majore trifida, omnibus dentatis, ſcabra, odoris expers, ſapore naſturtino non acri inſtructa. Eryſimum Officinale L. Blackwell Tab. 28. Frequens Europæ planta. *Sub forma Infuſi Aquoſi ſumtum viarum Aërearum Mucum diſſolvere credebatur.*

ESULA, *Wolfsmilch. Radices* fuſiformes, albæ; *Folia* pro varietate Specierum varie formata; Succum lacti colore & ſpiſſitudine ſimilem vehunt acerrimum; Euphorbiæ L. ſpecies nonniſi ab Empyricis adhibentur, noxas eas ingeſſiſſe graviſſimas Obſervatores fide digni adſtruunt; a medicamento ſane quam acerrimo, primas vias facillime inflammaturo prorſus abſtinendum eſt. *Radices & Folia exſiccata ad Grana quadraginta ſine incommodo dari poſſe, nuper traditum eſt.*

EUPATORIUM, *Eupatoire, Kunigundenkraut. Folia,* cum *Floribus* recipi ſolita, oblonga ſunt, acuminata, dentata, ſerrata, odora, amara, *Flores* tubuloſi, rufeſcentes, parvi, Semini pappoſo inſident. Eupatorium Cannabinum L. Blackwell Tab. 110. Creſcit per totam Europam. *Viſcera aperire & Urinam ducere dicitur. Sumitur ejus Infuſum aquoſum. Extus partibus Œdematoſis imponitur.*

EUPHORBIUM. Gummi Reſina formam refert granorum variæ magnitudinis, ſubrotundorum, angularium, rufoflaveſcentium, ſapore acerrimorum; hæc grana accenſa non ingratum odorem ſpargunt. Eſt lacruma Euphorbiæ Officinarum L. Blackwell Tab. 340. Africæ civis; apud nos per hyemem in caldario aſſervandæ. Gummoſum & Reſinoſum principium æquabiliter vehere & in Reſinoſo maxime virulentia hærere dicitur. *Cum graviſſima mala inde excitata fuiſſe Obſervatores teſtentur, nunquam intus dandum, licet a quibuſdam ad Granorum trium doſin commendetur. Extus cum ſucceſſu Oſſibus carioſis inſpergitur; Rubefacientibus aut Sternutatoriis inconſulto adjicitur.*

EUPHRASIA, *Eufraiſe, Augentroſt.* Aſſervantur Cauliculi pubeſcentes, amaricantes, ſubadſtringentes, obſeſſi, *Fo-*

liis ovatis, obtuſis, ſerratis, dentatis, viridibus, rugoſis; *Floribus* axillaribus, perſonatis, albis, ex luteo & cæruleo variegatis. Euphraſia Officinalis L. Blackwell Tab. 427. Vulgaris per Europam. *Infuſum aquoſum ad reſerandas Obſtructiones Abdominales laudatur. Cum Muſto fermentata aut Pani incocta, aut Succus ejus expreſſus, Oculis inſtillatus, multum olim ad roborandum Viſum commendabatur.*

FABA, *Fève des Marais*, *welſche Bohne*, *Saubohne*. *Flores* papilionacei, vexillo longiore, albo, ſtriis rubris picto, alis macula nigra notatis inſtructi, odorem recentes fortem ſpirant, eumque ſuaviſſimum, exſiccati nullum. *Semina* pro Varietatis diverſitate diverſæ magnitudinis, reniformia, ovata, jam utrinque compreſſa, jam ventricoſa, alba, flava, gilva, medullam albam includunt ſubdulcem. Vicia Faba L. Blackwell Tab. 19. Ægypti indigena, apud nos copioſiſſime in agris ſeritur. *Cortice privata Semina tenella frequentius, quam matura & exſiccata, menſis apponuntur; Farina, in quatuor Farinarum Reſolventium numero habita, ad Epithemata nec non ad uſus Coſmeticos recipitur. Flores exſiccati omnino inertes ſunt, perinde ac Aqua inde deſtillata.*

FABA CRASSA, *Telephium*, *Orpin*, *fette Henne*. Folia carnoſa, ſeſſilia, plana, ovata, irregulariter ſerrata, inodora, inſipida. Sedum Telephium album L. Admodum frequens Europæ planta. Nonniſi recens adhibenda. *Tanquam Refrigerans & Antiſcorbuticum remedium intus datur; extus Clavis pedum imponitur.*

FABA SANCTI IGNATII. Semen Avellana majus, angulatum, duriſſimum quaſi corneum, extus gryſeum, intus ſplendens, amariſſimum. *Pharmacopœa Suecica* ut & Celeb. Bergius, neſcio qua auctoritate nixi, a quadam Strychni ſpecie, Inſularum Philippinarum Arbore, Semen hoc ſuppeditari aſſerunt. *In Febribus intermittentibus ad Grana duodecim pro doſi data laudatur, interim tamen Vomitus, Convulſiones, Tremores inde excitatos eſſe obſervatum eſt, quapropter ejus exſolevit uſus.*

FAGOPYRUM, *Bled noir ou Sarraſin*, *Buchweizen*, *Heidenkorn*. *Semina* ovata, trigona, glabra, ſub cortice trigono, albiſſimam & inſipidam farinam includentia, Polygonum Fagopyrum L. Orientis indigenum, hodie paſſim in Europa

pa colitur. *Hordei loco in cibum recipitur; apud nos epulis excluditur, a quibusdam ſaginandis avibus adhibetur.*

FAGUS, *Hêtre, Buchen.* Fructus ſub tegmine echinato *Nuces* includit, ex rotundo triquetras, quæ ſub cortice badio coriaceo nucleum album compactum, cum aliquanta adſtrictione dulcem includunt. Fagus Caſtanea L. Per Europam, præter maxime Septentrionalem, frequentiſſima arbor. *Nuces interdum in cibum recipiuntur, at largius comeſtas Cerebrum turbare, imo Hydrophobiam excitare, ſunt qui affirment. Oleum inde expreſſum in cibum recipitur, annotinum minus quam recens Ventriculum gravare perhibetur.*

FARFARA, *Tuſſilago, Pas d'ane, Roshub. Radices* tenues, fibroſæ, albidæ, inodoræ; *Folia* ſubrotundo-cordata, magna, petiolata, angulata, dentata, ſuperne viridia, inferne tomentoſa, ſaporis leviter adſtringentis; *Flores* tubuloſi, lutei, calice multifido comprehenſi, leviter odori, ſubdulces. Tuſſilago Farfara L. Blackwell Tab. 204. Ubique in Europa invenitur. *A vi Emolliente & Relaxante laudatur. Radices rarius, Flores creberrime ad Infuſa Pectoralia recipiuntur. Folia a quibuſdam eodem modo uſurpantur, interdum quoque extus applicantur.*

FEL VITRI, *Anatron, Fiel de Verre, Glaſgall.* Panes ſeu maſſæ ſunt coloris albi aut gryſei & ſaporis ſalini; inſignis earum durities eſt; in aëre humeſcunt, Syrupum Violarum viridi colore tingunt, fuſionem Metallorum & Terrarum juvant. Formantur ex ſpuma quæ apud Vitriarios Frittæ fluenti ſupernatat & inde aufertur; conſtant ex Sale Alcali & Terra vitreſcente, aliiſque præterea, quæ ad Frittam recipi ſolent, Salibus; unde patet, pro varia Officina vitraria, unde deſumitur, omnino diverſum eſſe. *Incidendi quidem & Alvum ducendi cauſa a quibuſdam laudabatur; ſed quis eſt, qui medicamento tam dubio uti velit?*

FERRUM, *Fer, Eiſen.* Metallum ignobile, aqua octuplo gravius, reliquis difficilius fundendum, magis etiam elaſticum, mediæ inter Aurum & Cuprum firmitatis, ſcite cuſum

malleabile evadit & in tenerrima fila extendi poteſt, ignitum ſcintillas vomit & in ſcoriam nigram abit, ope Salis cujuſcunque, ipſius etiam Aquæ ſolubile, quapropter in aëre rubiginem contrahit, attrahitur a Magnete, cum liquoribus adſtringentibus nigreſcit, majori principii inflammabilis ratione ditatum in *Chalybem* vertitur. Uberius, quam cetera omnia metalla, Natura hoc ſub forma diverſiſſimarum glebarum progignit *Tonicorum Princeps; ejus Limatura, ope Magnetis ab omni heterogeneo accuratiſſime ſegregata, ſub forma Alcoholis ad Grana viginti uſque exhibetur; cum Vino quoque infunditur.*

FILIPENDULA, *Saxifraga rubra, rother Steinbrech.* Radix fibroſa, plures fibrillas emittens, quarum extremitatibus noduli ſive tubera adhæreſcunt ovata, magnitudine imparia, ex rubro nigra, intus alba, odoratu grata, guſtu leviter aromatica & amaricantia; Autumno effodienda eſt. Spiræa Filipendula L. BLACKWELL Tab. 467. Creſcit in omni Europa. *Recipiebatur ad Decocta Roborantia & Diuretica.*

FILIX, *Fougere, Farren.* Radices fibroſæ, craſſæ, flavæ, amaricantes, mucoſæ, nauſeoſæ. Pteris Aquilina L. BLACKWELL Tab. 325. Copioſa per Europam. *Ab omni tempore tanquam egregium Tæniæ remedium laudatæ; Drachmæ earum tres vel quatuor cum Melle dabantur.* Non raro recipiuntur Radices Polypodii Filicis Maris L. BLACKWELL Tab. 323. quæ fibroſæ ſunt, extus nigræ, intus rufæ, ſapore adſtringentes.

FOENICULUM, *Fenouil, Fenchel. Radix* fuſiformis, alba, cum aromate dulcis, odorem ſpargit proprium, fragrantem. *Folia* longa, multiplicato-pinnata, laciniis filiformibus, odore & ſapore Seminum, debiliora duntaxat. *Semina* oblonga, convexo-plana, ſtriata, odoratu fragrantia, guſtu aromatica, dulcicula. Anethum Fœniculum L. BLACKWELL Tab. 288. In Europa calida nec non in Anglia ſponte creſcit. Copioſe in noſtris regionibus colitur. *Semina* Olei odorati, quod in aëre temperato coagulat, $\frac{1}{26}$ largiuntur. *Radices ad Infuſa Diuretica recipiuntur. Folia ad uſus culinarios mul-*

to frequentius, quam ad medicatos recipiuntur. Semina intus ſcopo Carminativo, in Decoctis potiſſimum, rarius ſub forma Pulveris exhibentur. Extus Diſcutiendi cauſa Oculis applicantur. Eoſdem in fines Aqua deſtillata efficax ad Potiones Pectorales recipitur.

FOENICULUM DULCE, *Italicum.* Semina prioribus majora & craſſiora, omnino dulciora, albida. Planta, unde deſumuntur, Varietas prioris eſſe dicitur; ſed in noſtro horto conſtanter habitum minorem ſervat, & Semina, qualia dixi, producit. *Præcedenti cum ſuavitate multo antecellat, merito præferendum videtur.*

FOENUGRÆCUM. Semina oblonga, irregulariter quadrata, glabra, flava, ſulco obliquo in margine notata, odoris nauſeoſi, ſaporis amari. Trigonella Fœnugræcum L. BLACKWELL Tab. 384. Galliæ Meridionalis domeſtica planta apud nos copioſe in agris colitur. Mucilaginis fere $\frac{1}{4}$ vehit. *Internus ejus uſus nullus eſt, extus tanquam Reſolvens & Maturans ad Epithemata & Cataplaſmata recipitur.*

FORMICA, *Fourmi, Ameiſe.* Inſectum parvum, oblongum, ſenipes, totum exiguis pilis obſeſſum, acidulum odorem ſpirat, cui fere ſapor reſpondet; ejus larva cylindroidea, alba, vulgo *Ovum* dicitur. Formica rufa L. reliquis præſtantior, in Europæ ſylvis frequentiſſime occurrit. Oleum tam unguinoſum, quam odoratum inde obtinetur. *Acervi Formicarum ſive ſub forma Epithematis, ſive ex Aqua cocti ad Irritandum membris Paralyticis admoventur; Spiritus Vini a Formicis abſtractus Rheumatiſmis applicatur.*

FRAGARIA, *Fraiſier, Erdbeerenkraut. Radices* tenues, repentes, plures fibrillas capillares emittentes, ſub cortice fuſco-rufeſcente ſubſtantiam albam includunt, evidenter adſtringentes. *Folia* longius petiolata, ternata, ex ovatis oblonga, ſerrata, hirſuta, adſtringentia. *Baccæ, Fraiſes, Erdbeeren* ſive ovatæ, ſive ovato-rotundæ, diverſæ pro Varietate, unde deſumuntur, magnitudinis, coloris mox albi, mox rubri & in rubro rurſus varii; ſunt receptacula carnoſa, extus tota foveolis exſculpta, ſingulatim ſemen continentibus, intus albida, odorem proprium, gratum, ſaporem dulcem habent ac

vinoſum. Fragaria veſca L. Blackwell Tab. 77. Vulgaris per Europam, Americæ quoque indigena. *Chiloenſis* quoque noſtras hyemes citra noxam fert. Aquam Radices rubedine, Folia quoque, ſed levius inficiunt. *Aperiendi & Adſtringendi ſcopo utraque cum Aqua infuſa aut decocta adhibentur; Folia Ulceribus Pedum ſalubriter applicari experimentis compertum eſt. Fraga ad Refrigerandum, Viſcera abdominalia aperienda, Renes depurandos comeduntur. Aqua inde deſtillata & ſapida & odora evadit.*

FRANGULA, *Bourgêne, Zapfenholz, Faulbaum. Cortices* mediani, ſive *libri* tenaces, flavicantes, leviter auſteri, aliquantillum etiam amari. Rhamnus Frangula L. Blackwell Tab. 152. In Europa ubique locorum obvia. *Cortices recentes ad duas Drachmas cum aqua infuſi Vomitum & Seceſſus Alvinos excitare dicuntur; exſiccatorum laus in Reſolvendo & ducenda Urina ponitur; accipiuntur quoque ad Balnea & Unguenta contra Scabiem.*

FRAXINUS, *Frêne, Eſchenbaum. Cortex* gryſei, cum fuſco mixti coloris, punctis conſperſus pallidioribus, amarus, ſubadſtringens. *Semen*, quod etiam *Lingua Avis* dicitur, oblongum eſt, compreſſum, fuſcum, tenax, cortice obvolutum longiore, ſicco, dilutius fuſco; progrediendo dilatato & obtuſe terminato; ſapor nonnihil acris adſtringit. Fraxinus excelſior L. Blackwell Tab. 328. Obtinet in omni Europa. *Cortices ſunt, qui ad Viſcera Abdominalia aperienda & Sanguinem depurandum commendent. Semen olim Diureticis, Lithontripticis, Aphrodiſiacis annumerabatur.*

FULIGO, *Suie, Rus.* Subſtantia ſicca, nigra, ex ſubſtantiis vegetabilibus & animalibus accenſis ſublimata & ad ſolidos, quibus accreſcunt, parietes collecta. *Splendens, Ofen-* vel *Spiegelrus* obtinetur ex caminis, qui fumum omnis generis lignorum ſuſcipiunt, cujus partes oleoſæ, ſalinæ & terreſtres refrigeratæ camino ſe agglutinant, & in fruſta excreſcunt fragilia, ſplendentia, nigerrima, empyreuma olentia, guſtu amara & acriuſcula. Pro ſubſtantiarum ſub caminis combuſtarum diverſitate diverſas quidem admittit formas, conſtanter tamen Salem Ammoniacalem, Oleum aduſtum, partes

terreſtres, gummoſas & reſinoſas vehit. *Hæc fuligo ad uſus medicatos recepta ob virtutem Reſolventem, Sudoriferam datur ad Drachmam ſemis pro doſi. Fuligo Tædæ, Noir de Fumée, Kienrus* pulveris tenerrimi, leviſſimi, nigerrimi ſpeciem præbet, cujus odor levis minus ingratus eſt, quam ſplendentis, ſapor paululum ſalinus; obtinetur ex ramentorum Pineorum ſive rejectamentorum depuratæ Reſinæ Vulgaris fumo in peculiare conclave corrivato, ubi a ſacco linteo, cui accreſcit, fuligo decuſſa aſſervatur; *hanc ad tinctorios potiſſimum uſus adhibent.*

FUMARIA, *Fume-terre, Taubenkropf. Cauliculi* ſucculenti, teneri, ramoſi, quadrangulares, quibus inſident tam *Folia* longis petiolis innixa, glauca, duplicato-pinnata, lobato-inciſa, lobis cuneiformibus, quam *Flores* irregulariter quadrifidi, oblongi, calcarati, rubri; utraque una cum cauliculis evidenter amara. Fumaria officinalis L. Blackwell Tab. 237. Creſcit qua late patet Europa. *Ad reſeranda Viſcera Abdominalia, curandum Scorbutum, depurandum Sanguinem vel unus ejus Manipulus cum juſculis incoquitur, vel Succus ejus expreſſus ad Uncias quatuor propinatur. Aqua inde deſtillata tam iners eſt, quam efficax Extractum.*

FURFURES, *Sons, Kleyen.* Pelliculæ badiæ, ſiccæ, tactu aſperiuſculæ, proprio odore, ſapore adſtringente præditæ, ſunt granorum Cerealium cuticulæ, a ſubſtantia, quam continent, farinacea molarium tritura avulſæ & comminutæ, unde ipſis reſiduum quid nunquam non adhæret. Furfures Tritici ſubſtantiam glutinoſam continent, utpote qua hoc Cereale ab omnibus reliquis diſcriminatur. *Decoctum Furfurum Abſtergendi ſcopo intus datur, extus ad Clyſmata recipitur.*

GALANGA MAJOR. Radices intortæ, variis ramis & tuberculis notatæ, circulis eminentibus undique cinctæ, extus ruſæ, intus pallidiores, aliquot pollices longæ, unum circiter craſſæ, odoris aromatici, Camphoræ vicini, ſaporis pariter aromatici. MINOR a magnitudine & craſſitie ita cognominata, ſaporis tamen aromate Majore ſuperior eſt. Maranta Galanga L. Major Indiæ indigena; Minor ex China in Indiam

tranſplantata ibidem colitur. Pauxillum Olei odorati largiri dicitur. *Ventriculi Roborandi ſcopo ad Infuſa recipitur.*

GALBANUM. Lacruma quæ nobis mittitur ſub forma Granorum magnitudine impari, Avellanam fere æquantium; ſaporem habent amaricantem, acriuſculum, odorem proprium, gravem. Proſtat etiam *Galbanum in maſſis, en Pains,* fruſtis magnis, tenacibus, minoris quam prius pretii; plures ejus varietates Seplaſiarii vendunt, ejus præſtantia ex pluribus numero lacrumis ſive Unguibus, coloreque minus fuſco dijudicatur. *Galbanum liquidum ex Perſia,* multa fæce nigricante ſordidatum, ſpiſſitudinem habet Terebinthinæ, odorem Reſinæ, nequaquam Galbani. Bubon Galbanum L. Africæ indigenum, apud nos per hyemem in tepidario aſſervandum. Igne illiquabile; ex aqua ſuſpenditur; Spiritu Vini utique, Oleis neutiquam diſſolvi, aliquantulum Olei odorati fundere fertur. *Adverſus Obſtructiones Abdominales intus adhibetur; extus tanquam validiſſimum Reſolvens Tumoribus induratis imponitur.*

GALDA GUMMI. Sub forma fruſtorum majorum, durorum, extus nigricantium, intus alborum ex India veniebat, odore & ſapore leviter ad Gummi Elemi accedit; inter dentes lenteſcit, flamma admotum fluit & ardens odorem haud ingratum emittit. Vera Reſina *ob vim Roborandi ad Emplaſtra & Unguenta recipiebatur.*

GALEGA, *Geisrauten.* Folia foliolis oblongis pinnata, anguſta, ſaporis odorisque vacua. Galega officinalis L. Blackwell Tab. 92. Europæ calidæ civis, noſtras hyemes experitur innocuas. *Ab effectu ſalubri, quem Londinenſibus Peſte laborantibus præſtitiſſe memoriæ proditum eſt, virtus illi Alexipharmaca tribuebatur. Aqua inde deſtillata plane iners eſt.*

GALEOPSIS, *Urtica mortua, Ortieblanche, taube Neſſel. Flores* labiati, labio ſuperiore villoſi, albi, inodori, inſipidi, *Folia* ex ovatis acute-ſerrata, rugoſa, ſcabra, odore levi, minus grato imbuta, ſapore caſſa. Lamium album L. Blackwell Tab. 33. Vulgaris per Europam. *Ob virtutes Diureticas, Emenagogas & Lochia promoturas ſub forma Infuſi exhibentur.*

GALLÆ, *Noix de Galle, Gallæpfel.* Excreſcentiæ ro-

tundæ, tuberculis obſeſſæ, utplurimum foratæ, extus pro diverſa varietate diverſe coloratæ, flavus color præſtantiæ indicium eſt; a gryſeo ad nigrum declinantes *Cæruleæ* dicuntur, intus ſubſtantiam denſam, ſolidam, fuſcam vel nigram includunt, ſapore adſtringentem & acerbam. Sunt excreſcentiæ variarum Quercus L. ſpecierum, ex vulnere a Cynipe Quercus L. illato natæ; Orientales, Aleppenſes præſertim & Turcicæ, reliquis præferuntur. *Intus nunquam dantur, extus interdum Decoctis Stypticis admiſcentur.*

GALLINA, *Poule, Henne.* Avis notiſſima Phaſiani Galli L. Femella. *Caro* diverſimode in culinis paratur. *Axungia* alba, inodora, inſipida *reliquarum Axungiarum vires habet. Ovorum Albumen, Blanc d'œuf, Eyerweis* conſiſtentiam tenuioris Gelatinæ habet, certo coloris gradu, nec non Spiritus Vini aut Acidorum affuſione, in ſubſtantiam ſiccam & tremulam vertitur; ad varios labores pharmaceuticos recipitur, *intus ad Demulcendum, Relaxandum, Lubricandum datur. Teſtæ, Coques d'œuf, Eyerſchaalen Abſorbendi ſcopo exhibentur*, in tenerrimum pollinem contritæ a quibuſdam *Alcali de Rocou* dicuntur; *Vitellus* tenue & viſcidum oleum refert, flavus, proprio odore & ſapore oleoſo inſtructus, calore indureſcens, multo oleo unguinoſo turgens, quod quidem ſpiſſum eſt & flavum; Vitellus verus ſapo eſt & hoc ſcopo pro Reſinoſis ex aqua ſuſpendendis creberrime uſurpatur, aqua diſſolutus *Eau de Poule, Blæſelwaſſer egregium contra Tuſſim medicamentum. Ventriculi, Goſiers, Hünermæglein*, quo nomine inſigniuntur membranæ interiores Ventriculi hujus gentis, rugoſæ, exſiccatione fragiles, albeſcentes, fere inſipidæ, levi acido fœtæ, quo Lac coire cogunt; *ad primas vias Roborandas infantibus dantur.*

GALLIUM, *Caille de lait, Bettſtroh. Caules* tenues, tetragoni, inſeſſi *Foliis* verticillatis, anguſtis, linearibus, viridibus, modice ſplendentibus, terminati panicula *Florum* luteorum, quadrifidorum, exiguorum. Odor recentium admodum fragrans, ſub exſiccatione non parum minuitur, ſapor herbaceus eſt. Gallium verum L. Magna copia per Europam exſtat. *Remedium Roborans & Adſtringens habitum ad Infuſa Vulneraria recipiebatur.*

GENISTA, *Genêt, Pfrimmen, Flores* papilionacei, lutei, evidenter amari, &, cum exſiccati fuerint, inodori ſunt, *Semina* cylindroidea, ſplendentia, flava, medullam continent dulcem, concolorem. Spartium Scoparia L. Blackwell Tab. 244. Per longe maximam Europæ partem creſcit. Sunt, qui Flores majores & fragrantiores a Spartio Junceo L. Europæ calidæ proprio, noſtrarum hyemum patiente deſumant; alii eoſdem a Geniſta Tinctoria L. per univerſam Europam vulgari, minores & ne recentes quidem ullum odorem ſpargentes petunt. *Flores Diuretico ſcopo cum aqua infunduntur. Semina Emetica putantur, neſcio an recte. Cinis & Sal aliis præſtare minime videntur.*

GENTIANA ALBA, *Cervaria alba, groſſe weiſſe Hirſchwurzel.* Radix magna, craſſa, fibroſa, albicans, intus alba, rugis circularibus diſtincta, reſinoſa, odorifera, aromatica, amaricans. Laſerpitium latifolium L. Altiorum montium progenies, paſſim per Europam occurrit. *Stomachico & Alexipharmaco ſcopo a ruſticis ad Infuſa recipitur. Veterinariis maxime in uſu eſt.*

GENTIANA LUTEA, *Gentienne, Enzian.* Radix fibroſa, magna, rugoſa, fungoſa, in plures fibras digitum craſſas ſecedens, extus fuſca, intus flava, amariſſima. Gentiana lutea L. Paſſim in montibus Europæ obvia. *Tanquam Roborans, Obſtructiones Abdominales reſerans, tam in Infuſis, quam ſub forma Extracti exhibetur. Extus ad dilatanda Vulnera & Ulcera adhibetur.*

GENTIANA NIGRA, *Cervaria nigra, Perſil des Montagnes, ſchwarze Hirſchwurzel.* Radix craſſa, prælonga, extus fuſca, annulis diſtincta, intus alba, reſinoſa, odoris grati & fortis, ſaporis acris, aromatici. Athamanta Cervaria L. Paſſim in montibus Europæ creſcit. *A quibuſdam adverſus Febres Intermittentes, Podagram &c. commendatur. Veterinariorum etiam uſibus ſervit.*

GENTIANA RUBRA. Radix a *Radice Gentianæ luteæ* niſi colore magis pallido fere nihil differt, quocirca etiam ſibi invicem

invicem ſubſtituuntur. Gentiana purpurea L. Paſſim in montibus Europæ creſcit. In eodem numero habendæ Radices Gentianæ Cruciatæ L. vulgaris per Europam plantæ, minores quidem, anguſtiores, pallidiores, cetera prioribus pares.

GENTIANELLA, *hoher Himmelſtengel.* Folia ſeſſilia, ovata, acuminata, integerrima, longitudinaliter tribus nervis notata, amariſſima. Gentiana Amarella L. Per omnem Europam occurrit. *Compar ejus cum modo dictis Radicibus uſus eſt.*

GERANIUM, *Bec de Gruë, Storchenſchnabel.* Ampliſſimi generis plures ſpecies *a vi Adſtringente laudantur. Intus Folia ſub forma Infuſi exhibent, extus ſub forma Epithematis applicant,* ut Cicutarium L. Columbinum L. Sanguineum L. præſtantiſſimum omnium Robertianum L. habetur, cujus Folia tripartitim diviſa, pinnis pinnatim laciniatis, petiolis teretibus inſident, utrinque pilis obſeſſa, creberrime rubedine tincta, fœtentem cornu ambuſti odorem ſpirantia, leviter adſtringentia.

GINSENG. Radices digitum circiter craſſæ, vix incurvæ, albæ, lineis longitudinalibus & transverſis rugoſæ, inferne bifidæ, intus albæ & ſpongioſæ, ſapore acriuſculo, leviter dulceſcente & aromatico inſtructæ. Panax quinquefolium L. Blackwell Tab. 513. Americæ Septentrionalis civis. *Eaſdem cum Radicibus Ninſi vires habere dicuntur & cum minoris veneant ad Drachmam dimidiam Pulveribus Analepticis adjici ſueverunt.*

GLACIES MARIÆ, *Selenites, Lapis Specularis, Fraueneis.* Eſt Species Gypſi pellucens, in lamellas diviſibilis, quæ rhomboidalem figuram conſtanter ſervant. Natrum Selenites L. In montibus paſſim offenditur. *Abſorbentibus & contra Strumas facientibus medicamentis, ſubſtantia omnino iners, inconſulto adſcripta fuit.*

GLYCYRRHIZA, *Liquiritia, Regliſſe, Süsholz, Lakrizenholz. Radices* oblongæ, ſarmentoſæ, ad pollicarem uſque craſſitiem excreſcunt, extra ferrugineæ, intra brunæ, leviter odoratæ, ſapore dulces, cum quadam amaritudine; *Hiſpanicæ*, quæ nobis exſiccatæ mittuntur, extus gryſeæ, intus ſpiſſius luteæ, ob eminentem dulcedinem ceteris

præferuntur. *Succus* optimus ex Hiſpania petitur, in Catalonia præcipue paratur; verum Extractum, quod ex Radicibus exſiccatis, aqua coctis, expreſſis & ad conſiſtentiam mollem Extracti excoctis paratur, proſtat ſub forma maſſarum oblongarum, quæ ſex circiter pollices longæ, unum craſſæ, una facie planæ; altera convexæ, ubi diffractæ fuerint, ſplendentes, nigræ, multum dulces, foliis Laurinis obvolutæ nobis mittuntur: maſſæ aridæ, quæque non totæ in ore liqueſcunt, rejiciendæ. Glycyrrhiza glabra L. Blackwell Tab. 495. Europæ Meridionalis propria, noſtras hyemes citra noxam fert. In Anglia, Germania & Lotharingia copioſe colitur. *Sitim Sedandi, Demulcendi, Reſolvendi ergo Decoctis adjicitur; ſed adhibenda cautio eſt, ne vel paululo ulterius quam oportet continuata coctione amareſcat; extus Eryſipelati Pulvis ejus inſpergitur. Succus ſive per ſe, ſive Aqua ſolutus, ſive in Trochiſcos formatus ſcopo Becchico exhibetur.*

GOSSYPIUM videatur BOMBAX.

GRAMEN, *Chiendent, Zwecken.* Radices prælongæ, geniculatæ, teretes, flaveſcentes, leviter odoratæ, dulces. Triticum repens L. Nimis frequens agrorum peſtis. *Reſolvendi ergo immiſcetur Decoctis; Vulgatiſſimum apud nos ingrediens Decoctorum pro Potu communi.*

GRANATUM, *Malum Punicum. Pomum* variæ magnitudinis, rotundum, umbilico quinquefido coronatum, ſub *Cortice* coriaceo, firmo, craſſo, leviter rugoſo, ſuffuſa rubedine flavicante *Pulpam* complectitur rubram, multilocularem, fragrantem, guſtatu dulcem & vinoſam, *Semina* continentem oblonga, acuminata, propria membrana *Cico* obvoluta, ſub cortice duro medullam albam, amaricantem includentia. Cortex *Pſydium* vel *Malicorium* denominatus, exſiccatus, extus purpureus eſt, intus luteus, rugoſus, linguam valide adſtringens. *Flores*, qui *Balauſtiorum* nomine veniunt, nec niſi pleni in officinis aſſervantur, in calice quinquefido, coriaceo, plura petala congeſta, ruberrima, inodora, ſapore adſtringente prædita includunt. Punica Granatum L. Black-

WELL Tab. 97. Europæ calidæ & Orientis arbor, apud nos hyeme in frigidario aſſervanda. *Pulpa Refrigerans & Roborans vel comeditur, vel in Syrupum convertitur. Flores tam intus, quam extus Adſtringendi gratia exhibentur. Cortices nonniſi extus, ubi valida Adſtrictione opus eſt, applicantur.*

GRANATUS. Lapis pellucens, Cryſtallum polyedram referens, colore profundius rubro tinctus, limæ cedens, cultro reſiſtens, igne in vitrum fundendus. Borax Granatus L. In Oriente & in Europa offenditur; in montibus etiam lapidibus aliis innatus reperitur; Ferrum alia quoque non raro metalla vehit; eidem præter Siliceam, Calcaream quoque & Aluminoſam terram inhærere obſervatum eſt. *Iners Lapis Gemmariis relinquendus.*

GRATIOLA, *Gottesgnaden-Kræutlein.* Folia glabra, ſeſſilia, lanceolata, verſus apicem ſerrata, inſigniter amara. Gratiola Officinalis L. BLACKWELL Tab. 411. Creſcit in Europa temperata. *Communi Auctorum conſenſu Purgantibus Draſticis adſcripta recentiſſime ad Drachmas tres in Infuſo, ad Drachmam ſemis in ſubſtantia celebrari cœpit. Extus cum ſucceſſu Reſolvendi ergo exhibitam fuiſſe lego.*

GUAJACUM, *Lignum ſanctum, Franzoſenholz.* Lignum ponderoſum, valde durum, ex viridi nigricans, alburno flavicante tectum, obductum *Cortice*, in varias ſquamas diviſo, coloris buxei, odoris leviſſimi, ſaporis amariuſculi, evidenter acris. *Gummi* in majoribus fruſtis ad nos pervenit, efformatum ex granis flavo-fuſcis, inter dentes tenacibus, ad ignem liqueſcentibus, odorem inſuavem emittentibus, ſapore amaricante inſtructis, variis ſordibus inquinatis. Guajacum officinale L. BLACKWELL Tab. 350. Americæ Meridionalis civis. E ligno Extracti aquoſi odore & ſapore Balſamum Peruvianum referentis $\frac{1}{16}$ obtinui. Gummi improprie ita appellatur, cum ſit vera Reſina; ejus ſolutionis in Spiritu Vini aliquid inſtillatur Spiritui Nitri, unde ſi color cæruleus ſurgit, Reſinam ſinceram eſſe concludunt; *cum aqua diu coctum Lignum una cum Cortice Sanguinem Depurantes & Balſamicas vires exſerit, quibus haud abſimiles Gummi quoque adſcribuntur, quod quidem hodie Arthriticis magnopere commendatur.*

GUTTÆ GUMMI. Eſt Succus concretus, cujus magnæ advehuntur maſſæ nitidæ, fragiles, croceo-rubræ, inodoræ, ſapore leviter reſinoſæ & dentium judicio aliquantum etiam tenaces. Cambogia Gutta L. Blackwell Tab. 392. Arbor Indiæ indigena. Neutiquam igne funditur, tam in Aqua, quam in Spiritu Vini ſuſpendi ſe patitur; ab Oleis unguinoſis non diſſolvi traditur. *Ad Grana decem exhibitum ſurſum æque ac deorſum enixe Purgat, minori doſi datum valide Humores Reſolvit & ſcopo Diuretico exhibetur; contra Tæniam quoque laudatur.*

HÆMATITES, *Blutſtein, Glaskopf.* Eſt Minera Ferri ponderoſa, ad lapidis ſimilitudinem figurata, colore, inde a rubro per gradus ad nigricantem uſque deſcendens, varie etiam figurata, textura utplurimum convergentibus ſtriis ſtriata, ſapore adſtringens. Ferrum Hæmatites L. Paſſim per Europam in montibus occurrit. *Adſtringendi ergo ad Scrupulum unum præſcribitur.*

HEDERA ARBOREA, *Lierre, Epheu. Folia* petiolata ſunt, coriacea, pro varia ætate ſive integra, ſive lobata, ſupra lucida, infra pallidiora, ſapore adſtringente prædita; *Baccæ* nigræ, rotundæ, umbilicatæ, ſtylum ex medio umbilico exſerentia, guſtu ſtatim quidem fatua, ſubſequente dein amaricante & acri ſapore. *Gummi* proſtat ſub forma fruſtorum majorum, virideſcentium, fragilium, ex granis ſemipellucidis Granatis fere concoloribus formatorum, variis ſordibus intermixtis pollutorum, odoris leviter reſinoſi, ſaporis ſubaromatici: poſſideo fruſta quæ quinque librarum pondus æquant. Hedera Helix L. Blackwell Tab. 188. Offenditur ubique. Europæ calidæ Frutices ſubinde Gummi fundunt, cujus longe maximam quantitatem ex Oriente accipimus, Oleis non ſolubile, ejuſque potiſſimam partem Reſinam eſſe aſſerunt Obſervatores. *Folia ad Deligandos præcipue Fonticulos adhibentur, Pulvis eorum contra Atrophiam Infantum laudatur; de Baccarum virtute, quam Catharticam eſſe nonnulli putant, plane nihil certi conſtant; Gummi medicamentorum Reſolventium numero habetur, extus applicato virtus Depilatoria tribuitur.*

HEDERA TERRESTRIS, *Tarrette, Gundelreb. Folia* petiolata, reniformia, crenata, rugoſa, leviſſime hirſuta, ex-

ſiccata inodora, ſaporem proprium leniter aromaticum exhibent. Glechoma hederacea L. Blackwell Tab. 225. Vulgaris per Europam planta. *Ad Infuſa Roborantia & Reſolventia recipitur.*

HELIANTHEMUM, *Sonnengunſel.* Folia lineari-lanceolata, margine utplurimum reflexo, obtuſiuſcula, hirſuta, guſtatu paululum adſtringentia. Ciſtus Helianthemum L. Frequentiſſime per Europam obvia.

HELIOTROPIUM, *Tourneſol, Lacmus.* Maſſulæ pollicares, tetragonæ, ſiccæ, inſigniter violaceæ, odoris, dum recentes ſunt, Violæ, annoſiorum mucorem referentis, ſaporis acris. Confici dicitur ex Lichene Parella L. Rupibus Maris Mediterranei adhæreſcente, ſive ex Lichene Roccella L. Archipelagi & Inſularum Canarienſium cive, Calce viva cum Urina per aliquot ſeptimanas ſcite digeſta, Succoque deinceps, quem Croton Tinctorium L. largitur, affuſo. Cum colorem ſiſtat minime conſtantem ad artem baphicam minus apte adhibetur; aqua inde tincta leviſſimo quoque affuſo Acido rubeſcit, Alcali contra non mutat colorem. *Curandis morbis non adhibetur.*

HELLEBORUS ALBUS, *weiſe Nieſzwurzel.* Radices fibroſæ, cylindroideæ, tuberculis obſeſſæ, reliquiis fibrarum, quas recentes emiſerant, extus gryſeæ, intus albiſſimæ, ſapore ſalino, acri, nonnihil amaro, odore levi, ingrato inſignitæ. Veratrum album L. Blackwell Tab. 74. Creſcit in altioribus Europæ montibus. *Vehementiſſimum Draſticum quam maxime lugubres effectus edidiſſe Obſervatores fide digni teſtantur; ad Drachmam dimidiam in Infuſo datum, ſunt qui commendent, attamen hominibus intus nequaquam dandum cenſeo, nec tuto ad Pulveres ſternutatorios recipitur.*

HELLEBORUS FOETIDUS, *Hellebore batard, Groſs Lauskraut. Radices* fibroſæ, fuſcæ, digitum circiter craſſæ, intus albæ, inodoræ, dulciuſculæ; *Folia* in novem utplurimum lacinias profunde oblongas, irregulariter dentatas diviſa, fœtida, amara. Helleborus fœtidus L. Blackwell Tab. 57. Creſcit in Europa temperata. Helleboro nigro fuerunt,

qui eum ſubſtituerent, quanquam violentius eum agere vulgo contendunt. *Folia ad Drachmam unam pro doſi adhibentur.*

HELLEBORUS NIGER, *ſchwarze Nieswurzel.* Radices inodoræ, ſubacerbi ſaporis, ex craſſo capitulo innumeras fibrillas emittunt, aliquot pollices longas, extus nigræ, intus albæ. Helleborus niger L. BLACKWELL Tab. 506. Alpium calidioris Europæ. Noſtras hyemes facillime fert. Aqua inde deſtillata acris perhibetur & purgans; Extracti Aquoſi ſicci quartam ſui ponderis partem largitur. Has Radices quo calidiore ſub cœlo adoleverint eo eſſe efficaciores obſervarunt Autores. *Stimuli inſtar Purgantibus aut Reſolventibus adjiciuntur; Doſis earum qua Infuſi ad Drachmas tres, qua Extracti, Purgandi ſcopo, ad Drachmam ſemis præſcribi ſolet.* In Germania Septentrionali loco harum Radices Adonidis Vernalis L. recipi dicuntur.

HELENÆ S. RADIX. Radices rotundæ, leviter angulatæ, gryſeo-nigricantes, ſtriatæ, Avellanam majorem æquantes, duræ, intus luteſcentes, Cardamomum fere olent ac ſapiunt, in medio perforatæ & filo appenſæ ad nos transmittuntur ex Florida. *Ad Ventriculum Roborandum & Urinam pellendam efficaces feruntur;* a quadam *Cyperi* ſpecie ſuppeditari dicuntur.

HELMINTHOCHORTON, *Lemithochorton, Melitocortum, Coralline de Corſe ou de Malte.* Subſtantia ex valde tenuibus fibris ſibi invicem intextis conſtans, rufa, odoris marini nauſeoſi, ſaporis ſalini, inter dentes non ſtridula, ſed lenteſcens. In Mari quod Corſicam alluit colligitur; *Confervæ* ſpecies eſſe videtur, a Botanicis, quibus ejus in ipſo natali loco examinandi poteſtas eſt, determinanda. Inhæreſcentibus ſordibus aqua elutis depuratum cum Acidis non efferveſcit, aqua infuſum rubedinem exuit & cito putreſcit, multum mucilaginis aquæ, in qua agitatur, impertit, pauxillum admodum Reſinæ vehit & fere tantundem Salis communis, Salis mirabilis Glauberi, Selenitis atque Alcali foſſilis. *Uſus ejus pluribus abhinc ſeculis, in Corſica ſcopo Anthelmintico celebratus, paucis demum retro annis in Gallia etiam comprobatus invaluit. Datur ad Drachmam unam pro doſi in ſubſtantia, cum Aqua etiam tam Infuſum, quam Decoctum efficaciam ſervat.*

HEPATICA ALBA, *Herzblümlein.* Folia cordata, obtuſa, craſſiuſcula, leviter amaricantia. Parnaſſia paluſtris L. Vulgaris per Europam planta. *Sunt, qui vim ei Subadſtringentem tribuant.*

HEPATICA FONTANA, *Hepatique d'eau, Steinleberkraut.* Folia ſubrotunda, lobata, ſuperne ex obſcuro viridia, ſplendentia, areolis diſtincta, inferne fuſca, radiculas emittentia, inſipida & inodora. Marchantia Polymorpha L. Univerſæ Europæ. *Aperiendi ſcopo ſub Infuſi forma quandoque recipitur.*

HEPATICA NOBILIS, *Leberkraut.* Folia petiolata, in tres lobos obtuſos diviſa, cum petiolo piloſa, inſipida, inodora. Anemone Hepatica L. BLACKWELL Tab. 207. Vulgaris per Europam. *Aperiens eſſe putatur.*

HEPATICA STELLATA, *Matriſylva, Muguet des Bois, Waldmeiſter.* Folia oblonga, anguſta, ciliata, obtuſa, leviter ſalina, grate olentia. Aſperula odorata L. BLACKWELL Tab. 60. In Europa, præter maxime Septentrionalem, ubique obvia. *Aperiendi ergo Vino infundi ſubinde ſolet.*

HERMODACTYLI. Radices ad figuram triangularem accedentes, ad margines contractæ, una facie plana & ſulco longitudinali notata, altera convexa, extus flavicantes, intus albæ, friabiles, odoris & ſaporis expertes. Colchicum Illyricum GRONOV. Syriæ. *Alvi ducendæ gratia olim ad aliquot Drachmas in ſubſtantia, ad Drachmas ſex in Infuſo adhibebantur.*

HERNIARIA, *Tourquette, Herniole, Bruch- vel Harnkræutel. Cauliculi* teretes, *Foliolis* ovato-acuminatis & glomerulis *Florum* lateralium obſeſſi, inodori, leviſſimo ſalino ſapore imbuti. Herniaria hirſuta & glabra L. BLACKWELL Tab. 320. Per omnem Europam obtinet. *Hernioſis & Calculoſis conducere fertur.*

HIPPOCASTANUM, *Maronnier, wilder vel Roſscaſtanienbaum.* Cortex ex gryſeo-nigricans, intus ferrugineus, ſapore admodum adſtringens & amarus. Æſculus Hippocaſtanum L. Aſiæ Septentrionalis arbor, hodie copioſiſſime

per omnem Europam colitur. *Fuerunt qui eum Cortici Chinæ ſubſtituerent.*

HIPPOPOTAMI DENS, *Dent du Cheval marin, Wallroſszahn.* A baſi ad apicem uſque incurvus, magis magiſque anguſtatus, lineis longitudinalibus parallelis, quas ad baſin ſecant circulares, inſignis, apex albiſſimus conum vertice aduncum refert. Eſt Laniarius Hippopotami Amphibii L. Ad fluvios Africæ & Aſiæ degentis quadrupedis. *Ad ſiſtendos Spaſmos & Hæmorrhagias celebrabatur.*

HIRCUS, *Bouc, Bock.* Capra Hircus L. Notiſſimum per Europam animal. *Sanguis inſpiſſatus* nigricat, empyreuma olet & ſapit, *olim ſub forma Pulveris in Caſu ab alto, nec non Sudorem excitandi ergo exhibebatur. Sevum* ad colorem cæruleſcentem vergens, Bovino mollius eſt; *in effectu medicato haud differt.*

HIRUNDINARIA, *Vincetoxicum, Dompte-Venin, Schwalbenwurzel.* Radices albæ, odoris proprii, eminentis, ſaporis acriuſculi, ſubamari, ex uno capite craſſiuſculæ, dimittunt fibras longas, multum flexiles & varie tortas. Aſclepias Vincetoxicum L. Creſcit in omni Europa, præter magis Septentrionalem, Angliam & Belgium. *Interdum ſub forma Pulveris exhibetur; creberrime Decoctis tanquam Reſolvens Excretionesque aquoſas promovens additur.*

HIRUNDO, *Hirondelle, Schwalbe.* Hirundo Ruſtica L. Avis migratoria, Martis menſe advenire, Auguſto diſcedere ſolita. *A noſtratibus menſis non admittitur. Pulli in olla tecta in Pulverem nigrum combuſti olim contra Epilepſiam laudabantur; Nidus* ex luto præcipue ſtructus *ſub forma Cataplaſmatis contra Anginam laudatur.*

HIRUDO, *Sangſuë, Blutigel vel Egel.* Hirudo medicinalis L. Vermis oblongus, planus, ex viridi-nigricans, ſuperne lineis transverſis nigricantibus diſtinctus, inferne flavus. Verno & æſtivo tempore colligitur, in aqua aſſervatur. *Chirurgicæ arti ſervitura.*

HORDEUM, *Orge, Gerſte.* Semina ovali-oblonga, utrinque acute angulata, facie convexa ſulco notata, ſub cuticula pallide flava, farinacea, alba, dulcia ſunt. Hordeum

deum vulgare L. Blackwell Tab. 423. Hexaſtychum L. & Diſtychum L. promiſcue apud nos coluntur. Hordeum cuticula privatum, Veterum *Ptiſana*, hodie *Decorticatum*, integrum contra *Crudum* appellatur: Farina Hordei $\frac{3}{4}$ Mucilaginis largitur. *Præter vires Nutrientes, Refrigerantes quoque, Demulcentes, Reſolventes habet. Panis ejus coctus albus eſt, diu viſcedinis tenax, ſed gravis.*

HORMINUM, *Gallitrichum, Orvale, Toutebonne, Scharlachkraut. Folia* magna, cordato-oblonga, rugoſa, villoſa, ſerrata, forti nec ingrato odore, ſapore amaricante, linguam pungente prædita. Salvia Sclarea L. Planta biennis Europæ calidæ & Aſiæ, noſtræ hyemis admodum patiens. *Scopo Roborandi & Spaſmos ſiſtendi ſubinde adhibetur.* Hac herba ad ſuavem Cereviſiæ & Vino conciliandum odorem vulgo utuntur; ſed ſunt Auctores, qui inde Inebriandi Capitisque dolores excitandi vi id genus poculenta infici contendant. Certe ejuſmodi effectus ab inerti Salvia pratenſi L. metuere, ineptius videtur. Quin *Salviam Sclaream*, etiam *Salviæ Hormino* L. evidenter quippe debiliori præferendam eſſe puto.

HYACINTHUS, *Jacinte.* Eſt Gemma limæ pariter ac igni reſiſtens; colore rubro, ſubmiſta flavedine, diſtincta & hic *Orientalis* dicitur; qui in Officinas recipitur *Occidentalis* colore quidem priori proximus, ſed & aliquanto levior & mollior eſt; Igne etiam funditur. Nitrum fluor purpureo-fulvum L. paſſim in Europæ montibus occurrit. Ex Terra Silicea, Calcarea, Aluminoſa & Croco Martis compoſitus eſſe fertur. *Olim in Roborantium numero habebatur.*

HYOSCYAMUS, *Juſquiame, Bilſam. Folia* amplexicaulia, magnis ſinubus exciſa, tomentoſa, odore narcotica, ſapore fatua; *Semina* parva, rotunda, cinerea, inodora. Hyoſcyamus niger L. Blackwell Tab. 550. Ubique locorum in Europa progignitur. Semina Olei unguinoſi $\frac{1}{5}$ circiter fundunt. *Hyoſcyamum per omnes ſui partes, vel exigua doſi, triſtiſſimos effectus Narcoticos edidiſſe Obſervatores monent. Folia extus feliciter Tumoribus induratis, ſub forma Cataplaſmatis, applicantur. Succus inſpiſſa-*

tus nomine Extracti datur ad ſopiendos motus Nervorum excedentes; *a Grano uno fuiſſe, qui, ſenſim augendo doſin, ad Drachmam ſemis uſque proceſſerint, relatum lego.*

HYPERICUM, *Millepertuis, Johannis-Kraut.* Summitates ramis angulatis, glabris, punctis nigricantibus paſſim diſtinctis, *Folia* gerunt ſeſſilia, ovata, obtuſa, integerrima, punctis pellucentibus inſignita, junctosque his *Flores* quinquepetalos, flavos, faſciculatim poſitos, calycibus glabris ſuſtentatos, odore & ſapore exiguis. Hypericum perfoliatum L. Blackwell Tab. 15. Vulgaris Europæ planta. Scite quoque Hypericum quadrangulum L. in uſus medicatos recipitur magis reſinoſum. Omnibus menſtruis colorem rubrum Hypericum affricat. *Scopo Balſamico olim Summitates ad Infuſa interna recipiebantur; hodie Oleum cum eis infuſum extus applicatur.*

HYPOCYSTIDIS SUCCUS. Maſſa nigra, ſolida, difficulter diffringenda, ſaporis aciduli & acerbi; exprimitur ex Baccis Cytini Hypociſtidis L. Europæ calidæ progeniei. Sole inſpiſſatur. In Aqua æque ac Spiritu Vini ſolubilis eſt. *Olim ad eoſdem ac Succus Acaciæ uſus adhibebatur.*

HYSSOPUS, *Iſop. Folia* oblonga, acuta, viridia, proprio & fragrante odore ſimilique ſapore, amaricante præterea & aromatico prædita. Hyſſopus officinalis L. Blackwell Tab. 296. In Europa calida ſponte creſcit, noſtrarum hyemum patiens eſt. Olei odorati $\frac{1}{48}$ fundere dicitur. *Datur ſub forma Infuſi, vel Syrupi, vel Aquæ deſtillatæ Muci Pulmonalis Incidendi cauſa. Extus Sugillatis ſub forma Epithematis aut Fotus applicatur.*

HYSTRICIS LAPIS, *Porcinus, Pedro del Porco.* Malacenſis & Zeylanicus exſtat, prior etiam ſimpliciter *Lapis Malacenſis* dictus, poſteriore multo majoris venit; Ovi columbini circiter magnitudinem habet, utrinque compreſſus, cornei ſuffuſa rubedine coloris, lævis, ſplendens, aquam affrictu ſuo, Saponis inſtar, viſcidulam reddit. *Zeylanicus* nigricans Ovi gallinacei magnitudinem fere æquat, formamque Succi inſpiſſati refert. Uterque amariſſimus aquam etiam, cui

immergitur ſuo ſapore imbuit. Erinacei Malacenſis L. Aſiæ Meridionalis Quadrupedis Calculi fellei eſſe dicuntur. *Celebratam virium hujus Lapidis in morbos Malignos efficaciam, cujus famam enorme, quo venduntur, pretium ſecundaverat, experientia non confirmavit.*

JACEA, *Penſée, Dreyfaltigkeit.* Folia petiolata, ovato-lanceolata, profundioribus dentibus notata, inodora ſunt, ſapore glutinoſo palatum afficiunt. Viola tricolor L. Blackwell Tab. 44. Occurrit per omnem Europam. *Foliorum recentium Infuſo Catharticæ vires ineſſe dicuntur, quem in finem Unciæ quatuor pro doſi præſcribi ſolent. Folia exſiccata gratum Fæni odorem ſpirantia, cum Lacte cocta & per aliquot ſeptimanas infantibus exhibita Cruſtam lacteam curare Obſervationes teſtantur.*

JACOBÆA. Folia amplexicaulia, ovato-oblonga, ad nervum uſque pinnis denuo pinnatis pinnatifida, læte viridia, ſubadſtringentia. Senecio Jacobæa L. Vulgaris per Europam. *Roborandi ſcopo interne, Traumatico externe, hinc & inde olim commendabatur.*

JALAPPA. Taleolæ mox rotundæ, mox oblongæ, cortice nigricante, rugoſo, ſubſtantiam cingunt gryſeam, nigris ſtriis variegatam; odorem habent proprium, nauſeoſum, ſimilemque ſaporem eminentis inſuper acrimoniæ. Quo ſunt graviores, quoque pluribus ſtriis interſtinctæ, eo habentur meliores. Ab aliquot retro annis integræ mittuntur radices, pugnum æquantes, rotundæ, ſuperne leviter compreſſæ, inferne tubere, tanquam pedunculo, ſuffultæ. Non a Mirabili L. ſed a Convolvulo Jalappa L. planta Mexicana, apud nos per hyemem in caldario aſſervanda, deſumitur. *Ad Scrupulos duos ſub forma Pulveris data, non ſine irritatione Alvum ducit, quem vero effectum cum unice vi Reſinæ edat, cujus in quibuſque taleolis non eadem ratio obtinet, conſultius omnino eſt, Reſinam quam Radices exhibere.*

JASMINUM. Flores ex longo tubo quinquefidi, albi, interdum roſeo-variegati, fragrantiſſimi, inſipidi. Jaſminum officinale L. Indiæ proprium, copioſe in hortis Europæis colitur; a noſtra hyeme in frigidario tuetur. *Flores recentes Fra-*

grantium effectus edunt. Oleum deſtillatum dare recuſant, *Oleum Behen* cum eis infuſum *Olei Jaſmini* nomine in officinis proſtat, *ad uſus Coſmeticos ob gratum, quem large ſpargit, odorem aptatum.*

ICHTHYOCOLLA, *Colle des poiſſons, Hausblaſe.* Maſſæ cylindroideæ, in ſpiras convolutæ, manifeſte ex laminis efformatæ, digitum circiter craſſæ, inſigniter tenaces, inodoræ & inſipidæ. Quo magis flavæ aut brunæ, eo ſunt deteriores. Paratur ex Veſicis quarumvis Acipenſeris L. ſpecierum, unde tunicæ internæ deſumuntur argenteo ſplendore nitentes, quarum plures preli ope una comprimuntur, convolvuntur, & filis ſuſpenſæ exſiccantur; Aqua penitus diſſolvitur, quam quidem viſcedine imprægnant, adeo ut ad glutinanda vitrea & porcellanea vaſa adhiberi poſſit, Vina etiam turbida clarificat, nec non ad alias artes adhibetur. *Cum Aqua in Gelatinam redacta Demulcendi & Relaxandi ſcopo juſculis immittitur, Clyſmatibus adjicitur.*

IMPERATORIA, *Oſtrutium, Meiſterwurzel.* Radix aliquot pollices longa, compreſſa, rugoſa, annulis transverſis velut in articulos diſtincta, extus cinereo-fuſca, intus alba, odoris proprii ad Angelicam accedentis, ſaporis acris, amari, aromatici. Imperatoria Oſtrutium L. BLACKWELL Tab. 279. Montana Europæ planta, ſed in hortis etiam cultu facilis. *Valide tam humores Reſolvit, quam ſolida Stimulat, ad Infuſa quandoque recipitur.*

INDI FOLIA ſeu *Malabatri.* Magna ſunt, petiolata, ovato-lanceolata, tribus nervis ad baſin coëuntibus interſecta, ex viridi flaveſcentia, odorem ſpirantia levem, ſapore ſubaromatico Caryophyllos referentia, mucilaginoſo. Laurus Caſſia. Arbor Indiæ. Rariſſime hodie uſurpantur.

INDIGO. Maſſæ pulcherrimæ, variæ tam figuræ quam magnitudinis, cæruleæ, inſipidæ & inodoræ, diffractæ Cupri rubedinem ſplendore referunt. Eſt Fæcula variarum Indigoferæ maxime TinctoriæL. ſpecierum, quæ ex Aſia in Americam translatæ, ibidem jam copioſiſſime coluntur; optimus a *Quatimalo* adducitur, quem *Dominicenſis* ſequitur, *Ca-*

rolinenſem poſt ſe relinquens. Pulchritudo Fæculæ a juſto putredinis gradu pendet. Color cæruleus neque Acidis additis rubeſcit, neque Alcalinis virideſcit. *In arte baphica creberrimus ejus uſus, in Pharmacopoliis vero propter colorem rariſſimus, cetera nullus eſt.*

IPECACUANHA. Radix aliquot pollices longa, vix linea craſſior, varie flexa, rugis circularibus eminentibus diſtincta, extus ex nigricante gryſea, intus albiſſima, odore tenuis, nauſeoſa, ſapore ſubſalina. An ex quadam Violæ L. Euphorbiæ L. Loniceræ L. ſpecie deſumatur, in dubio adhuc relinquitur. Mittitur nobis ex Braſilia. *Emetico ſcopo ad Scrupulum unum datur; minores etiam doſes efficaciam præſtant; ad tertiam Grani partem ſingulis trihoriis data Hæmorrhagias Uteri curat. Specificis Antidyſentericis adſcribitur. Gryſea*, quæ & major & craſſior & mitior eſſe & ex regno Peruviano mitti dicitur & *Alba* Cayennæ, plane iners, apud nos ſaltem non adhibentur.

IRIS FLORENTINA, *Violenwurzel.* Radices varia craſſitie & longitudine, cuticula externa ablata, albæ ſunt, intus leviter flaveſcentes, parum compreſſæ, hinc inde tuberculis notatæ, odore fragrantes, Violas referentes, ſapore acres, amaricantes. Iris Florentina L. Blackwell Tab. 414. Creſcit in Italia; noſtras hyemes innocua fert. Radices longiores & rectæ ſub nomine LONGARUM ſeorſim aſſervari ſolent; *ad morbos a Muco oriundos cum ſucceſſu adhibentur. Extus ad Dentifricia, Epithemata Reſolventia, uſus Coſmeticos, tornatos quoque inde globulos Fonticulis inſerunt. Longæ infantibus dentientibus admordendæ præbentur.*

IRIS NOSTRAS. Radix fibroſa, craſſa, rugoſa, flavicans, intus alba, leviter amara, ſubſequente ſapore Violas referente. Iris Germanica L. Blackwell Tab. 69. Europæ temperatæ; *Vires Purgantes & Diureticas habere dicitur.* Quod Cl. Montet animadvertit, eam cuticula ſcilicet externa ablata, & calore ſatis valido exſiccatam priori ſimillimam evaſiſſe, ego quoque obſervavi, ſed odor elapſis demum aliquot annis omnem ſuavitatem aſſequitur.

JUBABÆ CORTEX. In fruſtis aliquot pollices longis, impariter craſſis, una facie concavis ad nos ex India transvehebatur, ſulcis longitudinalibus rugoſus, ferrugineus, intus pallidior, odore & ſapore Vanigliæ proximus, ſed debilior, leviſſime amaricans. *A virtute Nervina laudabatur & Vanigliæ ſubſtituebatur.*

JUDAICUS LAPIS. Olivæformis eſt, albus, totus ſtriis longitudinalibus notatus, petiolo inſtructus, intus ex lamellis ſubpellucidis efformatus, inodorus, inſipidus, in Acidis cum effervefcentia penitus diſſolubilis. Helminthus Judaicus L. Aculeus Echinorum in lapidem converſus, paſſim per Europam occurrit. *Calculum comminuere quondam putabatur.*

JUGLANS NUX, *Nux Perſica* vel *Regia, Noix, Nuſſe. Putamen* ſubrotundum, apice prominente inſtructum, viride, tenax, digitos nigro colore inficiens, odorem non admodum gratum, ſaporem habet adſtringentem, amarum; *Oſſiculum* durum eſt, albicans, rugoſum; *Nucleus* albus, quadrilobus, lobis anfractuoſis, gibboſis, dulcibus, ſepto interſtinctus, cuticula tectus flava, adſtringente, nonnihil etiam acri. Juglans Regia L. Blackwell Tab. 247. Syriæ & Perſiæ. Copioſiſſimus ejus per Europam temperatam proventus eſt. Exſiccatæ Nuces Juglandes dimidium ſui ponderis Olei fundunt flavicantis, dulcis, ſuaviſſimi, frigore non ſpiſſeſcentis, ad uſus pictorios aptiſſimi. *Putamen Saccharo conditum Stomachico ſcopo, ejuſdem Extractum aquoſum Anthelmintico laudatur. Nuclei in cibum recipiuntur & contra Vermes commendantur.*

JUJUBÆ, *Jujubes, Bruſtbeeren.* Drupæ ventricoſæ, cylindroideæ, utrinque pulvinatæ, ſub cuticula ſicca, præ laxitate rugoſa, rubra, *Pulpam* vehunt flavam, dulcem, ſpongioſam, *Nucem* complectentem utrinque acutiſſimam, & ſub hujus oſſiculo ventricoſo Nucleum, qui ſub cuticula rubra, medullam albam continet. Rhamnus Ziziphus L. Blackwell Tab. 569. Copioſa in Europa Meridionali, in noſtris regionibus a rigore hyemis in frigidario defendenda. *Recipiuntur Drupæ ad Decocta Pectoralia.*

JUNIPERUS, *Genêvre, Wachholder. Lignum* proſtat in

minora fruſta ſectum, album, cortice tectum extus gryſeo, intus ferrugineo; odorem ſpargit aromaticum & fragrantem, ſimilem etiam accenſum emittit fumum; ſapor leviter aromaticus eſt. *Baccæ*, quæ nonniſi biennes colliguntur & Piſa tam magnitudine quam figura æquant, nigro-cæruleæ ſunt, ſuperne exiguo umbilico notatæ, pulpa earum dulcis, viſcida, ferruginea, aromatica, grate odorata, tria ſemina concludit. *Gummi*, quod etiam *Sandaracæ Gummi* appellant, Maſtiches grana tam figura, quam colore refert, inodorum, dentibusque ſubmiſſum minime tenax, ſed friabile deprehenditur. Juniperus communis L. Blackwell Tab. 187. Vulgaris per Europam Arbuſcula. Baccæ Olei odorati $\frac{1}{32}$ fundunt, multum calidi, quapropter internus ejus uſus rariſſimus eſt. *Extus Roborandi & Reſolvendi ergo adhibetur.* In Europa Meridionali ſpecies, modo dicta, Gummi fundit, quod in Africa quoque aliæ Juniperi ſpecies faciunt, igne molleſcit, ſed fundi recuſat, in Spiritu utique Vini, in Aqua nequaquam ſolubile eſt, in Oleis etiam diſſolvi negant Obſervatores. *Lignum aqua decoctum Sanguinem egregie Depurare, Excretionesque aquoſas promovere Obſervatores teſtantur; Suffitum ejus ad purificandum aërem æque ac diſcutiendos Rheumatiſmos & Œdemata adhibent. Baccæ laudantur ad aperienda Viſcera Abdominalia & augendas Excretiones aquoſas, adhibentur vel ſub forma Decocti, vel cum aqua ad conſiſtentiam uſque Mellis coctæ, ſub titulo ROB. Extus ad Suffitus & Frontalia recipiuntur. Gummi* vel potius Reſina *Suffitibus Diſcutientibus adjicitur, ad Vernices maxime adhibetur.*

KIKEKUNEMALO GUMMI. Fruſta variæ magnitudinis flavicantia, ſemipellucida, extus tenuiſſima, nigricante cruſta obducta, odorem gratum ſpirantia, ſimili ſapore reſinoſo prædita, inter dentes lenteſcentia, calore liquabilia, inflammabilia, accenſaque fumum emittentia ſuave & fortiter olentem. Olei odorati albicantis, leniter acris $\frac{1}{32}$ fundere dicuntur. *Suffitus eorum laudabatur contra Rheumatiſmos & Eryſipelas.* Alcohol diſſolutum Kikekunemalo egregium Vernicem conſtituit.

KINO. Gummi rubrum, adſtringens Gambienſe. Proſtat

in fruſtis variæ magnitudinis, ad Juglandis uſque volumen ſeſe extendentibus, ſplendicantibus, ex rufo-nigricantibus, extus nubecula ferruginei coloris obductis, odore vacuis, ſapore fortiter adſtringentibus, forma exſiccatas inſpiſſatione maſſas referentibus, in aqua pene omnino diffluentibus. Ex regione Africæ, fluvio Gambiæ adjacente, quatuor abhinc luſtris ad nos pervehi cœpit. *Laus ejus in Diarrhœa Chronica, Fluore albo, nimio Menſium fluxu &c. ſanando ponitur.*

LABLAB. Eſt Semen ovatum, nigrum, hilo albo eminente, ſemilunari notatum, odore, ſapore, viribus cum *Phaſeolo vulgari* convenit. Deſumitur a Dolicho Lablab L. Ægypti progenie, paſſim in noſtratibus quoque hortis adoleſcente.

LAC, *Lait, Milch.* Liquor ex mammis animalium emulſus, vix odorus, dulcis ſapore, ſpiſſiuſculus, albus, ſponte in *Cremorem, Serum* & *Caſeum* ſecedens, qui ſeceſſus calore adjectisque Salibus acceleratur, Saccharo contra aut bullitu cavetur. Differt inter ſemet Lac pro vario animalis, unde deſumitur, genere; Vaccinum ego vidi ubertate ſeri vincere Humanum & Caprinum, cedere Cremoris & Caſei copia Ovillo ac Caprino; Ovillum vero ſuperare reliqua omnia Cremoris abundantia. Sed in eodem etiam genere Lac pro ſingulorum Animalium ætate, vitæ genere, pabulo, diſtantia a partu, tempore, quo emulgentur &c. differt. Lac leni calore in pulverem redactum *Franchipane* dicitur, cui, ſi aquam ſuperfuderis, obtinebis *Serum Lactis dulce* HOFFMANNI. *Nutriendi, Demulcendi, Relaxandi ergo adhibetur.* Lac quod cæruleſcit aut flaveſcit, alienum odorem aut ſaporem prodit, cujuſque gutta ungui inſtillata diffluit, rejiciendum eſt.

LAC LUNÆ, *Agaricus mineralis.* Terra calcarea, alba, tenera, ſpongioſa, digitos fœdans, in qua agitatur aqua, diutius ſuſpenſa hærens, lacteo eam colore inficiens, inodora, inſipida. Calx Gur L. Fiſſuris montium crebro in modum ſpongiæ adhæreſcit. *Abſurde ſatis Lac augere credebatur.*

LACCA. Reſina ex ramulis ſub forma granulorum ſuſpenſa, denſe rubra, non ſine flavedinis veſtigio, manifeſte

ex

ex cellulis ſibi invicem agglutinatis efformata, inodora, ſapore leviſſime amara, a quodam Inſecto efficta, quod Formicis vulgo adnumerant & ramulis Croton lacciferi L. Indiæ Orientalis, Bengalæ & Pegu Arboris; & hæc quidem *Lacca in baculis* appellatur: inter dentes lenteſcit, flammas concipit, inflammataque ſuavem odorem ſpargit, aquam tingit, qua tamen non diſſolvitur, nec Oleis diſſolubilis eſſe dicitur. *Lacca in granis* ab iſta in baculis eo tantum differre dicitur, quod hæc de baculis abraſa, aqua calida digeſta, & denuo exſiccata eſt; irregularis figuræ & læte rubra, fuſioni reſiſtit; *Lacca in tabulis* in fruſtis variæ magnitudinis, minus quam antecedentes rubris proſtat; ex Lacca in baculis parari dicitur, poſtquam ea ad uſus baphicos fuerit adhibita, fuſa. *Rariſſime intus ſcopo Adſtringendi datur; extus ad Dentifricia adhibetur. Lacca in tabulis unice ad Ceram ſigillatoriam recipitur.*

LACERTA, *Lezard, Eidexe.* Lacerta Agilis L. Per omnem Europam occurrit. Amphibium quadrupes, caudatum, ſquamoſum, olivaceo colore nitens. *Vulnerariæ vires ei vulgo tribuuntur. Adhibetur Oleum unguinoſum cum ea infuſum.*

LACRYMA JOB. Semen nitidum, inverſe turbinatum, ſub cortice duriore, cineraſcente includit nucleum membrana tectum, rotundum, ruſeſcentem, inſipidum, inodorum. Coix Lacryma Job L. Indiæ planta, apud nos non perennat. *A quibuſdam ob virtutem Diureticam commendabatur.*

LACTUCA, *Laituë, Salat. Folia* tenella, colore, magnitudine, figura, craſſitie &c. multum inter ſe diverſa, ad uſus cibarios ante plantæ cauleſcentiam recipienda. *Semina* oblonga ſunt, utrinque acuta, ſub cuticula leviter flaveſcente ſeu nigricante, paululum medullam albam & dulcem includunt. Lactuca ſativa L. BLACKWELL Tab. 88. Innumeræ varietates in hortis coluntur, quæ in duo genera diſcedunt; unum earum, quarum folia interna, exterioribus teneriora in caput rotundum coëunt, *Laituë pommée, Kopfſalat,* alterum foliorum in meditullio arctius compactorum, oblongorum, *Chi-*

con, Rœmiſcher vel *welſcher Salat. Folia recentia inter cibaria referuntur, ſcopo medicato ad Decocta Aperientia recipiuntur. Semen quatuor frigidis minoribus olim adnumeratum exſolevit.*

LACTUCA VIROSA, *Sylveſtris.* Folia haſtata, laciniis ſerratis ſinuato-laciniata, duriuſcula, glauca, coſta dorſali aculeata, odorem viroſum, ſaporem acrem amarumque exhibentia. Lactuca Scariola & Lactuca viroſa L. Vulgares per Europam plantæ. *Succus lacteus, quem fundunt plantæ, exſiccatus Opio ſimillimus habetur; eundem ante inſpiſſationem probe clarificatum ad aliquot Drachmas per diem partita doſi datum Hydropicorum aquas evacuaſſe, quin imo ipſum morbum curaſſe recentiſſime narratur.*

LADANUM GUMMI. Reſina nigra, leviter odora, inſipida, friabilis, manuum fotu emollitur, igne non funditur, accenſa fumum proprii non ingrati odoris emittit. Quod vulgo in officinis proſtat ex Creta advectum, in placentulas tortum, multa arena nigra inquinatum, *en Tortis* dicitur; *Canadenſe Liquidum* dictum, maſſis in modum Extracti mollibus conſtat; *Hiſpanicum* ſub forma bacillorum Succi Liquiritiæ ſimilium accipimus; *Barbaricum* maſſas ſiſtit Hiſpanico & Cretico molliores; recenſetur præterea adhuc *Cretica* ſpecies, quæ in majoribus maſſis Emplaſtri fere mollitiem, colorem ex rufo-nigricantem, odorem ceteris fere fragrantiorem habentibus, veſicis involuta nobis transmitti & *Ladanum en maſſes* appellari dicitur. *Creticum* Ciſtus Cretica L. exſudat, Archipelagi indigena, apud nos per hyemem in frigidario aſſervanda. Nec in Aqua, nec in Oleis diſſolubile fertur. Oleum odoratum fundere dicitur. *Hodie vix ad alios uſus, quam ad Suffitus recipitur.*

LAMIUM videatur GALEOPSIS.

LAPATHUM, *Patience, Grindwurzel. Radices* fibroſæ, pollicem circiter craſſæ, extus nigræ, intus luteſcentes, inodoræ, guſtu acriuſculæ, paululum etiam adſtringentes, ſubamaræ. *Semina* ſunt triquetra, valvulis dentatis, ſingulis graniferis, rufeſcentia, auſtera. Rumex acutus L. Vulgaris per Europam planta. *Radices Aperiendi, nec non Sanguinem Depurandi*

gratia in Decocta recipiuntur. Extus ad Lotiones & Balnea contra Scabiem adhibentur. Semina olim ob Adſtringentem & Alexipharmacam virtutem a nonnullis laudabantur.

LAVENDULA, *Spica, Spica Nardi. Folia* ſolidiuſcula, obtuſa, incana, pergrati odoris, ſaporis aromatici. *Flores* aſſervantur calice irregulariter quadrifido, tomentoſo incluſi, cærulei, bilabiati, parvi, ſuaviſſime odorati & aromatici. Lavendula Spica L. Blackwell Tab. 294. Europæ calidæ; noſtras hyemes innoxias fert. Ex noſtratibus floribus $\frac{1}{256}$ Olei odorati obtinui. *Oleum* fragrantiſſimum & optimus *Spiritus abſtractitius* ex Gallia Meridionali ſub nomine *Eau de Lavande* nobis mittitur. *Oleum ſpicæ*, quo ad Encauſticam & Vernices utuntur, eſt Oleum Terebinthinæ, cui pauxillum Olei Lavendulæ adjectum eſt. *Lavendula extus Nervino ſcopo nec non ad Diſcutiendum adhibetur.*

LAUROCERASUS. Folia breviter petiolata, firma, ovali-oblonga, utrinque viridia, ſuperne lucida, inodora, amaricantia, ſapore Nucleos Perſicorum referentia. Prunus Laurocéraſus L. Ex Trapezunte in Europam translata, frequenter in hortis colitur, nobis per hyemem in frigidario aſſervanda. Oleum odoratum fundere hæc folia dicuntur; menſtrua aquoſa æque ac ſpirituoſa cum eis infuſa gratiſſimo, quem a Nucleis denominant, ſapore inde imbuuntur. *Aquam inde deſtillatam tam brutis, quam hominibus venenatam eſſe, teſtantur Obſervatores; eandem ad Guttas ſexaginta aliquoties de die datam potentiſſimum Viſcidi tenacis reſolvendi remedium eſſe; Foliorum Infuſum in Obſtructionibus Hepatis; eadem cum farina in Cataplaſma redacta in Tumoribus ſcirrhoſis egregios effectus edere Recentioris Medici Angli obſervatio eſt.*

LAURUS, *Laurier, Lorber. Folia* petiolata, ovato-lanceolata, acuta, firma, multis nervis notata, proprium odorem gratum ſpirantia, ſimili ſapore multum aromatico, amaricante prædita. *Baccæ* ovatæ, nigræ, exiguo acumine notatæ, leviſſime rugoſæ, ſub cuticula tenera & fragili nucleum continent colore Caſtaneis fere ſimilem, bipartitum, odore laurino, non admodum grato, ſapore acri, aromatico, amaro, nauſeoſo imbutum. Laurus Nobilis L. Blackwell

Tab. 175. Europæ calidæ propria arbor, nobis in frigidario a noſtræ hyemis rigore defendenda. Folia Oleum ſtillatitium exhibere dicuntur; ex Baccis Olei unguinoſi, viridis, nauſeoſi, amari conſiſtentiam Unguenti odoremque baccarum habentis $\frac{1}{16}$ obtinui. *Foliorum hodie crebrior in culinis, quam in Medicina uſus eſt. Baccæ Roborant & in Renes æque ac Uterum agere dicuntur, ſed Sanguinem nimis exæſtuantes nunquam intus dandæ, ne vendendæ quidem promiſcue ſunt a Pharmacopolis, ob vehementem, qua in Uterum agunt, virtutem. Externus earum uſus in Abſtergendo verſatur.* Oleum earundem unguinoſum ex Italia nobis mitti ſolet, *a vi Reſolvente potiſſimum commendabile.*

LAZULUS. Lapis pulcherrime cæruleus, polituram admittit, ad Chalybis ictus nullas ſcintillas emittit, fortiore igne funditur, maculis interdum Pyritaceis conſperſus eſt, Spiritibus acidis in gelatinam liquatur; colorem a Ferro, quod vehit, habet. Cuprum Lazulus L. Abſurdiſſima denominatio, cum in eo ne veſtigium quidem Æris exſtet. Zeolithis adſcribendus. Venit ex Oriente. In officinis, more quam maxime reprehendendo *Lapis Armenus* ipſi non raro ſubſtituitur. *Cordiales habere vires olim putabatur.* In tenerrimum pollen tritus *Ultramarinum* conſtituit.

LEMNIA TERRA. Argilla in bacillos efformata, cum admixta rubedine flavicans, inſipida, inodora, ſuperficies pulverulenta digitos tingit, dorſo per inæqualia intervalla varia ſigna impreſſa ſunt. Aliæ quoque Argillæ hodie ſub hoc nomine proſtant. Argilla Lemnia L. Ex Turcia venire dicitur. *Mirandum profecto eſt, inertem hanc terram, quæ adſcriptas ſibi virtutes ſoli ſuperſtitioni debebat, Veterum tamen auctoritate per tot Secula in celebritate verſari potuiſſe.*

LENS, *Lentille, Linſe.* Semen rotundum, utrinque convexum, margine acuto cinctum, cineracei coloris, qui vero coctione, cum medulla exigui odoris, leguminoſi ſaporis, fuſcus evadit. Ervum Lens L. Europæ Meridionalis proprium, paſſim in agris colitur. Extracti Gummoſi $\frac{1}{4}$ largitur. *Recipiuntur Lentes in cibum. Olim earum Decoctum Variolis laborantibus ſalubre ferebatur.*

LENS PALUSTRIS, *Waſſerlinſen.* Folia parva, ovata, in cæſpites cohærentia, ſucculenta, inſipida, inodora, ſingula inferne filamentum emittunt. Lemna minor L. BLACKWELL Tab. 380. Paſſim per Europam occurrit. *Refrigerandis partibus Inflammatis ſive per ſe, ſive ex Lacte cocta imponitur.*

LENTISCUS videatur MASTYX.

LEPIDIUM, *Paſſerage, Pfefferkraut.* Folia ovato-lanceolata, ſerrata, Naſturtini tam odoris, quam ſaporis, & hujus quidem ſatis evidenter linguam ferientis. Lepidium latifolium L. Galliæ & Angliæ indigena, hortisque noſtris, in quos recepta eſt, improbo ſuo reptatu incommoda planta. *Condimenti loco cum Carne comeditur; a quibuſdam contra Scorbutum, Sanguinis impuritates &c. commendatur.*

LEPUS, *Lievre, Haas.* Lepus timidus L. Notiſſimum per univerſam Europam & juſto frequentius Quadrupes; nondum anniculus, & in locis præſertim montanis degens, ad cibum optimus eſt. Aſtragali, *Talons, Haaſenſprung,* qui *Talorum* nomine veniunt, ſunt oſſa oblonga, albida, uno extremo ginglymoideo, altero obtuſo, corpore inter utrumque contracto. *Laudabantur ob vires Diureticas; Axungia* Linimenti conſiſtentiam, odorem habet injucundum. *In Reſolvendo laudatur. Pili* bruni & molles *olim ad Unguenta Hæmorrhagias ſiſtentia recipiebantur.* Lepus in olla tecta in carbonem converſus, ſive *Uſtus, Lithontriptico ſcopo exhibebatur.*

LEVISTICUM, *Levêche, Liebſtœckel. Radices* fibroſæ, flavæ, intus albæ, ſapore proprio, non ingrato, acri, aromatico, dulciculo etiam, odore fragrante, non nauſeoſo, aromatico inſtructæ. *Folia* petiolata, duplicato-ternata, foliolis majuſculis, cuneiformibus lobatis, ſuperne inciſis, odorem & ſaporem Radicum, utrumque tamen remiſſiorem habent. *Semina* ovalia, majuſcula, tuberculo pyramidali terminata, alata, flava, tam ſapore quam odore Radices & Folia ſuperant. Liguſticum Leviſticum L. BLACKWELL Tab. 275. In Alpibus Italiæ ſponte, in hortis noſtris culta creſcit. Oleum odoratum fundere fertur. *Angelicæ vires, ſed mitiores habet; contra Uteri morbos maximopere commendatur.*

LICHEN ISLANDICUS, *Purgiermoos.* Ex foliis efformatur ſubereċtis, coriaceis, flexilibus, verſus baſin latioribus, intus fuſcis, extus albis, laciniatis laciniis latiuſculis, denuo laciniatis, ciliatis, exiguis lacunis adſperſis, inodoris, amaricantibus. Lichen Islandicus L. Paſſim Europæ ſaxis accreſcit. Cum aqua Gelatinam rubicundam formare, *exſiccatus, in pulverem redactus & Lacte elixatus in alimentorum locum ſubire; leniſſime Alvum ducere Aqua cum eo decocta, aut pulmentum cum Lacte inde paratum Phthiſicis conducere* fertur.

LIGUSTRUM, *Trœſne, Hartriegel, Dintenbeerlein. Folia* ovato-lanceolata, integerrima, ſuperne læte, inferne pallide viridia, leviter adſtringentia & amaricantia. *Flores* infundibuliformes, recentes albi & fragrantes, exſiccati vero flavi, inodori. Liguſtrum Vulgare L. BLACKWELL Tab. 140. Ubicunque Europæ, citra maxime Septentrionalem, domeſtica planta. *Tam Folia quam Flores ad Gargariſmata interdum recipiuntur. Iners omnino eſt Aqua inde deſtillata.*

LILIUM ALBUM, *Lis, Lilie. Radicum* exſiccatarum ſquamæ, inter ſe ſeparatæ, plus minus flexæ, duriuſculæ, fragiles, carneo colore, inſipidæ, inodoræ. *Florum* petala aſſervantur alba, membranacea, ſaporis & odoris vacua, odor enim & ſapor una cum pulpa exſiccatione perit. Lilium candidum L. BLACKWELL Tab. 11. Orientis progenies, copioſe in hortis noſtris colitur. *Radices creberrime extus ſcopo Emolliendi & Suppurandi adhibentur; Flores recentes fragrantium effectus edunt, exſiccati plane inertes ſunt; neque proprii quid habent Aqua inde deſtillata, vel Oleum cum eis infuſum.*

LILIUM CONVALLIUM, *Muguet, Mayenblümlein. Flores* campanulati, ſexfidi, albi, amaricantes, dumque recentes ſunt, ſuaviſſime olentes, exſiccati inodori. *Baccæ* rotundæ, rubræ, pulpa rubro-flava, plura ſemina vehente refertæ, inodoræ, amaræ. Convallaria Majalis L. BLACKWELL Tab. 70. Creſcit qua patet Europa. *Flores recentes fragrantia ſua Refocillant, exſiccati ad Pulveres Sternutatorios recipiuntur; Bac-*

eas in Pulverem redactas Epilepticis ſalubriter datas fuiſſe relatum legimus. Aqua inde deſtillata & Spiritus abſtractitius inertes ſunt.

LIMAX, *Limaçon rouge, rothe Schnecke.* Eſt Vermis nudus, oblongus, craſſiuſculus, tentaculis inſtructus. Limax ſubrufus L. Frequens per Europam. *Viſceribus exemtis ad Juſcula Antihectica recipitur.*

LIMON videatur CITRUS.

LINARIA, *Linaire, Harnkraut.* Folia anguſta, oblonga, acuta, exigue amara, poſt exſiccationem inodora. Antirrhinum Linaria L. BLACKWELL Tab. 115. Vulgaris per Europam. *Hæmorrhoidibus applicatur ſive ex Lacte cocta, ſive in Unguentum recepta.*

LINUM, *Lin, Flachs.* Semina ovato-oblonga ſunt, compreſſa, uno extremo acuta, cortice lævia, ſplendentia, ex fulvo-albicantia, nucleum album & dulcem comprehendunt. Linum Uſitatiſſimum L. BLACKWELL Tab. 160. Europæ Auſtralis domeſticum, paſſim per agros cultum. Semen Olei unguinoſi circiter $\frac{1}{5}$, Mucilaginis ultra $\frac{1}{6}$ largitur; & ad hanc quidem extrahendam cum Aqua fervida Semen infundendum eſt. *Cum fervida infuſum adverſus Renum Dolores intus; ad Clyſmata & Cataplaſmata ſopientia extus adhibetur. Olei inde expreſſi, flavi, inſuavis internus uſus contra Volvulum, Pleuritidem, Colicam præſcribitur; ſub forma Clyſmatis injectum principem inter Medicamenta Anticolica & obſtructam Alvum reſerantia locum tenet.*

LINUM CATHARTICUM. Caules filiformes, teretes, foliis ovatis, parvis, ſubacutis obſeſſi, inodori, amaricantes, leviſſime ſalſi. Linum Catharticum L. BLACKWELL Tab. 368. Vulgaris per Europam planta. *Cum aqua infuſum aut ſub forma Pulveris hauſtum Alvum ducere fertur.*

LITHARGYRIUM, *Litharge, Silberglætte.* Subſtantia friabilis, ex ſquamis plus minus rufeſcentibus aut flavicantibus, non raro ſplendentibus compoſita, ſapore adſtringens. Oritur ex Plumbo, Metalla nobilia in cineritio majore depurante; itaque vitrum Saturni eſt, Ære aliisve metallis ignobilioribus contemeratum. In *Lithargyrium Auri & Argenti* diſtinctio abſona eſt. *Ad Unguenta & Emplaſtra recipitur.*

LOOK GUMMI. *Succinum Indiæ Occidentalis.* In fru-

ſtis permagnis nobis mittitur flavicantibus, pellucidis, tenue ſed ſuaveolentibus, inter dentes lenteſcentibus, ad flammam fluentibus, flammam concipientibus, olidum fumum emittentibus, in Alcohole non diſſolubilibus. Advehitur ex Africa. *Inſtar aliarum Reſinarum adverſus Odontalgiam & Cephalalgiam Temporibus imponebatur.* Non raro iſti, quod *Gummi Copal* nomine venit, ſubſtituitur.

LOPEZIA. Radix cujus variæ craſſitiei fruſta in Europam mittuntur, quale ego poſſideo B. Gaubii amicitiæ debitum, ſeſqui pollicem fere craſſum, leve, album, ſolidum, cortice flavicante, rugoſo, laxo, tactu fere tomentoſo tectum. Radix nec odora, nec ſapida, Cortex tenuiter amarus eſt. Redi *Experiment. circa varias Res Natural.* Amſtel. 1681. p. 138. Radicis, a Johanne Lopet in littore Africæ repertæ, & ab eodem denominatæ, mentionem facit; diu neglectam Gaubius denuo in uſum traxit & eam *ſive in Decocto ſive ſub forma Pulveris ad Drachmam ſemis aliquoties de die datam in vario Alvi fluxus genere, Diarrhœa maxime colliquativa egregie conducere tam ſua quam aliorum experientia confirmavit.* Enorme, quo Amſtelodami venditur, pretium inhibuiſſe videtur ulteriora ejus tentamenta. Venit nobis ex Goa.

LUCIUS, *Brochet, Hecht.* Aquas dulces inhabitans Piſcis. Eſox Lucius L. digeſtu facilis. *Axungia Aſciæ Axungiæ* ſatis ſimilis. *Fel* Humor liquidus, ex flavo viridis, amariſſimi ſaporis, *contra Corneæ vitia Abſtergendi ergo uſurpatur. Mandibula* inferior, antice ſurſum flexa, dentibus anterioribus parvis, poſterioribus majoribus inſtructa, flavicans, inſipida, inodora, *olim Pleuriticis commendabatur.*

LUMBRICUS TERRESTRIS, *Ver de Terre, Regenwurm.* Vermis calami anſerini fere craſſitie, coloris dilute rubicundi, odoris tenuis, ad mucidum vergentis, ſaporis expers. Lumbricus terreſtris L. Ubivis obvius. Gelatinæ ſiccæ $\frac{1}{12}$ inde obtinui. *Contra Arthritidem Succi expreſſi Uncia una pro doſi, aut exſiccatorum Pulveris Drachma ſemis exhibetur.*

LUNARIA RACEMOSA, *Lunaire, kleine Mondraute.* Folia craſſiuſcula, pinnis lunatis pinnatifida, inodora, ſapore adſtringente

adſtringente prædita. Oſmunda Lunaria L. Blackwell Tab. 420. Paſſim per Europam invenitur. *Plurimæ de ea circumferuntur ſabellæ. Adſtringendi ſcopo ſubinde adhibebatur.*

LUPINUS, *Lupin, Feigbohne.* Semen compreſſum, rotundum, margine leviter angulato, ſub cortice albo medullam albam & amaram includit. Lupinus albus L. Blackwell Tab. 282. In hortis colitur. *Crebris in Aqua lotionibus amaritie demta, per Europam Meridionalem in cibum recipitur; apud nos Farina ejus Reſolvendi & Abſtergendi ſcopo extus adhibetur.*

LUPULUS, *Houblon, Hopſen. Turiones* ſunt parvi, graciles, anguloſi, exiguis nodulis diſtincti, extus ſubrufi, intus albi, guſtu ſubamari, evidenter aromatici. *Strobili* ſeu *Flores* feminini ſunt Amenta e ſquamis ovatis, ſiccis, flavicantibus, laxis, extus leviter pubeſcentibus, intus glabris, uni communi axi affixis efformati; odorem aromaticum ſpirant, ſimilemque produnt ſaporem amaritie ſubmiſtum. Humulus Lupulus L. Blackwell Tab. 536. Per omnem Europam creſcit; cultura ſtrobilorum non magnitudo modo, ſed ſapor etiam & odor augentur. Turiones Extracti aquoſi ſaporis ſalini $\frac{1}{5}$ largiuntur, Decoctum eorum rubrum eſt. *Primo vere exquiſitum Olus præbent & ad Juſcula aperientia recipiuntur, Strobilorum præcipuus ad Cereviſiam uſus eſt. Laudantur ob vim Roborantem, Aperientem & Diureticam.*

LUPUS, *Loup, Wolf.* Animal quadrupes Cani ſimillimum, a quo ſola vita ſylveſtri differre videtur. Canis Lupus L. Per omnem Europam occurrit; ejus *Hepar* minus denſum & rubrum *Vino coctum, exſiccatum & in Pulverem redactum contra Hydropem & Hydrophobiam commendatur: Axungia nihil proprii habet.*

LYCOPODIUM, *Pied de Loup, Bærlapp. Semen* Pollen Antherarum, tenuitate ſua tactum fere fugiens, flavum, inodorum, linguam leviter adſtringens, candelæ lumini incuſſum fulguris inſtar accenditur. Deſtillatione principia Ceræ edere dicitur. Lycopodium Clavatum L. Blackwell Tab. 535. Paſſim per Europam creſcit. *Internum ejus uſum ſcopo Diuretico, ſunt qui laudent; extus Intertrigini aſpergitur.*

LYSIMACHIA, *Corneille, Perce-boſſe, gelber Weiderich.* Folia ovato-lanceolata, margine ſerrata, utrinque molliuſcula, viridia, ſapore linguam adſtringentia. Lyſimachia vulgaris L. BLACKWELL Tab. 278. Totius Europæ. *Tanquam Adſtringens & Vulnerarium olim laudabatur, ad Gargariſmata quoque recipiebatur.*

MACIS, *Fleur de Muſcade, Muſcatenblüthe.* Subſtantia membranaceo-pulpoſa, pinguiuſcula, ex laminis anguſtioribus retis inſtar flexis efformata, coloris, dum recens eſt, chermeſini, exſiccata luteſcentis, incumbit Nuci Moſchatæ. Aqua marina conſperſa, ſaccisque, aëre excluſo atque prohibito, arctiſſime incluſa mittitur nobis ex Inſulis Moluccis. Olei unguinoſi, bruni, ſpiſſi, odoratiſſimi $\frac{1}{5}$; Olei deſtillati $\frac{1}{64}$ largitur. *Primarum viarum Roborandarum gratia tam cibis quam medicamentis adhibetur, Anodynæ inde ſperantur vires.*

MAGNES, *Aimant, Magnet.* Eſt Lapis gryſei plus minus luteſcentis coloris, Ferrum dum funditur dimittit, integer illud attrahit & ad Polos Mundi vim ſuam dirigit. Ferrum Magnes L. Paſſim in Ferrifodinis Europæ offenditur. *Olim ſatis abſurde ad extrahendum e Vulneribus Ferrum adhibebatur; hodie adverſus Odontalgiam & affectus Spaſmodicos extus applicatus laudatur.*

MAJORANA, *Marjolaine.* Folia craſſiuſcula, ovata, albida, obtuſa, proprio fragrante odore & ſapore aromatico, ſubamaricante inſtructa. Origanum Majorana L. BLACKWELL Tab. 319. Europæ calidioris domeſtica, in noſtris hortis copioſe colitur. Olei odorati $\frac{1}{64}$ largitur. *Interdum ad condiendos cibos adhibetur. Extus ad Medicamenta Nervina, Diſcutientia & Sternutatoria recipitur.*

MALACENSIS LAPIS videatur LAPIS HYSTRICIS.

MALTA, *Drêche, Malz.* Eſt Hordeum aqua madefactum, ad germinandum in acervos congeſtum & deinceps ſolerter exſiccatum; colore ad brunum accedit, odorem non admodum gratum, ſaporem dulcem habet. *In aquæ ebullientis triplo per aliquot horas maceratum omnium ſaluberrimum Scorbuticis, nec non Sanguinis acrimonia laborantibus remedium eſſe aſſeritur, quem in finem tres ad quatuor uſque libræ Infuſi ægrotis quotidie propinantur.*

MALVA, *Mauve, Pappel. Radices* fibroſæ, albæ, digito non craſſiores, dulces. *Folia* cordata, orbiculata, petiolata, pubeſcentia, lobata, inſipida, inodora. *Flores* aſſervantur duplici calyce, exteriore trifido, interiore quinquefido ſuſtentati, pallide rubri, odoris pariter ac ſaporis expertes. *Semina* parva ſunt, reniformia, gryſea, ſapore mucilaginoſo. Malva Rotundifolia L. Blackwell Tab. 22. Vulgaris per omnem Europam. *In Emollientium numero habetur; vulgo Althæam ei præferunt.*

MALVA ARBOREA, *Roſe tremiere, Erndtroſe.* Flores profunde quinquefidi, creberrime pleni, nigricantes, duplici calyce tomentoſo ſuſtentati, odore vacui, ſapore adſtringentes. Alcea Roſea L. Blackwell Tab. 54. Orientis indigena, copioſe in hortis Europæis colitur. *Recipitur maxime ad Gargariſmata Roborantia.*

MANATI LAPIS. Varia magnitudine ad nos pervehitur. Eſt Dens oblongus, latus, utrinque convexus, ſuperne variis rugis & tuberculis inſignitus; minores autem prorſus læves ſunt, lævi & longitudinali ſinu diſtinctus, inferne cavitate magna conſpicuus, uno latere inferne introrſum flexo, craſſiſſimo, altero admodum tenui, in duo minora tubera diſtincto; majores lutei, minores albi, intus promiſcue albiſſimi, omnes inſipidi ſunt. Eſt Dens molaris Trichechi Manati L. in Oceano Africam & Americam alluente degentis. Iners omnino os *olim ad cohibendas Hæmorrhagias efficax ferebatur.*

MANDRAGORÆ RADICES, *Alraun.* Aſſervantur Cortices Radicum tenaces, extus gryſei, intus pallidiores, ſtriati, inodori, leviſſimo ſapore ſalino imbuti. Atropa Mandragora L. Blackwell Tab. 346. Europæ calidioris planta noſtras hyemes innocua fert. Mitius agere Cortex videtur, quam Radix; *huic vel ad pauca Grana abſorptæ vires Narcoticæ tribuuntur; extus ſub forma Cataplaſmatis Glandulis induratis imponitur.*

MANNA. *Succus* inſpiſſatus ex albo leviſſime luteſcens, proprio, admodum dulci ſapore, exiguo odore, in fruſtis variæ figuræ & magnitudinis ad nos transmittitur. Ex variis

Fraxini L. generibus, in Italia creſcentibus, ſumma æſtate exſudatur; Sole exſiccatus inde deraditur. *Canellata longa* Pariſ. fruſtis puriſſimis efformatur, aliquot pollices longis, unum circiter latis, una facie concavis; obtinetur fruſtis a cortice trunci exſciſis, loca vulnerata ſucco redintegrante. *Manna vulgaris Granulata* Pariſ. tam figura, quam magnitudine variat; truncus eam ſponte æque, ac vulneratus exſudat; fruſta inde majora quæque, albidiora & ſicciora Seplaſiarii ſeligunt & *Electæ* nomine vendunt. Mannæ, pro ſoli natalis diverſitate; diverſi ſunt bonitatis gradus. Optima habetur, quæ ad Giraci, Calabriæ ulterioris urbem, colligitur; hanc ſequitur, quæ nobis ex Siciliæ urbe Capachi venit, in commercio *Sicilienſis* dicta; quæ rurſus, quam *Calabrinam* vulgo nominant, antecellit, reliquæ apud nos in uſu non ſunt. *Manna Craſſa, Spiſſa & Sordida* Pariſ. multum colorata, humida, ſordibus inquinata, creberrime adulterata, omnino ex Pharmacopoliis eliminanda. Solvitur Manna in Aqua æque ac Spiritu Vini, neutiquam in Oleis. Frigida ejus ſolutio nauſeam minus movet, quam quæ calida exhibetur. *Aptiſſimum ad Alvi ductionem, quippe omni ætati convenientiſſimum & in omnibus morbis tutiſſimum medicamentum; recto quoque conſilio Enematibus immiſcetur. Doſis eſt ad Uncias duas & ultra.*

MARGARITÆ, *Perles, Perlen.* Calculi Margaritæ L. Sunt corpuſcula plus minus rotunda, candicantia, ex ſquamis ſibi invicem incumbentibus efformata, diaphana & hæc quidem. *Margaritæ Orientales* dicuntur, quarum nonniſi minimæ *Textiles, Saat- vel Lothperlen, Perles à l'once ; Semence des Perles* nominatæ, in Pharmacopolia recipiuntur. *Occidentales* minus ſplendent, colorem lacteum, ſuperficiemque utplurimum in tubercula erectam habent. Priores capiuntur ex Mytilo Margaritifero L. Sinus Perſici & Maris Auſtralis Conchylio. Poſteriores Mya Margaritifera L. potiſſimum largitur, variorum Europæ fluviorum alumna. Quod Oculi Cancrorum, id Margaritæ in conchis, *eædemque ab utrisque expectandæ ſunt vires.*

MARRUBIUM, *Andorn*, πϱάσιον. Folia ſubrotunda, cre-

nata, rugoſa, pubeſcentia, leviſſime odora, ſapore amaro, cui aliquid ſalini accedit imbuta. Marrubium vulgare L. Blackwell Tab. 479. Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem. Ejus Infuſum Sanguinem e Vena emiſſum & rubicundiorem & fluidiorem reddidiſſe lego. *Reſolvendi ergo uſurpatur.*

MARUM. *Folia* parva, acuta, craſſiuſcula, leviter pubeſcentia, odore proprio aromatico, ſapore imbuta amaricante, evidenter linguam feriente. Teucrium Marum L. Europæ calidioris indigenum, nobis per hyemem in frigidario aſſervandum, ſemper a felibus defendendum. Oleum deſtillatum valde pungens fundere dicitur. *Intus, ſub forma Pulveris, Viribus Cephalicis efficax perhibetur; extus Pulveribus Sternutatoriis admiſcetur.*

MASSOY CORTEX. Tenuis eſt, fere planus, coloris Cinnamomei obſcurioris, cortice gryſeo, ſtriato tectus, ſuaveolens, ſaporem habens dulcem, grato aromate Cinnamomum referente ſuffuſum. Ex India olim advectus *Roborantibus annumerabatur.*

MASTYX. Reſina ad nos pervehitur ſub forma granorum majuſculorum, maximo tamen Avellanæ magnitudinem nunquam æquante, fragilis, ex fractura ſplendens & lævis, inter dentes tenax, inſtar Ceræ flexilis, odore proprio, grato, ſimilique ſapore, nonnihil adſtringente perfuſa. Maſſæ ex his granis, mediante alia quadam Reſina conglutinatis ortæ, albidæ *Maſtyx in ſorten* dicuntur. Profluit Maſtyx ex Piſtacia Lentiſco L. Blackwell Tab. 195. Europæ Meridionalis, Archipelagi & Syriæ arbore, apud nos in frigidario per hyemem aſſervanda, quæ in tractu meridionali Inſulæ Chio Auguſto & Septembri menſibus hunc in finem incidi ſolet. Ejuſdem arboris *Lignum* quoque ſub nomine *Lentiſcini* occurrit ponderoſum, ex pallido-flaveſcens, cortice paululum rugoſo, leviſſime rufeſcente tectum, odoris & ſaporis expers. Maſtyches grana aliquantulum Olei odorati fundere dicuntur, & in expreſſis Oleis indiſſolubilia habentur, Aqua non diſſolvuntur, igne liquantur, accenſa jucunde olent. *Intus ad Scrupulum unum pro*

doſi roborandis Primis viis adhibentur. Extus firmandis Dentibus conducunt Dentifriciis admixta. Suffitus eorum, tanquam Roborans, in Catarrhis & Prolapſibus Ani laudatur. Ligno quoque Lentiſci olim ad Roborandum utebantur.

MATER PERLARUM, *Nacre des Perles, Perlenmutter.* Eſt Teſta Conchæ, variæ magnitudinis, orbicularis, lamellis dentatis imbricata, extus gryſea ad flavedinem vergens, intus argenteo candore ſplendens; Margaritas Orientales nobis exhibet. *Ceteris Teſtis viribus medicatis non præſtat.*

MATRICARIA, *Matricaire, Metram.* Folia petiolata, pinnis ovatis, inciſo-ſerratis, albidis pinnatifida, odorem exſiccata nullum, ſaporem leviter amarum habent. Matricaria Parthenium L. Blackwell Tab. 192. In Europa, citra magis Septentrionalem, ubivis indigena. Oleum deſtillatum fundere dicunt. *Morbis Uteri dicata.*

MATRISYLVA, videatur HEPATICA STELLATA.

MECCÆ BALSAMUM, *Opobalſamum.* Reſina liquida, Terebinthina quidem fluentior, ceteris vero Balſamis liquidis ſpiſſior, coloris citrini, ad rubrum vergentis, odoris fragrantis, Citro proximi, ſaporis amaricantis, leniter linguam pungentis. Amyris Opobalſamum L. Arbor Arabiæ Petrææ. In Alcohole & Oleis diſſolubile deprehenſum eſt. Nullum certum extare genuitatis ejus indicium alibi notavi. *Miræ vires, quas de eodem in vulgus ſparſit rumor, fide ſunt deſtitutæ, quominus, quam reliqua Balſama exotica, humores exæſtuat, eo ad conſolidanda Ulcera interna aptius merito habetur.* Ejuſdem arboris exiguæ etiam virgulæ XYLOBALSAMI nomine ſervantur, cortice rugoſo, cinereo obductæ, inſipidæ, inodoræ, gratum vero odorem, ſimulac accenduntur, ſpirantes. CARPOBALSAMUM ejuſdem arboris fructus exſiccati ſunt, capſulæ ſubrotundæ, Piſis minores, rugoſæ, quatuor lineis eminentibus inſignitæ, ſuperne exiguo ſtylo notatæ, ex cinereo-rufeſcentes, inodoræ, levi ſapore balſamico ſuffuſæ, nucleum album includentes. Utrorumque uſus medicatus exolevit.

MECHOACANNA. Taleolæ forma Jalappæis ſimiles, ambitu majores, inodoræ, dulciculi ſaporis, ſub gryſeo cor-

tice ſubſtantiam recondunt albam, ſolidam, friabilem, non fungoſam, circulis diſtinctam. Convolvulus Mechoacanna L. Blackwell Tab. 571. Americæ Meridionalis civis. Reſinæ aliquantillum vehere dicitur. *Vires quidem Catharticas, ſed valde debiles edit. Ad aliquot Drachmas ejus Doſis extendi poteſt.*

MEDULLA SAXORUM, *Steinmark*. Argilla mollis, contactu ſaponis inſtar lubrica, cum aqua agitata exſpumans, linguæ leviter adhærens, gryſea, flava, rufeſcens. Talcum Lithomarga L. In rimis montium deliteſcit. *Adſtringendi ergo olim uſurpabatur.*

MEL, *Miel, Honig*. Subſtantia mollis, ſpiſſa, alias alba, alias ex badio-flaveſcens, dulcis, odoris proprii, plantarum ſubinde, unde hauſtum erat, participis. Ab Ape Mellifica L. ex nectariis florum conquiritur, deglutitur, evomitur, in favorum cellulas reconditur; unde favis diffractis, quod ad lenem calorem defluit *Virgineum* dicitur; pertinacius cellulis inhærens, quod torculari deinde exprimitur, bonitate inferius eſt. Quo pallidius eſt atque granoſius, eo melius judicatur. Narbonenſe ad vicum, Narbonæ proximum, *Courbiere* collectum albiſſimum, granoſiſſimum, Roſmarinum olens, omnium princeps habetur. *Reſolvendi, Aperiendi, Demulcendi viribus intus pollet, extus ad aperiendos Abſceſſus, abſtergenda Ulcera, aperiendam Alvum adhibetur.* Aqua inde deſtillata vix proprii quid habere videtur.

MELILOTUS. Summitates angulares *Foliis* obſeſſæ ternatis, ovali-oblongis, truncatis, ſerratis & racemis *Florum* papilionaceorum, exiguo calyce ſuſtentatorum, flavorum, odoris fortis, injucundi, ſaporis amaricantis. Trifolium Melilotus officinalis L. Blackwell Tab. 80. Ubique locorum per Europam creſcit. *Diſcutiendi Doloreſque ſedandi ſcopo extus adhibentur.*

MELILOTUS CÆRULEA, *Trefle muſqué, Beaumier, Siebengezeit.* Flores papilionacei, parvi, calyce ſuſtentati, pallide cærulei, odoratu valde balſamici. Trifolium Melilotus cærulea L. Blackwell Tab. 284. Patria incerta,

annua planta in hortis colitur. *Vires Diureticas, Emenagogas imo Alexipharmacas habere fertur. Adhibetur ad Caſeum raſilem Glaronenſium.*

MELISSA. Folia petiolata, cordata, rugoſa, leviter hirſuta, odorem gratum Citri, ſimilemque ſaporem habent. Meliſſa officinalis L. Blackwell Tab. 27. Europæ Meridionalis herba, in noſtris hortis colitur. Oleum odoratum fundere; *contra affectus Capitis pollere dicitur; extus ad Epithemata Roborantia & Diſcutientia recipitur.*

MELISSA CANARIENSIS. Folia ternata, duobus inferioribus minoribus, oblonga, acuta, ſerrata, rugoſa, hirſuta, Camphoram redolentia, guſtu aromatica, leviter amaricantia. Dracocephalum Canarienſe L. In Inſulis Canariis & in America ſponte creſcere dicunt, a noſtratis hyemis rigore in frigidario tuetur. *Efficax omnino eſſe videtur, ſed nullæ de ejus effectibus obſervationes exſtant.*

MELISSA TURCICA, *Moldavica.* Folia oblonga, obtuſa, dentata, anguſta; proprio odore & ſapore forti, ſed prioribus minus grato. Dracocephalum Moldavica L. Blackwell Tab. 551. Moldaviæ domeſtica, annua planta in noſtris hortis colitur. *Sunt, qui eam Meliſſæ officinali ſubſtituant.*

MELISSOPHYLLUM, *Lamium Plinii* male, *Meliſſe de Montagnes, Grieskraut.* Folia petiolata, ex ovatis acuta, hirſuta, odore proprio aromatico, non ingrato, ſimilique ſapore. Melitis Meliſſophyllum L. Ubique locorum Europæ, præter maxime Septentrionalem, obvia. *Viribus a reliquis plantis aromaticis minime differt; ad purgandos a muco & ſabulo Renes, nec non ad pellendos Menſes ſalubriter adhibetur.*

MELITENSIS FUNGUS. Scapus exſiccatus, varie flexus, radicis ſpeciem præ ſe fert, profunde ſtriatus, extus nigricans, intus ex luteo-rufeſcens, odoris vacuus, ſaporis ſalſi, leviſſime adſtringentis. Cynomorium Coccineum L. Paraſitica planta radicibus variarum arborum Italiæ, Mauritaniæ &c. innaſcens. *Ad ſiſtendas Hæmorrhagias ad Drachmam unam pro doſi commendatur. Cruentatis Gingivis ſub forma Dentrifricii atteritur.*

MELO. *Fructus* variæ magnitudinis, interdum vix pugnum

gnum, interdum majores etiam Cucurbitas æquans, viridis, mox rotundus, mox oblongus, alias glaber, alias fibris albis eminentibus in modum retis obductus, tuberculis etiam quandoque, obſeſſus quod ubi accidit, a *Cantaloupa* denominatur; ſub cortice nunc craſſiore, nunc teneriore pulpam includit, ſive viridem, ſive rubram, ſive flaveſcentem, plus minus ſuaveolentem, ſubinde aromaticam, ſemper vinoſam & dulcem, cui *Semina* inhærent minora, ovata, compreſſa, ex albo-flavicantia, inferne marginata & anguſtata, ſub cortice duriuſculo nucleum album continentia. Cucumis Melo L. Blackwell Tab. 320. Ex Oriente ad nos transmiſſa copioſe colitur; noſtratibus fimetorum calore maturatio fructus acceleranda eſt. *Pulpa Refrigerandi ergo comeditur. Semina quatuor Frigidis majoribus accenſentur.*

MENTHA BALSAMINA, *Münzbalſam.* Folia ovata, acutiuſcula, petiolata, ſerrata, glabra, odore Mentharum proprio, jucundiore aromate ſuffuſo, ſimilique ſapore. Mentha Gentilis L. Europæ Auſtralis planta, noſtræ hyemis facile patiens. Olei odorati pauxillum fundere lego. Omnes Menthæ promiſcue *viribus Stomachicis eximie pollent & Vomitum ſiſtunt. Hæc noſtra Species commode ſub forma Infuſi dari poteſt.*

MENTHA CRISPA. Folia cordata, rugoſa, ſubtus leviter pubeſcentia, margine dentata & plicata, odore menthaceo gravi, minus grato, ſapore aromatico, amaro. Mentha Criſpa L. Blackwell Tab. 290. 2. Sibiriæ indigena, in hortis noſtris colitur. Olei odorati $\frac{1}{42}$ largitur. *Aqua inde abſtracta intus datur; ipſa per ſe ſub forma Epithematis Carminativo & Antemetico ſcopo Abdomini, Mammis vero ad Lac diſcutiendum imponitur.*

MENTHA PIPERITIS. Folia ovato-oblonga, acuta, viridia, ſerrata, odore & ſapore Piperi ſupparia. Mentha Piperitis L. Blackwell Tab. 291. Angliæ propria, optime in noſtris hortis vegetat. Oleum inde deſtillatum, quod ex foliis exſiccatis melius, quam ex recentibus paratur, fervidiſſimo ſapore linguam non ſine ſenſu frigoris ferit. Hujus Olei & Aquæ

ſtillatitiæ ope *Rotulæ* parantur gratiſſimæ. Hæc Species omnes reliquas efficacia vincere videtur.

MENTHA RUBRA VEL AQUATICA. Folia ex ovatis acuminata, glabra, majuſcula, ſerrata, odori & ſapori evidens gratum aroma ſuffundunt. Mentha Aquatica L. BLACKWELL Tab. 32. Copioſe per Europam creſcit. *Ad Balſaminæ vires accedit.*

MENTHASTRUM, *Mentha longifolia.* Folia lanceolata, acuta, tomentoſa, acute ſerrata, ſaporem & odorem *Criſpæ* referunt, ſuavitate etiam ſuperant. Mentha ſylveſtris L. BLACKWELL Tab. 290. 1. Europæ temperatæ planta. *Rariſſime in officinas admittitur.*

MERCURIALIS, *Bingelkraut.* Folia ovata, acuta, petiolata, ſerrata, inſipida, inodora. Mercurialis annua L. BLACKWELL Tab. 162. Vulgaris per Europam temperatam. *Emollientibus quondam adnumerabatur.*

MERCURIUS, *Argentum vivum, Hydrargyrum, Queckſilber.* Eſt Subſtantia fluida, quindecies aqua gravior, calore minore etiam quam quo aqua ebullit, volatilis, frigore valde intenſo in maſſam ſolidam, ſolo calore in pulverem rubrum convertitur, plurima corpora metallica diſſolvit, vi omnium fere menſtruorum diſſolvenda. Invenitur ſive nativus, *Mercurius Virgineus*, ſive Sulphure in Cinnabarim verſus, in quem ubi vertitur, pro variis, quibus inhæret terris, varias *Mineras* efformat. Reperitur in variis Europæ montibus. Cuticula tectus, aut cujus globuli filum quaſi trahunt, pejoris notæ judicatur. Depurandi ratio, quæ Deſtillatione fit, optima eſt. Trituratione cum ſolidis vel unguinoſis globularem formam deponit, & ſubſtantiis, cum quibus teritur, colorem nigrum affricat. *Potentiſſimum Reſolvens, certiſſimumque morborum Venereorum remedium, utpote quod vel minutiſſimis vaſculis, quæ cetera medicamenta adire non poſſunt, ſeſe inſinuat. Tam intus quam extus adhibetur.*

MESPILI, *Neſles, Meſpeln.* Fructus turbinato-rotundi, colore rubiginoſo tincti, umbilico quinquefido coronati, villo obſeſſi, recentes quidem quam maxime auſteri, ab arbore decerpti lento gradu miteſcentes, & ſaporem nanciſcentes vi-

noſum, gratum, evidenter adſtringentem. Exſiccati fuſci ſunt, valide etiam adſtringentes. Meſpilus Germanica L. Blackwell Tab. 154. Europæ temperatæ propria. *Exſiccati fructus ſubinde ad medicamenta Adſtringentia accipiuntur.*

METALISTÆ RADIX. Proſtat ſub forma fruſtorum variæ magnitudinis ac figuræ, mox rotundis taleolis Mechoacannæ ſimilia, mox ſecundum longitudinem ſecta; ſectio transverſalis circulos, longitudinalis fibras refert; extus ſtriis craſſiuſculis notata, gryſea, intus pallidior eſt; odoris expers, ſaporis leviſſime ſalſi. Ex America advehebatur, & *Mechoacannæ analoga eſſe credebatur.*

MEUM, *Bærwurzel.* Radix fuſiformis, aliquot pollices longa, calamum craſſa, rugoſa, extus ex gryſeo-fuſca, intus alba, odore proprio, ſapore aromatico, protinus dulci, poſtmodum ſalſo. Athamanta Meum L. Blackwell Tab. 525. Europæ temperatæ. *Virtutis Diureticæ, Emenagogæ & Reſolventis laudem habet.*

MEZERÆUM, *Thymelæa, Laureola, Bois gentil, Bois de Garou, Saint bois, Seidelbaſt.* Cortex mollis, tenax, ruſeſcens, inodorus, ſaporis acerrimi. Deſumitur a Frutice *Grana Coccognidii* exhibente. *Validiſſimum Draſticum nunquam intus dandum; extus applicatur ut Fonticuli vices expleat.*

MILIUM SOLIS, *Lithoſpermum, Gremil, Herbe aux Perles, Meerhirſe.* Semina rotunda, inferne contracta, alba, nitida, ſub cortice duriuſculo medullam includunt fuſcam, odoris & ſaporis expertem, cum Acidis efferveſcentem. Lithoſpermum officinale L. Vulgare per Europam. *Olim ſcopo Lithontriptico adhibebatur.* Syrupus inde paratus ab Ambrosio denominabatur & *Dyſenteriæ mederi putabatur.*

MILLEFOLIUM, *Schaafgarben.* Folia longa, leviter pubeſcentia, pinnata, pinnulis obovatis denuo aliquoties pinnatis, tenuis aromatici odoris, ſaporis amaricantis, leviſſime ſalſi. Achillea Millefolium L. Blackwell Tab. 18. Per omnem Europam obvium. Oleum inde deſtillatum ſemper, ego flavum, nunquam cæruleum obtinui. *Commendabatur ad reſerandas Obſtructiones Abdominales, extus Vulnerario ſcopo*

adhibetur. Achillea Nobilis L. Camphoram redolens, eminentius aromatica utique præferenda videtur.

MILLEPEDES, *Cloportes, Mauereſel, Kellereſel.* Inſecta ſuperne ex cineritio-nigricantia, inferne albida, corpore ex circellis compoſito, & cute duriuſcula tecto, ſapore leniter ſalſo; nigri, majores, corpus in globulum contrahentes reliquis præferendi. Oniſcus Aſellus L. Per omnem Europam occurrit, in regionibus calidioribus major eſt & nigricantior. Exſiccati Gelatinæ multum nauſeoſæ $\frac{1}{16}$ largiuntur. *Aperiendi, Sanguinem Depurandi, Urinam expellendi cauſa centum & ultra pro doſi recentium contritorum cum juſculo miſtus Succus propinatur. Conſervam* inde parandi labor, cum recentes per totum annum haberi poſſint, ſuperfluus eſt.

MINIUM. *Menning* neutiquam Veterum, Calx Plumbi eſt in peculiaribus Angliæ, Belgii & Germaniæ officinis in colorem læte rubrum calcinata. *Recipitur ad Unguenta & Emplaſtra.*

MOMORDICA, *Pomum Hieroſolymitanum, Pomme de Merocilles, Balſamapfel.* Pomum in medio ventricoſum, utrinque contractum, pulchra rubedine tinctum, pluribus tuberculis notatum, multis ſeminibus turgens, inſipidum, inodorum. Momordica Balſamina L. BLACKWELL Tab. 539. Indiæ indigena annua planta, apud nos in hortis colitur. *Oleum unguinoſum cum his fructibus infuſum ad uſus Vulnerarios quondam commendabatur.*

MORINGA. Radix ſemipedem circiter longa, pollicem craſſa, ſub cortice craſſo ſtriis longitudinalibus notato, ex gryſeo-luteſcente, ſubſtantiam includit lignoſam, pallidiorem, tenuiſſime extus ſtriatam, valde duram, intus non ſine ſplendore lævem, inodoram, ſapore ſalſo magis quam aromatico linguam ferientem. Num eſt Radix Arboris Nuces Behen præbentis? Ex India Orientali olim advecta *contra Venena, Vermes & morbos Cutaneos efficacia ejus laudabatur.*

MORUS, *Meurier, Maulbeere. Radices* habet fibroſas, flavas, inodoras, ſapore dulci potius, quam amaro præditas; *Baccas* lucidiuſculas, ſanguineo-nigricantes, ex acinis obova-

tis compoſitas, ſaporis proprii, vinoſi. Morus nigra L. Blackwell Tab. 126. Italiæ indigena eſſe dicitur, copioſe in noſtratibus hortis colitur. *Radicum Decoctum egregiæ contra Tæniam efficaciæ eſſe fertur. Baccæ Refrigerandi gratia comeduntur. Rob & Syrupus inde parati ad morbos Faucium adhiberi ſolent.*

MOSCHATA NUX, *Noix Muſcat, Muſcatennuſse.* Nuces olivares, oblongas *Mares*, una vero facie planas *Muttermuſcatnuſſe* vulgo appellant, extus gryſeæ ſunt, ſulcis in retis ſpeciem flexis inſignitæ, duriuſculæ, fragiles, fractura fuſcæ & nitidæ, intus lineis rubris variegatæ, odoris proprii, grati, ſaporis aromatici, pinguiuſculi potius, quam acuti. Arboris Moluccarum Bandæ maxime cultæ character nondum omnino determinatus eſt. Olei unguinoſi $\frac{1}{3}$, Olei odorati $\frac{1}{16}$ fundunt. Nuces Sole ſiccantur, fumo & aqua Calcis vivæ a corruptione defenduntur. *Vi Roborante & Anodyna pollent. Oleum expreſſum* Sebi conſiſtentiam, colorem flavum, Nucum odorem, ſaporem etiam pinguiorem habet, *& ad eoſdem ac Nuces uſus, ſed minori doſi, adhibetur, frequentius quoque extus applicatur;* quod ſub forma parallelibipedorum in commercio proſtat mangonii ſuſpectum eſt. Integræ Drupæ in India conditæ nobis ſub *Nucum Indicarum conditarum* nomine mittuntur, *& ſive per ſe, ſive in Electuaria vel Morſulos receptæ Roborandi ergo exhibentur.*

MOSCHUS, *Muſc, Biſam.* Pulveris ſpeciem refert ex parvis granulis conſtantem, ferruginei coloris & inflammabilis eſt, ſapore amaro, odore proprio & quidem fortiſſimo; ſubſtantiis, quas perpetrat, pertinaciſſime inhærente, Veſiculis incluſus ad nos pervehitur, pilis rigidis obſeſſis, albæ a *Ruſſia*, badiæ a *China & Tunquin* denominantur. Moſchus eſt ſubſtantia ſebacea ex ſacco deſumta, Umbilico Moſchi Moſchiferi L. in Tartaria, Sibiria & China degentis adhærente. *Contra Convulſiones, Deliria, Hydrophobiam vel ultra Scrupulum pro doſi datus multum laudatur.* Minima ejus quantitas ingens aliarum ſubſtantiarum volumen ſuo odore imbuit. Feminæ hyſtericæ, nec non Hypochondriaci inde læduntur.

MUMIÆ. Proſtant hoc nomine hodie in officinis partes

humanæ, Bitumine conditæ & exſiccatæ, nigræ, bitumen ſapientes & redolentes; *ſordido nauſeoſo imo ſuſpecto medicamento quod Balſamico & Adſtringente ſcopo nonnulli adhibent, merito abſtinetur.*

MUNGOS. Radices ſunt parvæ, minimum digitum circiter craſſæ, varie inflexæ, ſtriatæ, extus luteſcentes, intus albæ, ſapore ſtatim leviter ſalſo, dein amaro. Ophiorrhiza Mungos L. Indiæ indigena. *Contra morſus Animalium venenatorum & morbos Malignos laudatur ejus efficacia.*

MUS MARINUS. Folliculus compreſſus, cujus duo parietes parum a ſe invicem diſtant, ovato-oblongus, rectangulus, utroque margine craſſiore & longius producto, unde ad utrumque extremum duo quaſi cornua anguſta, leviter compreſſa prominent, extus niger, intus flavicans, inſipidus, inodorus; Ova eſſe creduntur *Rajæ* piſcis, quæ excluſis pullis e Mari ad Littus projici & in Belgio maxime reperiri dicuntur. *Eorum ſuffitu Hæmorrhoides cæcæ dolentes leniri credebantur.*

MUS MONTANUS, *Marmotte, Murmelthier.* Animal quadrupes, gryſeum, pedibus flaveſcentibus, cauda abbreviata. Mus Marmotta L. Alpes Europæ Meridionalis inhabitat; officinis *Axungiam* ſubminiſtrat, conſiſtentia, colore, *virtute reliquis æquiparandam.*

MUSCUS ALBUS QUERNUS. Efformatur filis aphyllis, ramoſis, varie contortis, gryſeis & per ſenium cruſta alba obductis. Lichen plicatus L. Ab arboribus pendere ſolet. *Adſtringentes ei vires tribuuntur; Tuſſi laborantibus præcipue commendatur.*

MUSCUS ARBOREUS, *Muſcus Acaciæ, weiſſes Lungenkraut.* Folia refert in multas lacinias ſecta, ſuperne e cinereo-glauca, inferne lanuginoſa, inodora, inſipida. Lichen Prunaſtri L. Arboribus accreſcit, maxime Pruno ſylveſtri. *Ad eoſdem ac antecedens uſus recipitur.*

MUSCUS CUMATILIS. Foliis ſibi invicem incumbentibus latioribus efformatur, minus coriaceis, ſuperne glabris, læte viridibus, inferne villoſis, ex fuſco-nigricantibus. Teter & mephiticus eſſe dicitur. Lichen Aphtoſus L. Muſcis

innaſcitur, rarius obſervatus. *In Suecia contra Aphtus infantum uſurpatur; ejus Decoctum Vermes per Vomitum expuliſſe obſervatum eſt.*

MUSCUS ERECTUS. Caules vix ſpitamæi, foliolis lineari-lanceolatis, acutis, glabris, patentibus imbricati, ex luteo-virentes, inſipidi, inodori. Lycopodium Selago L. Paſſim per Europam occurrit. *Valide Alvum ducere & Menſes pellere dicitur.*

MUSCUS ISLANDICUS, videatur LICHEN.

MUSCUS PYXIDATUS. Folia parva, irregulariter laciniata, tubulos emittunt variæ magnitudinis, conoideos, margine ſuperiore dilatato plus minus excavato, mox ſimplices, mox ramoſos, varie coloratos. Lichen pyxidatus L. Terræ, ſaxis & truncis arborum accreſcit; *Tuſſientibus laudatur.*

MUSCUS TERRESTRIS. Effingitur foliis coriaceis, latiuſculis, ſinuato-laciniatis, marginibus deorſum flexis, cinereo-glaucis, interdum obſcure virentibus, inferne incanis, odore mucido, ſapore nauſeoſe fatuo imbutis. Lichen Caninus L. In terra muſcis inſtratus occurrit. *Ob virtutem Antilyſſam commendatur.*

MUSTELA PISCIS. *Lott, Aalraupe, Ruffolke.* Gadus Lotta L. Vulgaris Europæ piſcis; ejus *Spina* omni carne nudata, exſiccata & in pulverem redacta *Epilepticis ſalutaris fertur.*

MYROBALANI. Fructus carnoſi, exſiccati, nucem includentes, inodori, ſapore adſtringentes. Quinque eorum genera in officinis proſtant; *Citrinæ* Blackwell Tab. 401. f. 3. turbinatæ ſunt, pollice longiores, ad colorem nigricantem vergentes, utrinque obtuſæ, ſtriatæ, tenaces, amaræ, auſteræ, ſub oſſiculo ſcabro, anguloſo, obtuſo nucleum corneum includunt; *Chebulæ* Blackwell Tab. 401. f. 2. prioribus ſimiles, majores tamen & magis fuſcæ; *Belliricæ* Blackwell Tab. 401. f. 1. Nucem Moſchatam referunt, pedunculo inſtructæ, prioribus pallidiores; *Indæ* Blackwell Tab. 401. f. 4. ex ovatis oblongæ ſunt, rugoſæ, non ſtriatæ, foris nigræ, intus ſubſtantia quaſi picea refertæ; *Emblicæ* tribus prioribus minores, proximis majores, ſphæricæ figuræ, in ſex angulos diductæ, nigricantes. Quatuor priores arboris cujus character nos ad-

hucdum latet, fructus pro cujusque maturitatis diverſitate inter ſe differre contendunt; poſtremas ſubminiſtrat Phyllanthus Emblica L. Javæ, Malaccæ, Macaſſar civis. *Adſtringentibus viribus pollent, olim Purgantibus Corrigendi ſcopo adjiciebantur.*

MYRRHA. Succus concretus, quem in fruſtis variæ magnitudinis, Juglandi interdum proximæ, accipimus. Grana ſunt ſubdiaphana, rufa, diffracta maculas produnt albas, quas *Ungues* dicunt, proprii, gravis odoris, ſaporis ſubacris, aromatici, amariſſimi. Rejicienda *in ſorten* dicta fruſta, quæ arida, ſordida ſunt & ad nigredinem vergunt. Ex Abyſſinia & Arabia nobis venit, ex ſauciata arbore, cujus characterem ignoramus, obtinetur. Calore non funditur, ex aqua ſe ſuſpendi patitur, Alcohol eam ex parte diſſolvit, Oleis vero indiſſolubilis eſt. Ex ſedecim ejus Unciis Aquam ſtillatitiam obtinui, perodoram, perinde ſapidam, cum aliquot Olei butyracei guttis, aquæ innantibus. *Reſolvit, Abſtergit, Roborat, Putredini reſiſtit. Partem ejus reſinoſam humores multum exæſtuare teſtantur Obſervatores. Datur intus Pilularum forma ad Scrupulum unum. Extus Abſtergens, Putredinem arcens, Dentes mundans & firmans eſt.*

MYRTILLI, *Airelles, Heidelbeeren. Baccæ* globoſæ, cæruleo-nigricantes, labia atque palatum colore ſuo inficientes, umbilicatæ, polyſpermæ, dulces, ſubadſtringentes. Vaccinium Myrtillus L. Blackwell Tab. 463. Creſcit per omnem Europam. *Refrigerandi æque ac Adſtringendi gratia comeduntur.*

MYRTUS. *Folia* ovato-acuta, firma, læte viridia, proprii, aromatici, gratiſſimi odoris, ſaporis perinde aromatici, ſuffuſa acrimonia evidenter etiam adſtringentis; *Baccæ* oblongo-ovatæ ſunt, umbilico ſtiloque ex ejus medio eminente notatæ, nigræ, inodoræ, leviter adſtringentes. Myrtus communis L. Blackwell Tab. 114. Europæ calidæ & Aſiæ progenies, nobis per hyemem in frigidario aſſervanda. *Baccæ ob Roborantem, Folia ob Aromaticam inſuper virtutem celebrantur.*

MYRTUS BRABANTICA, *Piment Royal, Poſt, Porſt.* Folia ovato-oblonga, inferne contracta, integerrima, ſapore adſtringente.

adſtringente. Myrica Gale L. Europæ frigidæ & Canadæ indigena. *Admiſcetur ſubinde Unguentis contra Scabiem.*

NAPUS, *Navet, Steck- vel Stuckelruben. Radices* alias fuſiformes, alias cylindraceæ, variæ magnitudinis, ſub cuticula vel flaveſcente, vel nigricante, carnem albam, Rapas olentem, dulcem cum quodam acredinis veſtigio continent. *Semen, Colſat, Rubſaamen, Rebs, Lewat,* rotundum, ſub cortice modo fuſco, modo rufo, nucleum album abſcondit, multo oleo turgidum, inodorum, inſipidum. Braſſica Napus L. Blackwell Tab. 224. & 410. ad littora Maris Europæ minus calidæ indigena. Radices a varietatibus hortenſibus deſumtæ menſis apponuntur & *Juribus Pectoralibus adjiciuntur. Semen* vero a Napo ſylveſtri in noſtratibus agris copioſiſſime culto deſumitur; *olim contra Venena commendabatur; hodie neglecto fere ejus uſu medicato Oleum inde exprimitur, lucernis præcipue inſerviturum.*

NASTURTIUM AQUATICUM, *Creſſon d'eau, Brunnkreſſen. Cauliculi* cavi, ſulcati, ſucculenti, quibus adhærent *Folia* impari pinnata, pinnis rotundis, leviter inciſis; ſapor acris, amaricans, odor proprius eſt. Siſymbrium Naſturtium aquaticum L. Blackwell Tab. 260. Creſcit per omnem Europam. Tanquam condimentum cibis adjicitur; *Reſolvens & Antiſcorbuticum remedium ſemper recens adhibendum.* In Suecia ſunt, qui *Cardaminem pratenſem* loco *Naſturtii aquatici* in uſum trahant.

NASTURTIUM HORTENSE, *Creſſon, Kreſſen. Folia* anguſta, pinnatim laciniata, laciniis dentatis, pallide viridia, ſaporem habent acriuſculum, nonnihil etiam amarum, odorem proprium, nares irritantem. *Semina* ovata ſunt, glabra, rufa, ſapore oleoſo leviter acria. Lepidium ſativum L. Blackwell Tab. 23. Ad Wolgam ſponte creſcere fertur; annua planta copioſe in noſtris hortis colitur. *Ad Acetaria recipitur, contra Scorbutum & Sanguinis impuritates efficax habetur. Semen olim ad Excretiones aquoſas promovendas uſurpari ſolebat.*

NASTURTIUM INDICUM, *Capucine, Capucinerlein. Gemmæ florum* rotundæ ſunt, virides, ſapore leviter aroma-

ticæ, odore fructus Rubi Idæi referentes. *Flores* ex fundo conoïdeo in cornu porrecto, cuculli ſimilitudinem efformant, in quinque petala exeunt, ciliata, obtuſa, rotundata, colorem aurantium, odorem proprium fortem, ſaporem habent acriuſculum. Tropæolum majus L. Americæ Meridionalis indigenum. Annua planta, copioſe in noſtris hortis colitur. *Gemmæ Aceto condiuntur & cum carne comeduntur, Capparide omnino gratiores; Flores ad Acetaria recipiuntur. Ad Sanguinem Depurandum commendantur.*

NASTURTIUM PETRÆUM, *Creſſon de Roche, Steinkreſſen. Cauliculi* ſucculenti, ſuperne diviſi, teneri, *Foliis* obſeſſi reniformibus, hirſutis, exiguis petiolis ſuffultis, ſapor leviter acris & ſubadſtringens eſt. Chryſoſplenium alternifolium L. Creſcit per omnem Europam. Deſtillatione principia inde Alcalina eliciuntur. Salem quoque emittit Eſſentialem. *Reſolvendi ſcopo celebratum, haud ita pridem noſtrates Aſthmaticis & Tuſſientibus exhibere ſolebant.*

NASTURTIUM SYLVESTRE, *Creſſon ſauvage, Feldkreſſen.* Folia longa, laciniis anguſtis pinnata, ejuſdem fere ac præcedens ſaporis. Cochlearia Coronopus L. Blackwell Tab. 120. Vulgaris per Europam. *Præcedentis vires habere videtur; olim ad Acetaria recipiebatur.*

NEPETA, *Herbe aux Chats, Katzenkraut.* Folia cordata, tomento obſeſſa, profundius crenata, proprio odore minus grato, ſapore aromatico imbuta. Nepeta Cataria L. Blackwell Tab. 455. Creſcit in omni Europa, præter maxime Septentrionalem. Aliquantulum Olei odorati fundere dicitur. *Commendabatur olim contra morbos Uterinos.*

NEPHRITICUS LAPIS. Eſt Lapis videſcens, durus, ad Chalybis ictum ſcintillans, tactu pinguis, ſubſtantiæ granuloſæ ſpeciem referens, ſubdiaphanus. Jaſpis Lapis Nephriticus Waller. Species obſcure videſcens, ex America allata *Lapis Amazonum* dicitur & *in Amuleti vicem geſtatus Epilepticis ſalutaris fertur.* In Officinis utplurimum proſtat, Lapis magnus, ſquamis ex nigro-vireſcentibus, ſubdiaphanis conſtans, nonnullo pinguedinis ſenſu contrectantem afficiens,

tornum admittens. Talcum Nephriticus L. Paſſim in Europa offenditur. Ferri & Cupri veſtigia vehere, Magneſiam continere, Salem Ammoniacalem & Oleum empyreumaticum fundere dicitur. *Uſus ejus exſolevit.*

NEPHRITICUM LIGNUM. In majoribus fruſtis ad nos transvehitur, compactum, durum, ponderoſum, extus dilute fuſcum, in meditullio ſpadiceo-fuſcum, odoris expers, ſapore leviter adſtringens. Ab arbore unde *Nuces Behen* obtinentur, ſubminiſtrari dicitur; nobis ex America mittitur. Ejus Tinctura aquoſa opalini coloris, luci expoſita aurea, ſub umbra cærulea eſt. *Olim a virtute Antinephritica laudem habebat.*

NICOTIANA, *Tabac.* Folia magna peculiari exſiccationis modo penitus flaveſcentia, ovali-lanceolata, proprii odoris, ſolerti exſiccatione multo etiam acutioris, ſaporis admodum acris. Nicotiana Tabacum L. BLACKWELL Tab. 164. Americæ Meridionalis domeſtica, annua planta, uberrima hodie ejus per Europam cultura eſt, quæ Sec. XVI. ad finem vergente, ibidem invaleſcere cœpit. Principia fundit Alcalina *Valide Reſolvit & Stimulat, adeo ut Vomitum etiam excitet. Tanquam Apophlegmatizans creberrimi uſus eſt; Clyſmatibus quoque adjicitur. Syrupus inde paratus Aſthmaticis laudatur.*

NIGELLA, *Nielle, ſchwarzer Kümmel.* Semina parva, angulata, acuta, nigra, ſcabriuſcula, intus virideſcentia, odorem aromaticum ſpirant, ſapore linguam pungunt. Nigella ſativa L. BLACKWELL Tab. 558. Europæ Meridionalis & Orientis indigena planta, in hortis colitur. Oleum unguinoſum & deſtillatum largiri dicuntur. *Ad condiendos cibos Aromatum loco recipitur; Aqua cum eis agitata ſcopo Errhino adhibetur.*

NIL, *Nihilum, Pompholyx.* Levis, vix cohærens ſubſtantia, alba, inſipida, inodora, fornacibus, in quibus Aurichalcum vel paratur, vel funditur, adhæreſcens. Eſt verus Flos Zinci, creberrime Marga quadam aut Gypſo adulterari ſolet; *recipitur maxime ad medicamenta Ophthalmica externa.*

NINZIN. Radix calamo anguſtior, inferne bifurcata, leviter rugoſa, cornu tam colore, quam pelluciditate referens, inodora, ſubdulcicula. Sium Ninſi L. BLACKWELL Tab.

514. In China Septentrionali & Japan creſcit. Ob ſimilitudinem, quam cum hominis figura habere dicebatur, *medicamentorum Analepticorum princeps eſſe credebatur & maximi vendebatur; ſed pro merito ſuo exſolevit.*

NITRUM, *Salpeter.* Sal in cryſtallos pryſmaticas excreſcens, cum ſubſtantiis inflammabilibus detonans, dum aqua ſolvitur frigus gignens, frigidi pariter ac amari ſenſu linguam afficiens. Nitrum nativum L. Magna ejus copia nobis ex Oriente venit; in Europa ex propriis terris peculiari ratione excoquitur: terræ ſub forma Stalactitæ adhærens *Aphonitrum* dicitur; ubi vero tanquam tomentum effloreſcit *Halonitrum, Salpetre de Houſſage* appellatur; ubi denique ſolo ſapore & detonatione ſui præſentiam declarat *Nitri Embryonati* nomine venit. Conſtat ex proprio Acido & Alcali Vegetabili. Nonniſi Depuratum ad uſus medicatos recipiendum. *Sanguinis Æſtum temperat, Spiſſitudinem phlogiſticam Reſolvit, Putredinem arcet.*

NUMMULARIA. *Folia* ovato-orbiculata, petiolata, inodora, leniter adſtringentia. Lyſimachia Nummularia L. Ubivis locorum per Europam obvia. *Ob vim Adſtringentem laudata tam intus quam extus uſurpabatur.*

NYMPHÆA, *Nenufar, Seeblume. Radices* bracchium & ultra craſſæ, fungoſæ, extus fuſcæ, tomentoſæ, mammillis inſeſſæ, intus albæ, leviter amaræ. *Flores* exhibent petala alba, oblonga, inſipida, inodora. Nymphæa alba L. Blackwell Tab. 498. & 499. Paſſim per Europam uſquequaque obvia. *Radices Demulcent & Adſtringunt. Flores exſiccati inertes ſunt.*

OCHRA. Terra eſt pulverem ſive luteum, ſive rufum ſiſtens; color calcinatione intenditur. Ochra Ferri & Martis L. Subſidit in Aquis Martialibus, verus Crocus Martis. *Creberrime Pictoribus inſervit. A Medicis interdum ob vim Roborandi tam intus quam extus adhibetur.*

OLAMPI GUMMI. Proſtat in fruſtis minoribus, extus gryſeis, intus ſplendidis, ſubdiaphanis, fuſcis; friabile eſt, tritu dentium non lenteſcit, inſipidum, inodorum, aqua non ſolubile, calore non liquandum, flammæ admotum ardet, ſuavem-

que odorem reſinoſum ſpirat. Ex America advehi fama eſt. *Incongrue Gummi Arabico æquiparatur.*

OLIBANUM, *Thus, Encens, Weihrauch.* Advehitur in granis variæ magnitudinis, maximis Nucem Juglandem fere æquantibus, ſubmixta rubedine flavicantibus, ſubdiaphanis, fragilibus; odor eorum proprius, accenſorum etiam quam maxime fragrans, ſapor tenuis eſt; Succum eſſe concretum quadam *Juniperi* ſpecie exſudantem, veri quam ſimillimum videtur; iſtius vero Juniperi, unde obtinetur, adhucdum incerta ſpecies eſt. In Arabia collectum, Meccam vectum, Cairum inde defertur. Ex aqua ſe ſuſpendi patitur, Spiritum Vini ſubit; Oleis nequaquam ſolubile fertur. Igne non funditur. *Olim Roborandi ergo intus dabatur, hodie ad Emplaſtra Reſolventia & ad Suffitus Diſcutientes adhibetur.*

OLIBANUM SYLVESTRE, videatur PINI RESINA.

OLIVA. *Drupa* ovata, variæ magnitudinis, carnoſa, viridis, ſaporis proprii, adſtringentis, amaricantis; immaturis propria, inſignis amarities Lixivio cinerum adimitur, qua ademta aqua ſalſa & aromatibus condiri ſolent. Includit oſſiculum oblongum, duriſſimum, rugoſum, cineraſcens, nucleum continens parvum, dulcem. Olea Europæa L. Blackwell Tab. 199. Europæ calidæ indigena, apud nos in frigidario ab hyeme defendenda. *Olivæ conditæ, ut ſunt, comeduntur, Embammatibusque Roborandi & Appetitum excitandi gratia adjiciuntur. Oleum* inde expreſſum colore ſeſe probat ſubflavo, odore leviſſimo, ſapore mitiſſimo, & quod thermometro paulum infra gradum aëris temperati deſcendente protinus ſpiſſeſcat. Optimum eſt, quod nobis ex Gallo Provincia venit. *Viribus Oleorum unguinoſorum pollet.*

OLSNITIUM. Radix fibroſa, albeſcens, ſaporis acris, ſubjuncta amaritie aromatici, odoris proprii, aromatici. Selinum Sylveſtre L. Blackwell Tab. 556. Europæ temperatæ. *Incidens, Reſolvens, Alexipharmaca virtus ei hinc inde tribuitur.*

ONONIS, *Arrêt de bœuf, Hauhechel.* Radix longa, calamum circiter craſſa, extus fuſca, intus alba, tenax, ſapo-

ris acriuſculi. Ononis ſpinoſa L. Blackwell Tab. 301. Creſcit per omnem Europam. *Ad ſcopos Diureticos adhibetur; nuperrime ſub forma Pulveris bis interdiuſumtam Sarcocelen curaſſe obſervatum eſt.*

OPHIOGLOSSUM, *Langue de Serpent, Natterzünglein.* Cauliculus ad aliquam altitudinem ſurrectus, folium ovato-oblongum, ſubcarnoſum, ſpicam inde anguſtiorem emittit, pectinatam, rubentem; ſapor ſubadſtringens, glutinoſus eſt. Ophiogloſſum Vulgatum L. Blackwell Tab. 416. Paſſim per Europam obvia planta. *Olim intus æque ac extus tam Adſtringendi quam Conſolidandi gratia in uſu erat.*

OPIUM. Succus inſpiſſatus in panes coactus, ambitu pugnum circiter æquantes, ſuperficie variis quiſquiliis inquinata nobis ex Natolia, Perſia & Ægypto venit, extus fuſcus, intus nigricans, odore viroſo, Papaveraceo, ſapore acri & amaricante. Paratur ex inſpiſſato Decocto Capitum Papaveris Somniferi L. Blackwell Tab. 482. & 483. Orientis indigenæ annuæ plantæ, hodie paſſim per Europam cultæ: Aquam & Spiritum Vini aliquantulam ejus partem intactam relinquere, odore & ſapore ejus eadem liquida inde abſtrahenda imbui, ejus vim toſtione & coctione multum debilitari, Extractum ejus ſpirituoſum fortius quam aquoſum agere, Sanguinem denique eo attenuari Obſervatores ſunt experti. *Senſus Opio obtundi, motumque Muſcularem imminui abunde compertum eſt. Quocirca, quamvis recta ratione & juſta doſi datum, pro Anodynorum & Antiſpaſmodicorum principe merito habeatur; ab ejus tamen uſu caute abſtinebunt, quorumcunque vel motus Sanguinis præter modum auctus, vel debilia Solida ſunt, vel quibus evidens ſtimulus Spaſmos aut Dolores excitat. Noſtratibus ejus Doſin vix ultra unum Granum extendere licet. Externum Opii uſum nunquam periculo carere, egregius Auctor evicit.*

OPOPANAX. Succus concretus in granis nobis mittitur magnitudine vix Nucem Juglandem æquantibus; extus ex rufo-luteſcentibus, intus albidis, odoris balſamici, non ingrati, ſaporis amari, proprii, nauſeoſi; maſſæ majores, quarum grana ſubſtantia quadam granuloſa & variis ſordibus inqui-

nata conglutinantur, deterioris notæ ſunt. Affertur ex Aſia. Ex Paſtinacæ Opopanacis L. Europæ calidæ plantæ, noſtræ hyemis vim citra noxam ſuſtinentis, vulnerato caule effluere dicitur. Ex aqua ſe patitur ſuſpendi, Oleis inſolubile fertur. *Reſolvendi gratia tam extus quam intus adhibetur.*

OREOSELINUM, *Perſil des Montagnes, Grundheil.* Radix fibroſa, longa, craſſa, rugis tranſverſalibus notata, flavicans, intus alba, validum odorem aromaticum ſpirans, ſapore linguam evidenter pungens. Athamanta Oreoſelinum L. Per montes Europæ uſquequaque obvia. *Virtutis Reſolventis, Sudoriferæ, Diureticæ nomine a nonnullis laudatur.*

ORIGANUM CRETICUM. Spicæ imbricatæ, priſmaticæ, luteæ, bracteis longis, cuneiformibus diſtinctæ, admodum aromatici odoris & grato ſapore linguam ferientes. Origanum Creticum L. Orientis & Europæ Auſtralis indigenum. Oleum ſanguinei coloris, acutiſſimi ſaporis fundere fertur. In quibuſdam regionibus condimenti loco cibis adjicitur. *Rariſſime intus, extus Diſcutiendi & Roborandi cauſa adhibetur.*

ORIGANUM HISPANICUM. Spicæ vel potius Capitula ovata, acuta, hirſuta, ſapore & odore Saturejam referentia. Origanum Marum L. Archipelagi. *Rariſſime uſurpatur.*

ORIGANUM VULGARE, *Wohlgemuth.* Summitates quadrangulæ, ramoſæ, *Foliis* obſeſſæ ſeſſilibus, ovatis, integerrimis, ſubtus leviſſime pubeſcentibus & *Spicis* paniculatis terminatæ, ſubrotundis, bracteis cuneiformibus, acutiuſculis, purpureis diſtinctis, inter quas *Flores* labiati ex albido purpuraſcentes hærent; odor proprius, fragrans, ſapor aromaticus. Origanum Vulgare L. Blackwell Tab. 280. Creſcit per omnem Europam. Olei odorati exiguam partem fundit. *Priorum viribus pollet.*

ORLEANA, *Rocou.* Venit nobis in maſſis majoribus, foliis longis, latis, nervoſis involutis, quarum ſubſtantia mollis, humida eſt, digitis adhæreſcens, ſanguineo colore nitens, odorem ſpirans admodum fœtidum, ſubmucidum, ſapore leviter ſalſo imbuta. Eſt Fæcula ſucci Seminum Bixæ Orellanæ L. Americæ calidioris fruticis, ubi in *Refrigerantium & Adſtringentium numero habetur; apud nos ad Tinctorios uſus recipitur.*

OROBUS, *Ervum.* Semina rotunda, leviſſime compreſſa, ſub cortice fuſco medullam albam, inſipidam, inodoram continent. Ervum Ervilia L. Europæ Meridionalis & Orientis annua planta, noſtræ quoque regionis culturam admittit. *Farina quatuor Reſolventibus adnumeratur*; *Internum ejus uſum ſunt, qui non hominibus ſolum, ſed equis, quin & Gallinaceæ damnoſum eſſe contendant.*

ORYZA, *Ris, Reis. Semina* decorticata, oblonga, ventricoſa, utrinque compreſſa, concava, ſubdiaphana, albiſſima, ſtriis diſtincta, friabilia, inſipida, inodora. Oryza ſativa L. Aſiæ & Americæ indigena, in America, Italia & Hiſpania copioſe colitur. Annua planta apud nos, ſeminum ad maturitatem promovendorum cauſa, in vaporario ſervanda. *Hiſpanica* rubet, *Carolinenſis* Europæam albedine, magnitudine, pelluciditate vincit. Mucilaginis ſiccæ ½ largitur. *Vulgatiſſimus Orientis cibus, noſtris quoque menſis copioſe apponitur. Demulcendi ergo ægrotis datur, contra Alvi fluxus efficax celebratur.*

OSMUNDA, videatur LUNARIA.

OSTEOCOLLA. Concrementa calcarea, alba, figura oblonga, ſuperficie aſpera. Sunt vel Stalactites vulgari ratione orti & tales utplurimum in Officinis proſtant, vel ſtipites arborum carie exeſi, terra calcarea & ſabulo farti, vel incruſtationes Vegetabilium calcareæ, deſtructo Vegetabili ſuperſtites. Paſſim per Europam reperitur. *Oſſa conſolidandi vires eis adſcriptæ dudum exploſæ ſunt.*

OSTRUTIUM, videatur IMPERATORIA.

OVUM, videatur GALLINA.

OXYACANTHA, *Epine blanche, Weisdornen. Flores* albi, pentapetali, petalis rotundis, leviter ſerratis, fragrantes. *Fructus* baccæ ſunt ex elliptico ſubrotundæ, umbilicatæ, ſingulæ ad quaterna uſque ſemina fertiles, rubræ, inſipidæ, inodoræ. Cratægus Oxyacantha L. Blackwell Tab. 149. Copioſus ejus per Europam proventus eſt. *Flores* Floribus Acaciæ, quamvis gratia inferiores, ſubſtitui ſolent. *Fructus, Acaciis utique inertiores, leviter adſtringunt.*

OXYCOCCUS, *Canneberge, Moosbeeren, Keſſelbeeren.*

Baccæ

Baccæ rubræ, globoſæ, umbilicatæ, ſucco rubro turgentes, inodoræ, guſtu, ſi quidem glacie aduſtæ fuerint, acidulæ. Vaccinium Oxycoccus L. Europæ temperatæ & frigidæ planta, in hortis coli ægre patitur. *Fructus Refrigerandi ſcopo ægrotantibus præbentur; Scorbuto quoque adverſari dicuntur. Succus baccarum æquis partibus cum Melle mixtus in Suecia officinalis eſt & Febricitantibus laudatur.*

PANIS, *Pain, Brod.* Sub cruſta varii coloris, odoris, ſaporis, duriuſcula, friabili continet ſubſtantiam mollem, multis foraminibus hiulcam, pro Farinæ, unde conficitur, varietate, varia albedine inſtructam, quæ *Mica* dicitur. Albedine, levitate, numero foraminum probatur. Eſt Farina juſta Fermentatione viſcido exuta, unde Pani præter farinam ex vario tam fermentationis, quam coctionis, quam expertus eſt modo, novæ naſcuntur diverſitates. *Cruſta ſcopo Roborandi ex Jure coquitur. Mica vires Emollientes edit.*

PÆONIA, *Pivoine, Gichtroſe. Radix* tuberoſa, ſub cuticula ferruginei coloris, qua Radix ad uſus medicatos recipienda nudari debet, candida eſt, odoris gravis, ſaporis leviter adſtringentis, nauſeoſi. *Florum* petala aſſervantur profunde rubra, odorem exſiccata exiguum, ſaporem nullum habent. *Semina* ſunt ovata, nigra, medullam habent duriuſculam, albam, dulcem. Pæonia officinalis L. BLACKWELL Tab. 65. & 245. In Europa calidiore ſponte creſcit, noſtras hyemes optime fert. *Vires Antiſpaſmodicas edere dicitur.*

PALMÆ OLEUM. Albiſſimum eſt, inodorum, inſipidum, in noſtro aëre ſemper ſpiſſioris Unguenti conſiſtentiam habet. Recens aurantium colorem habere, ſuaviſſimum Iridis odorem ſpirare, obtineri coctione fructus *Palmarum* fertur, in America calidiore creſcentium, quarum vero genus, quale ſit, adhuc in dubio ponitur. *Præ reliquis Oleis unguinoſis nihil eximii præſtare videtur.*

PAPAVER ALBUM vel NIGRUM, *Pavot, Magsaamen. Capſulæ* ſeu Capita majuſcula ſunt, rotunda, operculo rotundo, ſtriato tecta, ſub quo orificium capſulæ hiat, odorem recentes valde viroſum, exſiccatæ exiguum ſpirant. *Semina*

minuta ſunt, rotunda, dulcia, ſive albiſſima, ſive nigra, vel potius cærulescentia. Capita largiuntur *Opium* ſuo loco dictum. *Capita exſiccata aliquantum Sopientium edunt effectum, quo ſcopo unum Caput pro doſi ex aqua coquitur, ſive Syrupus ex eorum Decocto paratus exhibetur. Semina plane nihil præ aliis ſeminibus oleoſis proprii habet.* Oleum inde expreſſum Gallorum *Huile d'Oeillet*, ne acerrimo quidem noſtræ regionis frigore denſatur. *Pictoribus frequentiſſimus ejus uſus eſt; ad lucernarum lumina nutrienda adhibetur, frigide expreſſum non raro ad Acetaria quoque recipitur.*

PAPAVER RHOEAS vel ERRATICUM, *Coquelicot, Klapperroſen. Flores* ex calyce evulſi, petala rubra ſunt, rotundata, odore levi, non admodum grato, ſapore dulciuſculo perfuſa. Papaver Rhoeas L. Blackwell Tab. 2. Vel nimis frequenter in agris per Europam offenditur. Aquam hi flores, diutius immerſi, mucilaginoſam reddunt. *Demulcendi & Relaxandi fine ſub forma ſive Infuſi, ſive Syrupi exhibentur. Extractum e Capitibus aquoſum quidam a Granis ſex ad octodecim uſque Sopiendi ergo adhibent & Opio præferunt.*

PARADISI GRANA, *Malaguette, Maniguette, Paradieskœrner. Semina* parva, angulata, badia, intus alba, odore aromatico, minus forti, ſapore fervido imbuta. Amomum Grana Paradiſi L. Copioſe in Africa Occidentali occurrit. Pauxillum Olei odorati, ſuaveolentis fundunt. *Efficacia virium ad Piper accedunt.*

PAREIRA BRAVA. Radix magna, brachium interdum & ultra craſſa, ſub cortice rugoſo, dilute fuſco ſubſtantiam lignoſam, luteſcentem, inodoram & amaram condit. Ciſſampelos Pareira L. In America calida creſcit. Anno 1688. Pariſios allata in uſum trahi cœpit. *Reſolventibus & Diureticis viribus pollet. Drachma ejus una cum octo Unciis Aquæ ad remanentes ſex Uncias cocta datur pro doſi.*

PARIETARIA, *Caſſepierre, Glaskraut, Tag-und Nacht-Kraut. Folia* ovato-acuta, petiolata, ſupra ſaturate viridia, rugoſa, pilis ſparſa, ſapore leviſſime adſtringente prædita. Parietaria Officinalis L. Creſcit in Europa temperata,

parcius jam in Alſatia & Palatinatu occurrit. *Cum in ruderatis creſcat, fuerunt qui Calculum ea imminui crederent.*

PARIS, *Raiſin de Renard, Wolfsbeere, Einbeere. Folia* ovato-acuta, obſcure viridia, inodora, fatua, nauſeoſa, *Baccæ* nigræ, globoſæ, tetragonæ, apice depreſſæ, fatuæ. Paris quadrifolia L. Blackwell Tab. 286. Creſcit in omni Europa. Plantæ nonnullis ſuſpectæ *Folia ſiccata non modo non nocuiſſe, ſed ad Scrupulum unum pueris in Convulſionibus data ſaluberrimos edidiſſe effectus graviſſimi Auctores teſtantur. Baccæ Maniacis ad Drachmam unam pro doſi commendantur.*

PASSULÆ MAJORES, *Raiſins ſecs, Zibeben, Meertrauben.* Baccæ Uvarum exſiccatæ, ovatæ, rugoſæ, ex flavo in brunum vergentes, ſplendentes, pulpam dulciſſimam & plura ſemina continent. Quatuor eorum genera in noſtris tabernis proſtant, *Damaſcenæ*, ſive *Smyrnenſes*, maximæ ad parvi Pruni magnitudinem accedentes, compreſſæ, fulvæ, haud adeo ut reliquæ exquiſiti ſaporis; *Raiſins aux Rubis* ventricoſæ ſunt, antecedentibus paululo minores; *Calabrinæ* ventricoſæ racemis adhuc adhærentes & filo colligatæ; *Vulgares* ſolutæ & minores ex Gallia Meridionali quoque advehuntur. Sunt multifariarum varietatum Vitis Viniferæ L. baccæ Lixivio Alcalino interdum etiam aliquantulo Salis & Olei miſto maceratæ & deinceps ſuper ſtramenta Sole ſiccatæ.

PASSULÆ MINORES, *Raiſins de Corinthe, Corinthen, Roſinlein.* Baccæ exiguæ ſunt Ribeſiis minores, rotundæ, ex purpureo nigricantes, rugoſæ, dulciſſimæ, ſubacidæ, in maſticatis lingua nulla ſemina ſentit. Deſumuntur a Viti vinifera Apyrena L. quæ in pluribus Archipelagi Inſulis copioſe colitur; acini affatim maturi Aëre & Sole exſiccati peculiaribus cellis inſeruntur, mercantibus tradendi. *Paſſulas Nutrientes, Saponaceæ & Demulcentes vires commendant.*

PASTINACA, *Panais, Peſtnagel. Radix* fuſiformis, alba, rugis transverſalibus rugoſa, carne laxiore, proprio odore, ſapore dulci, nonnihil aromatico perfuſa. *Semina* ovalia ſunt, compreſſo-plana, marginata, ſtriata, flavicantia, odorem radicis ſpirant aromaticum, linguam evidenter pungen-

tem ſaporem habent. Paſtinaca ſativa L. Blackwell Tab. 379. Creſcit paſſim per Europam. Aliquid Olei odorati, nec non Sacchari largiri dicitur. *Viribus ad Daucum accedit.*

PATIENTIA, *Butterweckel.* Radix fuſiformis, extus ex rufo-luteſcens, intus tota lutea, ſaporis amaricantis, adſtringentis, acris. Rumex Patientia L. Blackwell Tab. 489. Italiæ indigena, noſtratium hyemum patientiſſima. *Efficacia virium Lapatho acuto proxima eſt.*

PENTAPHYLLUM, *fünf Finger Kraut. Radicum* nonniſi cortex vulgo recipitur, qui rufus & ſapore evidenter adſtringens eſt. *Folia* in quinque, interdum ſeptem lacinias inæquales, ſerratas diviſa, levi modo ſapore linguam ſtringunt. Potentilla Reptans L. Per omnem Europam vulgaris. *Olim Adſtringendi ſcopo adhibebatur.*

PERCARUM LAPIDES, *Pierres de Perches, Berſing* vel *Kaulparsſtein,* ſunt exigui, elliptici, albi, ſemipellucidi, ſuperne duplici linea longitudinali notati, duri, inſipidi, cum Acidis effervescunt; bini in Perca fluviatili L. ad Oſſis Occipitalis inferiorem, Vertebris vicinam partem hærent. *Vires Abſorbentes poſſident.*

PERFOLIATA, *Percefeuille, Durchwachs. Folia* ovato-oblonga, obtuſe terminata, glabra, ſaporis & odoris expertia. *Semina* exigua ſunt, nigra, duriuſcula, inodora, ſapore adſtringentia, auſtera. Bupleurum Rotundifolium L. In Europa temperata creſcit. *A quibuſdam ad Hernias commendabatur.*

PERSICA, *Pêche, Pferſich. Flores* pentapetali, petalis rotundatis, roſeis, calyce quinquefido, viridi comprehenſi, ſuaves odore, ſapore amaricantes. *Fructuum* innumeræ varietates proſtant, magnitudine, figura magis minusve ovata, colore, glabritie &c. a ſe invicem diverſæ; omnium promiſcue ſuavis odor eſt, ſapor dulcis, vinoſus, utroque pro generis diverſitate nonniſi gradu differente. *Oſſiculum* ovatum, rufeſcens, ventricoſum, profunde ſulcatum continet *Nucleum* ovatum, compreſſum, ſub cuticula fuſca medullam continentem album, grate olentem, amaricantem. Amygdalus Perſica L. Blackwell Tab. 101. Americæ & Aſiæ indigena arbor, longe plu-

rimas varietates produxit, quarum quædam apud nos ſylveſtres ſunt, pleræque in hortis coluntur. *Flores Alvi ducendæ gratia præſcribuntur. Fructus in cibum recipiuntur, Nuclei Amygdalis amaris ſaporis gratia ſunt præferendi, viribus æquiparandi.*

PERSICARIA ACIDA, *Saamkraut, Sommerlock.* Folia petiolata, ovato-lanceolata, coriacea, leviſſime ſerrata, evidenter acida. Polygonum Amphibium L. Ubivis per Europam obvium. *Fuerunt qui vim ei Lithontripticam tribuerent.*

PERSICARIA ACRIS, *Hydropiper, Curage, Poivre Aquatique, Waſſerpfeffer, Muckenkraut.* Folia petiolata, lanceolata, mucronata, interdum rubro interdum flavo colore tincta, ſapore acri perfuſa. Polygonum Hydropiper L. Blackwell Tab. 119. Copioſe per Europam creſcit. *Extus ad Œdemata Diſcutienda laudatur.*

PERSICARIA MITIS, *Parietaire, Flœhkraut.* Folia petiolata, obtuſe terminata, non raro macula nigra notata, aliquantulum hirſuta, ſaporis leviſſime aciduli & acriuſculi. Polygonum Perſicaria L. Blackwell Tab. 118. Vulgare per Europam. *Extus contra Gangrænam commendatur.*

PERUVIANUM BALSAMUM. Balſamo de Copaiba ſpiſſius, odorem habet fragrantem, ſaporem leniter acrem, colorem ex purpureo-nigricantem. Ex America calida nobis venit; Arboris, unde colligitur, character adhuc dum latet; obtineri dicitur e virgulis arboris cum Aqua coctis; illud vero, quod arbor ſponte fundit, album, nigroque multo præſtantius eſſe perhibent. Oleum odoratum, Benzoën redolens, fundit, Floresque, dum deſtillatur, exhibet Benzoinis ſatis ſimiles; Oleis non diſſolvitur, cum Oleo unguinoſo digeſtum ſpiſſam Reſinæ ductilis conſiſtentiam induit. *Intus æque ac extus ad Conſolidanda Vulnera & Ulcera adhibetur, læſis quoque Tendinibus & Membranis ſalutariter applicatur.*

PERUVIANUM BALSAMUM SICCUM vel *Opobalſamum ſiccum.* Sub ſpecie Reſinæ ex purpureo-flavicantis, Benzoën evidenter redolentis, in Cucurbitulis, fungoſa quadam ſubſtantia obturatis, ad nos pervehitur. *Intus ob vires Balſamicas adhibetur.*

PETASITES, *Peſtilenzwurzel.* Radix fibroſa, digitum craſſa, extus fuſca, intus alba, odorem exſiccata admodum tenuem, ſaporem acriuſculum, amaricantem habet. Tuſſilago Petaſites L. Blackwell Tab. 222. Totius Europæ domeſtica. Olei quid odorati fundere, *Putredini reſiſtere* fertur.

PETROLEUM, *Steinœl.* Oleum ex terræ viſceribus profluens, empyreuma olens, guſtu acre; *Nigrum* reliquis ſpiſſius eſt & gravius olens; *Rubri* tenuior fluiditas, color magis minusve dilutus, odor & ſapor penetrantior eſt; *Album* pelluciditatem aquæ æmulatur, fortiorem reliquis, ſed minus nauſeoſum odorem ſpirat; hoc proprie *Naphta* dicitur; priora paſſim in Europa ceterisque Orbis partibus reperiuntur; poſterius in Oriente maxime, cujus quidem in locum Officinæ utplurimum dilutius Rubrum uſurpare ſolent. *Viribus Petroleum ab Aſphalto fere nihil differt, ſpecifice contra Tæniam commendatur.*

PETROSELINUM, *Perſil, Peterſilien, Peterlein. Radix* fuſiformis, ſub cuticula flavicante, rugis annularibus notata, carnem includit albam, proprium odorem ſpargentem, ſapore dulcem, leniter aromaticam. *Folia* petiolis ſulcatis inſident, pinnulis ternatis, integris & inciſis duplicato-pinnata, odorem æque ac ſaporem aromaticum habent; *Semina* ſunt convexo-plana, oblonga, profundius ſtriata, ſaporis aromatici, non admodum grati. Apium-Petroſelinum L. Blackwell Tab. 172. In Sardinia ſponte creſcere dicitur, ubique in hortis colitur. Oleum odoratum Radices & Folia parciſſime, Semina largius fundere ferunt. *Radices tanquam Olus eduntur, Foliis cibi condiuntur; extus eadem ad Lac diſcutiendum applicantur, omnibus Petroſelini partibus vis Diuretica tribuitur.*

PETROSELINUM MACEDONICUM. Semen oblongum, utrinque acutum, ſtriatum, villoſum, leviter odorum, evidenter aromaticum. Bubon Macedonicum L. Blackwell Tab. 382. Orientis indigena, biennis planta, noſtratium hyemum patiens. *Ob vim Carminativam & Diureticam olim celebrabatur.*

PEUCEDANUM, *Queue de Pourceau, Haarſtrang.* Radices fibroſæ, extus fuſcæ, intus albæ, proprium odorem,

non nauſeoſum, ſaporem dulciculum, leviter aromaticum habent. Peucedanum Officinale L. Europæ temperatæ indigenum. *Viribus Aperientibus pollet, Alvum leniter laxare aſſeritur.*

PHELLANDRIUM, *Cigue des Marais, Waſſerſchierling.* Semen ovali-oblongum, ſtriatum, ex viridi-purpuraſcens, odoris aromatici, ſaporis acriuſculi. Phellandrium Aquaticum L. Paſſim per Europam creſcit. Oleum odoratum fundere dicitur. *Ad ſananda Ulcera externa & interna & contra Febrem intermittentem a nonnullis commendatur.*

PHU, *grande Valeriane, Katzenwurzel.* Radix cinerea, oblonga, digitum circiter craſſa, annulatim rugoſa, in omnem longitudinem fibras dimittit longitudinales, deſcendentes, ſe ipſa longiores & pallidiores, odorem proprium, fortem, minus gratum ſpirat, ſapore ſalſo, amaricante, linguam leviter pungit. Valeriana Phu L. Blackwell Tab. 250. Creſcit in Europa temperata. *Viribus efficacius etiam quam Valeriana officinalis agere videtur.*

PHYTOLACCA. Folia majora, ovata, integerrima, utrinque viridia, ſapore leviter acri inſtructa. Phytolacca Decandra L. In Virginia, Italia & Helvetia ſponte creſcit, noſtræ hyemis patientiſſima. *Fuerunt, qui ejus contra Cancrum efficaciam laudarent.*

PICHURIM FABA. Nucleus ovato-oblongus, utrinque obtuſus, ſeſquipollicem circiter longus, octo lineas latus & aliquot craſſus, ſuperne convexus, inferne concavus, ſub epidermide nigricante medullam ferruginei coloris includit, grate aromaticum ſpirat odorem, ſuavique ſapore linguam pungit. Suſpicio eſt, a quadam *Lauri* ſpecie in Paraguay creſcente eam decerpi. Olei expreſſi, fragrantiſſimi $\frac{1}{3}$ circiter fundere fertur. A quinque fere retro luſtris in Suecia exorſus ejus uſus, multum deinceps laudatus eſt *in ſiſtendo Alvi fluxu. Datur ad Drachmam ſemis.*

PILA MARINA, *Meerballen.* Subſtantia levis, rotunda, ex recrementis radicum conglomeratis efformata, odoris & ſaporis expers. Formatur ex diſſolutis & agitatione Maris conglomeratis tuberibus Radicum Zoſteræ marinæ L. quæ in

Oceano & Mari Balthico reperitur. Liquorem Urinoſum fundit. *Uſta contra Strumas commendatur.*

PILOSELLA videatur AURICULA MURIS.

PIMPINELLA ALBA, *Bouquetine. Radices* cylindraceæ, digitum circiter craſſæ, rugoſæ, odoris levis, ſaporis evidenter acris ad Saponem accedentis. Pimpinella Saxifraga L. BLACKWELL Tab. 472. Oleum fundere dicitur acerrimum. Paſſim in Europa creſcit. *Multum laudis in virtute ejus Reſolvente & Aperiente ponitur, maxime contra morbos Mucoſos. Datur ad Drachmam dimidiam in ſubſtantia, ad Seſquidrachmam in Infuſo.*

PIMPINELLA NIGRA. *Radix* cylindrica eſſe fertur, digitum craſſa, apice ramoſa, ſub cuticula fuſco-nigra, medullam continere cæruleam grati odoris, ſaporis dulceſcentis, mite aromatici. Pimpinella magna L. Marchiæ propria, in quibuſdam etiam Europæ temperatæ Floris occurrit. Oleum eam fundere ſapphirinum dicunt, & cæruleo colore tingere tam Aquam, quam Spiritum Vini inde abſtrahendum. *Egregium Reſolvens, contra Calculum etiam Remedium habetur.*

PIMPINELLA RUBRA, vel ITALICA, *Sanguiſorba, Pimpernelle. Folia* pinnata, nervo hirſuto inſtructa, foliolis breviter petiolatis, ovatis, obtuſis, profunde crenatis, ſubtus glaucis, leviſſimo ſapore & odore imbutis. Poterium Sanguiſorba L. BLACKWELL Tab. 413. *Ad Acetaria recipitur & a Medicis ſcopo Tonico recens præſcribitur.*

PINEÆ, *Pignons, Pinien. Nuclei* parvi, oblongi, ventricoſi, utrinque obtuſi, albiſſimi, tunica rufeſcente, gracili, ſicca veſtiti, ſapore perfuſi dulci, aliquatenus proprio, neque admodum grato; vel leviſſima flavedine tincti rejiciendi ſunt. Pinus Pinea L. BLACKWELL Tab. 189. In Europa calida creſcit, apud nos in frigidario per hyemem cuſtodienda. Pineæ ultra tertiam ſui ponderis partem Olei odorati fundunt. *Noſtrates eas fere nonniſi ad Reſinoſa in Pulverem aut Emulſionem redigenda adhibere ſolent.*

PINI RESINA, *Poix Reſine.* In fruſtis variæ magnitudinis exſtat, quæ flava ſunt, nitida, facie vitrea, ſubdiaphana, odoris non ingrati, nec fumus accenſorum nauſeoſus eſt. Minora

nora hujus Reſinæ fruſta, a Formicis in ſuas penus coacervari ſolita, *Olibani ſylveſtris* nomine veniunt. Ex annoſiore quaque Pinu ſylveſtri L. paſſim per Europam obvia arbore ſponte effluit. *Recipitur ad Emplaſtra & Unguenta Roborantia & Maturantia.*

PINI STROBILI. Sunt tenellæ ramorum propagines terminales, cylindroideæ, extus rufæ, intus virides, ſquamis ſubdiaphanis, ciliatis imbricatæ, odoris balſamici, ejuſdemque & amariuſculi inſuper ſaporis. Deſumuntur a Pinu ſylveſtri L. *Eorum Uncia una cum Aquæ Unciis triginta ſex, per viginti quatuor horas infuſa, Scorbuticis magnopere commendatur. Recentes exſiccatis multo præſtantiores ſunt.*

PIPER ALBUM, *Poivre blanc, weiſſer Pfeffer.* Semina parva, rotunda, lævia, alba, odoris proprii fortis, ſaporis aromatici, linguam urentis. Sunt Semina matura Piperis nigri L. Blackwell Tab. 348. Inſularum Aſiaticarum fruticis, cuticula externa nudata. Olei mitis $\frac{1}{64}$ fundunt. Ejus Extractum tam aquoſum, quam ſpirituoſum acerrimum eſſe dicitur. *Multum calefacit, cibis condimenti loco adjicitur, valide Reſolvit & contra morbos Frigidos adhibitum admodum efficax habetur. Cavendum vero, ne doſis ultra Scrupulum dimidium extendatur. Extus Apophlegmatizandi ſcopo adhibetur.*

PIPER JAMAICENSE, videatur AMOMUM.

PIPER INDICUM vel HISPANICUM. Capſulæ variæ tam figuræ, quam magnitudinis, coloris etiam, quanquam utplurimum rubræ ſunt, nitidiuſculæ; calyce ſuſtentantur viridi, quinquefido, ſub cute ſubcarnoſa, pulpam includunt flavicantem, ſiccam, Semina alba, ſubrotunda, compreſſa continentem, odor nullus, ſapor acerrimus eſt, linguam urens, aromatis expers. Capſicum annuum L. Blackwell Tab. 129. Americæ indigenum in hortis colitur. Infuſum aquoſum Vitrioli & Alcoholis ope in gelatinam cogi fertur. *Americanis acceptiſſimum condimentum, ad Grana ſex pro doſi datum Febres pertinaces curaſſe obſervatum eſt. Apud nos nonniſi ab Œnopolis ad acuenda vilioris notæ Aceta adhiberi ſolet.*

PIPER LONGUM, *Amentum* cylindraceum, aliquot pollices longum, totum ſeminibus protuberantibus quaſi totidem ſquamis prorſus obſeſſum, odorem, ſaporem, vires etiam Piperis albi refert, quo tamen mitius eſt. Piper longum L. BLACKWELL Tab. 356. Eandem cum *Pipere albo* patriam habet.

PIPER NIGRUM. Eſt Piper album, immaturum, cuticula ſua adhuc contectum, nigrum, rugoſum, intus album, odore *Pipere albo* fortius, ſapore etiam ardentius.

PISTACIÆ NUCES, *Piſtaches*. Nuclei oblongi, obſolete trigoni, ſub cuticula rufeſcente, medullam viridem, dulcem & ſuavem includunt. Piſtacia Vera L. BLACKWELL Tab. 461. Arbor Aſiæ indigena, in Europa calida copioſe colitur; apud nos in frigidario contra hyemem defendenda. *In blandimentum guſtus Bellariis & Morſulis immiſcetur.*

PIX BURGUNDICA, videatur RESINA.

PIX NAVALIS, *Goudron, Theer, Schiffdœrr.* Eſt Oleum empyreumaticum, ſpiſſiuſculum, conſiſtentiæ Mellis, nigrorubicundum, odorem ſpirans balſamicum, empyreumatico junctum, ſapore perfuſum amaricante. Obtinetur ex lignoſis partibus Pinus Sylveſtris L. Arboris ſupra dictæ, ope deſtillationis per deſcenſum. Probitas ejus ex aqua ei affuſa dijudicatur, ſiquidem non albido eam, ſed rufo-roſaceo colore imbuit. *Propter Balſamicos effectus Phthiſicis eam Veteres commendare ſolebant. Ejus Infuſum recentioribus temporibus morbis Malignis, Scabie &c. laborantibus enixe commendabatur*, videatur P. II.

PIX NIGRA, *Poix, Pech.* Eſt nigra, atra, lucida, in calore tenax, digitis fortiſſime adhæreſcens, fragilis, fractura vitriformis, odore & ſapore Pici navali multum cedens, ex qua ſub perpetua agitatione ad ſiccitatem cocta paratur. *Tenacitatis gratia Emplaſtris additur; contra Clavos pedum & Malum Iſchiadicum efficax fertur. Eviluit crudelis Dropaciſmus.*

PLANTAGO, *Plantain, Wegerich. Radices* rufæ, ex capite parvo quam plurimas fibrillas albidas protrudunt, inodora, ſapore ſalſo, in fatue-dulcem ſe reſolvente. *Folia* alias lata, ovata, magnis petiolis inſtructa, glabra, ſeptem nervis

percurſa, ſaporis & odoris fere vacua; alias anguſta ſunt, lanceolata, quinquenervia, perinde inſipida. *Semina* exigua, rubra, lævia, inodora, ſaporis mucilaginoſi. Plantago Major L. Blackwell Tab. 35. & Lanceolata L. Blackwell Tab. 14. Creſcunt ubique per Europam. Succus ex Foliis expreſſus eminenter ſalſus eſt. *Radicum contra Febres; Foliorum in Decoctis Vulnerariis uſus ſalutaris habetur; eadem recentia Inſectorum puncturis cum ſucceſſu imponuntur.*

PLUMBUM, *Plomb, Bley.* Metallum albidum, ad nigredinem vergens, minimæ firmitatis, omnium molliſſimum, præter Mercurium graviſſimum, paulo majorem, quam Stannum, calorem ad ſui fuſionem exigit, Aqua, Acidis, Alcalibus, Oleis perinde diſſolubile. Exhibetur a Natura ſub forma variarum glebarum, paſſim in Europa occurrentium. *Intus cum pernicioſiſſima excitet ſymptomata nunquam dandum; extus ad Siccandum & Diſcutiendum haud fruſtra adhibetur.*

POLIUM CRETICUM, *Cretiſcher Poley. Cauliculi* tetragoni, tomentoſi, *Foliolis* obſeſſi linearibus, ſuperne crenatis, albidis, calycibus terminati parvis, tomentoſis, parum odoris; ſaporem habent pungentem & amaricantem, odorem fragrantem. Teucrium Creticum L. Archipelagi. *Quod ſubſequitur Polium, cum in noſtris ſaltem officinis plus aromatis habeat, hujus uſum fere abrogavit.*

POLIUM MONTANUM. Cauliculi *Foliis* oblongis, craſſis & *Capitulis* obſeſſi *florigeris*, utriſque tomentoſis; odorem habent fragrantem, ſaporem amarum & pungentem. Teucrium Polium L. Blackwell Tab. 456. Creſcit in Europa temperata. *Olim ad Viſcera reſeranda, Urinam & Menſtrua pellenda adhibebatur.*

POLYGALA, *Kreuzblume.* Radices fibroſæ, tres fere pollices longæ, graciles, ex capite craſſiuſculo ſenſim filiformes, colore extus pallide luteo, intus albiſſimo, exſiccatæ admodum duræ ſunt, nullum odorem, ſaporem habent leviſſime ſalſum. Polygala amara L. Creſcit in Europa temperata. *In Phthiſi eam Recentiorum Medicorum nonnulli commendant, vel ad dimidiam Drachmam bis de die ſub forma Pulveris, vel ejus*

Decoctum ſcilicet Uncias duas cum Aquæ duabus libris ad unius libræ conſumtionem coctas ſubinde per diem exhibendas.

POLYPODIUM, *Engelſüs.* Radices admodum longæ, anſerinum fere calamum craſſæ, eminentibus tuberculis, velut articulis diviſæ, ſub cortice rufo medullam includunt flavam, vireſcentem, odorem muſcoſum, ſaporem cum adſtrictione dulcem. Polypodium Vulgare L. Blackwell Tab. 215. Creſcit per omnem Europam. Radices inter coquendum amareſcunt. *Infuſum aquoſum ad Reſolvendum, Viſcera Abdominalia reſeranda, nec non ad ſcopum Eccoproticum valet.*

POMA, *Æpfel.* Fructus innumerabilium pene varietatum; jam enim differunt figura, quæ tamen utplurimum ovali-ſubrotunda deprehenditur; jam colore; jam ſapore acerbo, acido, dulci, vinoſo; jam magnitudine; jam maturandi celeritate, qua quidem dulcia omnino vinoſis præſtare compertum eſt; ad baſin concava, umbilico depreſſo notata ſunt; pulpa quinquelocularis, odor fragrans eſt & plura Semina continet. Pyrus Malum L. *Viribus ſaponaceis pollent; dulcia Demulcent, in morbis Pectoris potiſſimum proficue adhibenda; vinoſa Refrigerant, Humorum Æſtum temperant.*

POMPHOLYX, videatur NIHILUM.

POPULUS, *Peuplier, Pappel.* Proſtant *Oculi* ſeu Gemmæ ovato-oblongæ, flavo-rubræ, ex ſquamis variæ magnitudinis ſibi invicem incumbentibus imbricatæ, verno tempore ſucco fœtæ ſunt viſcido, digitis adhærente, ſuaveolente, amaro. Ante foliorum evolutionem colligendæ. Populus nigra L. Blackwell Tab. 248. Magna ejus ubique per Europam copia provenit. Expreſſione Reſinam, deſtillatione cum Aqua aut Spiritu Vini Oleum odoratum fundere dicuntur. *Propter Balſamicas vires a nonnullis adhibiti, hodie maxime ad parandum denominatum inde Unguentum colliguntur. Exſiccati virtute ſua penitus deſtituti deprehenduntur.*

PORCUS, *Porc, Schwein.* Sus ſcrofa L. Animal quadrupes per omnem Europam indigenum. *Axungia, Saindoux* pinguedo mollicula, alba, inſipida, inodora, ex Meſenterio hauſta. *Reliquarum Axungiarum viribus par ad plura Unguenta recipitur.*

PORRUM, *Porreau, Lauch. Bulbus* conoideus, albus, ſtriatus, tunicis ſiccis veſtitus, proprium odorem, Cepaceo mitiorem, ſimilemque ſaporem emittit. *Folia* habet longa, plana, profundius viridia, odoris, ſaporisque itidem proprii, Cepaceo mitioris, nonnihil dulcis. Allium Porrum L. Blackwell Tab. 421. Copioſe in hortis colitur. *In culinas tanquam olus recipitur. Becchicum, Diureticum, Lithontripticum medicamentum in laude fertur.*

PORTULACA, *Pourpier, Burzel. Folia* carnoſa, cuneiformia, nitidiuſcula, viridia, punctulis notata, inſipida, inodora; *Semina* exigua, nigra, rotunda, rugoſa, ſaporis oleoſi. Portulaca Oleracea L. In Europa temperata & Oriente copioſa, in hortis colitur. *Aperientia, Refrigerantia, Antiſcorbutica Folia, nonniſi recentia adhibenda. Semina Refrigerantibus minoribus adnumerabantur.*

PRIMULA VERIS, *Paralyſis, Primevere, Schlüſſelblumen, Himmelsſchlüſſel.* Flores calyce exemti, infundibuliformes, quinquefidi, limbo concavo, flavi, ſapore dulciculi, ſuaves odore, qui exſiccando minuitur quidem, neutiquam vero tollitur. Primula Veris officinalis L. Blackwell Tab. 226. Creſcit per omnem Europam. *Ad Infuſa Cephalica recipiuntur.* Aqua inde deſtillata, quæ vulgo in officinis proſtat, iners eſt.

PROPOLIS, videatur CERA.

PRUNA, *Prunes, Zwetſchen, Pflaumen. Drupæ* variæ tam magnitudinis, quam figuræ, creberrime quidem ovatæ, varii etiam coloris, utplurimum tamen cæruleæ, ſub cute nitida pulpam habent frequentiſſime flaveſcentem, odoratam, dulcem, pro varietate diverſa aquoſam, quæ oſſiculum includit ſcabrum mox oblongum, compreſſum, mox ovatum, *Nucleum* continens dulcem, ſuavem, vix amariuſculum. Prunus domeſtica L. Blackwell Tab. 494. Europæ Auſtralis indigenæ arboris, noſtrates plurimas Varietates in hortis colunt. *Vires ſaponaceas & Antiputridas cum reliquis Fructibus horæis communes habent; exſiccatæ & cum Aqua decoctæ ſolvendæ Alvo inſerviunt.*

PSYLLIUM, *Herbe aux puces, Flœhſaamen.* Semina ovali-oblonga, convexo-concava, nigra, nitida, ſub dentibus

lenteſcentia, inſipida, inodora. Plantago Pſyllium L. Blackwell Tab. 412. Europæ Auſtralis domeſtica, noſtræ hyemis patiens. Mucilaginis $\frac{1}{8}$ largitur. *Mucilago inde parata interdum intus Demulcendi ſcopo, extus contra Ophthalmiam adhibetur.*

PTARMICA, *Herbe à éternuer, wilder Bertram.* Radix fibroſa, alba, leviter geniculata, inter maſticandum primum inſipida, dein evidenter acris deprehenditur. Achillea Ptarmica L. Blackwell Tab. 276. Paſſim per Europam obvia. *Apophlegmatizandi ſcopo ſunt, qui eam Radicibus Pyrethri ſubſtituant.*

PULEGIUM, *Puliot, Poley. Cauliculi* tetragoni, pubeſcentes, *Foliis* obſeſſi petiolatis, ovatis, obtuſis, crenatis, albidis & verticillis calycum quinquefidorum, pubeſcentium, Flores labiatos continentium; odor ut & ſapor proprius, aromaticus eſt. Mentha Pulegium L. Blackwell Tab. 302. Creſcit in Europa temperata. Olei odorati $\frac{1}{320}$ fundit. *Ad morbos Uterinos maxime adhibetur.*

PULMONARIA ARBOREA, *Pulmonaire de Chêne, Lungenmoos.* Lichen e latis, laciniatis, coriaceis foliis efformatus, alternis eminentiis, veſicis ſimilibus, & lacunis diſtinctus, flavicans, inferne tomentoſus, inodorus, ſaporis ſalſi, leviſſima amaritie ſubmiſta. Lichen Pulmonarius L. Blackwell Tab. 335. Per omnem Europam truncis arborum adcreſcere ſolet. *In Reſolvendo efficax morbis Pulmonum & Laterum laborantibus laudatur.*

PULMONARIA MACULOSA, *Pulmonaire, gefleckt Lungenkraut.* Folia ex ovatis lanceolata, ciliata, hirſuta, maculis albis notata, ſubtus albicantia. Pulmonaria officinalis L. Blackwell Tab. 376. Vulgaris per Europam planta. *A nonnullis Hæmoptoicis & Phthiſicis commendabatur.*

PULSATILLA, *Coquelourde, Kuchenſchell.* Folia petiolata, pinnis linearibus & acutis bipinnata, ſubtus hirſuta, odore levi, ſapore primum levi, dein multum acri. Anemone pratenſis L. Paſſim per Europam obvia. Aquam deſtillatam valde acrem, nonnihil Camphoræ emittentem, fundere dicitur. *Succus inſpiſſatus ſub Extracti nomine ad Scrupulum ſemis exhibetur. Variis Oculorum morbis medelam attuliſſe Illuſtris* Stœrck *obſervavit.*

PUMEX, *Pierre Ponce, Bimſenſtein.* Lapis variæ magnitudinis, aqua levior, multis foraminibus excavatus, non admodum durus, friabilis, ſaporis & odoris per ſe expers, ſi quid habet, mari debet, cui innataverat. Pumex Vulcani L. Montium Ignivomorum partus, ad eorum tam adhuc dum ardentium, quam dudum extinctorum oras invenitur, Mari etiam illis vicino haud raro innatat. *Ad Dentifricia adhibetur.*

PYRETHRUM, *Bertram.* Radices aliquot pollices longæ, calamum anſerinum circiter craſſæ, cylindraceæ, fibras capillares emittentes, gryſeæ, intus albæ, odoris expertes, ſapore acres, linguam urentes. Anthemis Pyrethrum L. Blackwell Tab. 390. Europæ Meridionalis & Africæ Orientalis propria; in Thuringia & ad Magdeburgum colitur. *Apophlegmatizandi ſcopo adhibetur.*

PYROLA, *Wintergrün.* Folia rotunda, petiolata, minutim ſerrata, ſuperne ſaturate viridia, ſubtus pallidiora, ſaporis adſtringentis. Pyrola Rotundifolia L. In omni Europa creſcit. *Tam intus ad Roborandum & Adſtringendum, quam extus ad Injectiones & Gargariſmata recipitur.*

PYRUS, *Poire, Birne:* Fructus turbinati, umbilicati, quinqueloculares, magnitudine, colore, ſapore, qui tamen in omnibus plus minusve adſtringit, tempeſtivitate etiam matureſcendi plurimum variantes; Semina continentes ovato-oblonga, nigricantia, dulcia. Fragrantia præcoces reliquos antecellunt. Pyrus communis L. Blackwell Tab. 453. Innumeræ varietates in hortis coluntur. *Fructuum horæorum viribus pollent; ad ſolvendum Calculum & Aperiendam Alvum apti prædicantur.* Varietates acerbiores coctione cum aqua mitigantur.

QUASSIA. Lignum ſolidum, leviuſculum, cortice ex gryſeo albo, intus albeſcente tectum, flavicans, in tenues lamellas ſecedens, inodorum, amariſſimum. Quaſſia amara L. Surinami indigena. Extracti aquoſi amariſſimi $\frac{1}{8}$, Spirituoſi $\frac{1}{24}$ largitur. A quinque retro luſtris in Europa ad Rem medicamentariam admitti cœpit. *Roborando Ventriculo, Arthritidi Febribusque Intermittentibus ſanandis commendatur. Drachma ejus una*

cum duodecim Aquæ Unciis infunditur. Aptiſſime ſub forma Extracti datur.

QUERCUS, *Chêne, Eiche. Corticem* habet craſſum, extra cinereum, intra ferrugineum, acerbum, ſtypticum. *Folia* cuneiformia, oblonga, firmula, laciniis pinnatis ſinuata, adſtringentia; *Glandes* calyce ſuſtentatæ ſunt, *Cupula* dicto, cineraſcenti, integerrimo; dura, extus rugoſa, intus læviſſima, ſub oſſiculo lævi, nitido, flavicante, ovali-oblongo, fragili includunt *Nucleum* ſolidum, tunica veſtitum, intenſe amarum & ſtypticum. Quercus Robur L. Blackwell Tab. 487. Vulgaris per Europam arbor. *Extus Adſtringendi ergo adhibentur quæque Quercus partes; Glandes toſtæ, eum aqua decoctæ a quibuſdam nuper contra Atrophiam laudabantur.*

QUERCUS MARINA. Cartilagineus Fucus, cujus Caulis planiuſculus, aliquot mox pollices, mox pedes longus, in plures diffunditur ramos bifurcos, in folia diſperſos latius uſque procreſcendo extenſa & in apicem bilobum, trilobumve exeuntia, pluribus in utraque ſuperficie veſiculis & fibris rugoſa. Color ex nigro flavicat. Fucus veſiculoſus L. Ad littora Maris copioſe occurrit. In cineres nigros combuſtus nomine *Æthiopis Vegetabilis ad obſtructiones Glandularum aperiendas & ad Sanguinem depurandum adhibetur, iiſdem etiam uſibus extractus inde Sal Alcalinus deſtinatur.*

RACKASIRA BALSAMUM. Reſina ſicca, ſubdiaphana, rubro-brunea, inter digitos ductilis, inter mandendum tenax, dentibus adhæreſcens, odoris non ingrate balſamici, ſimilis ſaporis, reſinoſi, amaricantis; Cucurbitis incluſa ex India nobis apportatur. Calore funditur, accenſum ſuavem ſpirat & fortem odorem. *Fuerunt, qui contra Gonorrhœam & Ulcera viarum Urinariarum ejus virtutem laudarent.*

RANA, *Grenouille, Froſch.* Rana Eſculenta L. Amphibium quadrupes notiſſimum, ad aquas & paludes copioſe degens. Femora in cibum recipiuntur. *Cum Jure decocta Demulcendi æque ac Relaxandi ſcopo exhibentur.*

RANARUM SPERMA, *Frais de Grenouilles, Froſchlaiche.* Subſtantia alba, viſcida, Albumini ovorum ſimilis, germina

mina novorum animalium ſub forma corpuſculorum rotundorum & nigrorum vehens, verno tempore ſtagnis ac paludibus innatans, e varii generis Ranis enixa. *Extus Demulcendi & Refrigerandi ſcopo a quibuſdam commendatur.* Aqua inde deſtillata Paracelso *Sperniola* dicta *omnino iners eſt.*

RANUNCULUS, *Ankenblümlein, Hanenfus.* Variæ Ranunculorum ſpecies Flores habent ſapore peracres, cutemque, cui applicantur, in veſicam elevantes; noſtrates vulgo Ranunculum acrem L. recipiunt; eundem effectum edunt Aquatilis L. Lanuginoſus L. Bulboſus L. Sceleratus L. Arvenſis L. Flammula L. Lingua L. Huc etiam Anemonem ſylveſtrem L. ſub nomine *Ranunculi albi* nonnulli referunt. Aquam ab his plantis abſtractam acrem eſſe contendunt & nauſeoſam. *Brachio aut Carpo imponuntur ad fugandas Febres Intermittentes.*

RAPA, *Rave, Navet, Navau, Rübe.* Radices alias rotundæ, alias cylindroideæ, varii tam coloris, quam magnitudinis, odoris proprii, ſaporis in junioribus amari, in adultis dulciſſimi. Braſſica Rapa L. Blackwell Tab. 231. Planta Anglica & Belgica. Plures ejus varietates in hortis & agris coluntur. *Menſis apponuntur. Reſolvendi fine intus dantur ex Jure coctæ. Extus gelu conſtrictæ Perniones ſanant.*

RAPHANUS, *Radis, Rettich.* Radices figura, magnitudine, colore, ſaporis acumine multum variantes, odore proprio, ſapore acri perfuſæ. Raphanus ſativus L. Blackwell Tab. 81. In China ſponte naſci dicitur, apud nos plurimæ ejus varietates copioſe coluntur. *Condimenti loco eſitatur. Reſolvendi, Urinam ducendi, Scorbutum pellendi gratia Succus inde expreſſus exhibetur.*

RAPHANUS RUSTICANUS, videatur ARMORACIA.

RAPUNCULUS, *Raiponſe, Rapunzel.* Hoc nomine noſtrates verno tempore tenellas plantas Phyteumatis Orbicularis & Spicati L. vel Oenotheræ biennis L. in cibum recipere ſolent. Sunt qui ſcopo medicato Campanulæ Rapunculi L. haud infrequentis Europæ plantæ Radi-

ces adhibeant fibroſas, albas, dulces; *ejusque virtutem Reſolventem laudent.*

REGULUS, *Roitelet, Zaunkœnig.* Avicula corpore gryſea, roſtro ſubulato alisque inſtructa, fuſcis faſciis diſtinctis, ſubinde etiam albis maculis notatis. Motacilla Troglodytes L. Vulgaris per Europam avis. *In olla combuſtæ Pulvis olim Calculo mederi credebatur.*

RESINA, *Poix de Bourgogne, Harz.* In magnis fruſtis proſtat, ſolida, ſicca, nitidiuſcula, fragilis, inter tractantes digitos plaſtica, iisque adhærens, odorata amariuſcula, calore liqueſcens, ignem concipiens, accenſa fumum gravem emittens. Ex Pino Abiete L. vulgari per Europam arbore, cui detracto cortice, per æſtatem, exſudata adhæret, inde deraſa in lebete aqua pleno liquatur & craſſo linteo percolata depuratur. Solet etiam, antequam mercaturæ amandetur, Veſicæ immitti & aquæ miniſterio *Oleum* inde deſtillari flavum, odore minus gratum & vehemens, ſapore linguam pungens, TEMPLINUM SCHROEDERI, *Tannzapfenœl* nominant. Idem Oleum quandoque ex Pinus Sylveſtris L. ramis tenellis aut conis viridibus deſtillatione cum aqua paratur. *Reſina Emplaſtris ſolidandis & tenacitate perfundendis additur; ſuppurandi quoque & Putredinem arcendi fine adhibetur. Oleum Templinum* BALSAMO HUNGARICO *aut* CARPATHICO *multum olim ad ſananda Vulnera, Ulcera, Rheumatiſmos, &c. laudato ſubſtituitur; pro Oleo etiam Terebinthinæ non raro venditur.*

RHABARBARUM, *Rheum, Rubarbe.* Radix cujus magna fruſta ad nos pervehuntur, ſubrotunda, in medio utplurimum perforata, cuticula exteriore nudata, extus flava, rubellula, intus albo & roſeo variegata, odoris proprii, minus grati, ſaporis amari, acrimonia ſubmiſti. Minoris æſtimanda fruſta leviora, digitos tingentia interiore rubedine magis ad nigredinem vergente. Deſumi videtur a variis *Rhei* ſpeciebus in China & regione Tangutica inter 26 & 36 gradum latitudinis Borealis creſcentibus. Rheum palmatum L. ſub cœlo Europæo optime vegetans, optimo quod nobis affertur Rhabarbaro ſatis ſimiles Radices exhibet, ſiquidem per decennium cultum fuerit. Rhabarbarum *Moſcoviticum* præſtantiſſimum

eſt, aliud enim, niſi a publice ad id negotium conſtituto delegato, Jæchtæ habitante, delectum & comprobatum, per totam Ruſſiam divendere non licet. Æquas Extracti Aquoſi & Reſinoſi partes vehit. *Vi principii volatilis, quo ſcatet, Alvum ducit, quam ob cauſam ab omni Præparato, coctionis ope inde obtento, vis Laxans abeſt. Primas vias Roborat, Obſtructionibus Hepatis medetur, Renibus quoque prodeſt. Datur ad Drachmam unam ſub forma Pulveris, ad Drachmas duas in Infuſo.*

RHABARBARUM MONACHORUM. Radix fibroſa, craſſa, rugoſa, extus ex fuſco-luteſcens, intus flava, odoris levis, minus grati, neutiquam Rhabarbarini, ſaporis amaricantis cum aliquantula adſtrictione ſubacris. Rumex Alpinus L. Creſcit in Europa temperata. *Rhabarbaro, utique multo inferius, minus apte ſubſtituitur.*

RHAPONTICUM MOSCOVITICUM. Radix, cujus magna nobis mittantur fruſta oblonga, ex albo leviter flavicantia, intus ſtriis purpureis variegata, odore tenui, ſapore amaro & cum quadam acrimonia adſtringente. Gmelin a Rumice obtuſifolio L. Europæ temperatæ civi, Cl. Pallas autem a Rheo Undulato L. Chinæ & Sibiriæ indigeno, noſtras hyemes optime ferente, deſumi contendunt. *Rhabarbari veri viribus pollere dicitur, dummodo majori doſi ſumatur.*

RHAPONTICUM VULGARE. Radices cylindraceæ, luteſcentes, intus rubro-variegatæ, odore & ſapore præcedentes referunt. Deſumuntur vel a Rheo Rhapontico L. Blackwell Tab. 262. Thraciæ, in Europa culto; vel a Centaureo Centaurio L. Blackwell Tab. 93. Tartariæ, Italiæ &c. indigeno. *Priori viribus cedit.*

RHINOCEROS, *Nashorn. Cornu* ejus conoideum eſt, pedem circiter longum, uno latere leviter arcuatum, baſis ovata, diametro longitudinali ſemipedem, transverſa quatuor pollices æquans, intus concava, conoidea, ſpongioſa, nigricans, extus nigro-fuſca, rugoſa, in corpus contrahitur læve, ſplendens, fuſcum, in facie arcuata ſtriis longitudinalibus ſulcatum; apex obtuſus eſt; odore & ſapore caret. Rhinoceros

Unicornis L. Africæ & Indiæ Quadrupes. *Indi hoc Cornu Venenis reſiſtere putant.*

RHODIA RADIX. Tuberoſa eſt, craſſa, extus flavicans, intus alba, cicatricibus obſeſſa, recens leviter exſiccata, evidenter Roſas redolet, amara. Rhodiola Roſea L. Habitat in Alpibus Europæ, optime in hortis coli poteſt. Olei Oleo L. Rhodii ſimilis $\frac{1}{128}$ fundere dicitur. *A quibuſdam Adſtringentibus adnumerabatur.*

RHODIUM LIGNUM. Fruſta impari magnitudine, & craſſitie, ramoſa, varie torta, dura, ſub cortice gryſeo, non raro rugoſo, ſubſtantiam lignoſam, albam, rubris flavisque ſtriis notatam includunt; fricata roſeum odorem edunt, ſapor leviſſime amarus eſt. Geniſta Canarienſis L. Inſularum Canarienſium indigena arbor. Quale vulgo in officinis proſtat, minimum Olei odorati largitur. *Lignum ad Suffitus recipitur, Oleum odoramentis adjicitur, vulgo apud Seplaſiarios proſtans multo Oleo unguinoſo adulteratum eſt.*

RIBES NIGRUM, *Groſſularia nigra, Chaſſis, ſchwarze Johannis-trauben* vel *Beeren. Folia* ſubcordata, triloba, ſerrata, odore ad Rutam accedente, ſapore leniter adſtringente. *Baccæ* globoſæ, nigræ, umbilicatæ, ſucco purpureo turgentes, polypyrenæ, Cimices redolentes, ex dulci aciduli ſaporis. Ribes nigrum L. Blackwell Tab. 285. Paſſim per omnem Europam occurrit. *Folia ad Sanguinem Depurandum & Diureſin promovendam, Baccæ contra Renum vitia valere dicuntur.*

RIBES RUBRUM, *Groſſeilles.* Baccæ rotundæ, nitentes, umbilicatæ, partim rubræ, partim albæ, ſapore vinoſo, acido, odore levi imbutæ, polypyrenæ. Ribes rubrum L. Blackwell Tab. 285. Paſſim per Europam obvium. *Refrigerandi gratia adhibentur.*

RORELLA, *Ros Solis, Herbe de la Goutte, Sonnenthau.* Folia exſiccata, parva, rotunda, hirſuta, rubra, margine fimbriato cincta, longioribus petiolis hirſutis innixa, ſapore acri & adſtringente prædita. Droſera Rotundifolia L. Blackwell Tab. 432. Occurrit in omni Europa. A tribu *Paracelſi-*

ſtica magni facta, hodie eviluit. *Recentem Cuti impoſitam Veſicas inducere obſervatum eſt.*

ROSA ALBA. Florum petala majuſcula, obovata, alba, levius odorata, dulciuſcula. Roſa alba L. BLACKWELL Tab. 73. Colitur in hortis; præſtant omnino Spinoſiſſima L. copioſe ſub noſtro cœlo creſcens & Sempervirens L. apud nos contra hyemis injurias defendenda, minoribus petalis, ſed multo fragrantioribus inſtructa. *Extus contra morbos Oculorum adhibentur.*

ROSA PALLIDA, *Roſe de Damas, leibfarbige Roſe.* Petala obovata, majuſcula, dilutius rubra, quem proprie roſeum colorem dicunt, fragrantia, dulciuſcula. Deſumuntur a variis *Roſæ* ſpeciebus, in noſtris hortis cultis; maxime a Centifolia L. Damaſcena BLACKWELL Tab. 82. Sunt qui Roſæ etiam Caninæ L. petala recipiant. Pauxillulum Olei pellucidi, aëre temperato conſiſtentis fundunt. *Ob fragrantiam ſcopo Analeptico inſerviunt; Eccoproticos quoque edunt effectus.*

ROSA RUBRA, *Roſe de Provins, Eſſigroſe.* Petala, antequam ſeſe explicuerint, reſectis unguibus flavicantibus recipiuntur profundius rubra, præcedentibus minus fragrantia, ſapore adſtringente prædita. Roſa Gallica L. patientiſſime noſtras hyemes ferens, cui creberrime, in Germania maxime, Roſam ſativam rubram C. B. minus ſaturati coloris, ſubſtituere ſolent. *Roborandi & Adſtringendi cauſa tam extus quam intus adhibentur.*

ROSMARINUS, *Anthos, Romarin. Folia* linearia, obtuſa, rugoſa, ſupra viridia, ſubtus alba, proprio, fragrante odore, ſapore aromatico perfuſa. *Flores* ringentes, calyce bilabiato ſuſtentati, dilute violacei, ſapore & odore Foliis multo inferiores. Roſmarinus officinalis L. BLACKWELL Tab. 159. Europæ calidæ indigenus frutex, apud nos contra hyemis rigores defendendus. Olei odorati $\frac{1}{200}$ exhibet. *Olim Cephalico ſcopo intus dabatur, hodie Roborandi & Diſcutiendi fine extus applicatur. Oleum deſtillatum, nimii ad internum uſum caloris, modo ad externum adhibetur. Spiritus Vini inde abſtractus, cui* AQUÆ REGINÆ HUNGARIÆ *nomen eſt, itidem extus ad Refocillandum, Roborandum, Diſcutiendum uſurpatur.*

ROSMARINUM SYLVESTRE, *Romarin de Boheme, Poſt- Wanzen-* vel *Mottenkraut.* Folia linearia, obtuſa, ad marginem revoluta, ſupra luteo-viridia, nitidiuſcula, ſubtus tomentoſo-ferruginea, odore graveolentia, aromatica, ſapore amara. Ledum paluſtre L. Europæ Septentrionalis indigenum & officinale. *Laudatur Infuſum ejus aquoſum ad peſſimæ Scabiei ſpecies, nec non Tuſſim ferinam ſanandam.*

RUBIA TINCTORUM, *Garance, Færberrœthe.* Radix fibras calamum circiter craſſas dimittens, geniculata, tota rubra, leviter odorata, amaricans, ſubadſtringens. Rubia Tinctorum L. BLACKWELL Tab. 326. Europæ temperatæ propria, paſſim in agris colitur. Extracti aquoſi acidulo ſapore inſtructi $\frac{2}{3}$, reſinoſi, auſteri $\frac{3}{8}$ circiter largitur. *In quinque Radicum aperientium numero habetur. Rachiticis, Ictericis, Scabioſis commendatur.*

RUBINUS, *Rubis.* Gemma Adamantem pondere ſuperans, duritie ſubſequens, colore rubro fulgens. Alumen Gemma pretioſa Rubinus L. Ex Ava, Pegu & Braſilia advehitur, in Hungaria & Germania quoque offendi dicitur. *Cordiales olim ei, Bezoardicæ &c. affingebantur vires.*

RUBRICA FABRILIS, *Crayon rouge, Rœthel.* Eſt Lapis calcareus, molliuſculus, fiſſilis, digitos tingens, odoris nullius, ſaporis adſtringentis. Talcum rubrum L. Paſſim in Europa reperitur. *Vera minera Ferri, Hæmatitæ viribus pollere videtur.*

RUBIMORA, *Meures de Renard, Brombeeren. Folia* ternata & quinata, ultimo impari, non raro lobato, omnia ovato-lanceolata, ſerrata, ſubtus tomentoſa, ſubadſtringentia; *Baccæ* Moris ſatis ſimiles, colore nigro, ſapore aquoſo, viſcidulo, odore nullo. Rubus fruticoſus L. BLACKWELL Tab. 45. In Europa ubique creſcit. *Sunt, qui Folia ad Gargariſmata adhibeant; Baccæ ob vim Refrigerantem laudantur.*

RUBUS IDÆUS, *Framboiſe, Himbeere.* Baccæ rubræ, ſubinde etiam albæ, rotundæ, villo obſeſſæ, ad baſin concavæ, quarum receptaculo conoideo acini adhærent ſucculenti, monoſpermi, ſtylo ſetaceo coronati, proprium, ſuaviſſimum odorem, ſaporem habent vinoſum, dulcem. Ru-

bus Idæus L. Blackwell Tab. 289. Copioſus ejus per Europam proventus eſt. *Ad Analepticum, nec non Refrigerandi & Putredinem arcendi finem Succus in Syrupum, Rotulas, Gelatum converſus exhibetur.* Aqua inde deſtillata gratum odorem ſpirat.

RUSCUS, *Bruſcus, petit houx, Mausdorn.* Radix fibroſa, cylindracea, calamum craſſa, plurimas fibrillas dimittens, alba, cum leniſſima acrimonia primo guſtu dulcis, dein amara. Ruſcus Aculeatus L. Blackwell Tab. 155. Europæa Meridionalis, noſtræ hyemis apprime patiens. *Vis ejus Reſolvens & Diuretica laudatur; quinque Radicibus Aperientibus majoribus adnumeratur.*

RUTA, *Ruë, Raute. Folia* aliquot pinnulis rotundis, glaucis pinnata, odore proprio, forti & gravi, ſapore acri & amaro, utroque exſiccatione miteſcente. *Semina* exigua ſunt, angularia, nigra, ſapore & odore ad Folia accedunt. Ruta graveolens L. Blackwell Tab. 7. Europæ calidæ propria, noſtras hyemes innocua fert. Olei odorati $\frac{1}{512}$ fundit. *Reſolvens, Venenis reſiſtens, Urinam pellens internum olim remedium habebatur; externus ejus uſus in Ulceribus abſtergendis, Rubefaciendo, Malignitatem Aëris corrigendo verſatur. Oleum deſtillatum Balſamis Cephalicis inmiſcetur.*

RUTA MURARIA, *Adiantum album, Sauvevie, Maurrauten.* Cauliculi teneri, teretes, herbacei, albidi, ſuperne ramoſi, tribus veſtiti foliolis, parvis, cuneiformibus, crenulatis, odoris nullius, ſaporis leviſſime adſtringentis. Aſplenium Ruta Muraria L. Blackwell Tab. 219. Creſcit paſſim per Europam. *Reliquis Adiantis viribus æquiparanda.*

SABADILLI SEMEN, *Mexicaniſcher Laus-Saamen.* Capſulæ ternatæ, oblongæ, æquales, flavicantes, latere interiore dehiſcentes, triloculares, Semina continent oblonga, acuta, nigra, amaro & fervido ſapore linguam ferientia. Veratrum Sabadilla Retz. Mexicana planta. Hoc ſeculo demum in Europa innotuit. *Extus contra Pediculos adhibetur. Contra Affectus Nephriticos & Tæniam ad Drachmam unam uſque pro doſi datum fuiſſe lego.*

SABINA, *Sevenbaum.* Folia longa, ex foliolis linearibus, ace-

roſis, imbricatis efformata, odore gravi, forti, ſapore amaricante & acri. Juniperus Sabina L. Blackwell Tab. 214. Orientis & Europæ calidæ propria arbor, noſtras hyemes citra noxam fert. Olei odorati circiter $\frac{1}{6}$ fundere dicitur. *Validiſſime Sanguinem Uterinum maxime commovet, quapropter nunquam intus danda. Extus Porris Venereis, Oſſibus carioſis, Fungis Duræ matris inſpergitur.*

SACCHARUM, *Sucre, Zucker.* Sal eſſentialis, dulcis, in aqua facillime ſolubilis, ſub varia forma apud nos proſtat; qui pulverem fuſcum, humeſcentem refert, alieno, minus grato ſapore, *Saccharum Thomæum* nuncupatur, *nec niſi ad uſus Eccoproticos adhibetur*; ſiccum & albidius *Caſſonade* dicitur. Iteratis depurationibus in cohærentes panes conoideos ex granis formatos redactum Saccharum pro diverſa ſoliditate, albedine, granorum ſplendore differt. Belgæ ut & Germani in *Miſcellaneum*, cui *Farinoſo* etiam noſtro idiomate, *Lumpenzucker* nomen eſt, *Meliſſæum* ſive *Melis*, *Melis parvum*, *Rafinatum*, *Boyerbrod*, *Canarienſe* denique Saccharum diſtinguunt. Ad ſingulas Sacchari depurationes, *Rafinationes* dicunt, liquor defluit Syrupi conſiſtentiæ, plus minus badius, ſordidus, alienum ſpirans odorem *Saccharum liquidum, Syrupus Saccharinus, Syrop* dictus. Obtinetur Saccharum ex ſucco Sacchari Officinarum L. ſub Tropicis ſponte creſcentis, recentiori ævo in America quoque calidiore, Sicilia, Hiſpania copioſe culti, apud nos in tepidario aſſervandi. *Alimentario, Reſolvente, Demulcente, Antiſeptico, Relaxante ſcopo ſub multiplici forma intus adhibetur; extus ad Abſtergentia & Diſcutientia refertur. Plurimarum Formularum Baſis eſt, Conſtituens & Corrigens.*

SAGAPENUM, *Gomme Seraphique, Serapin Gummi.* Succus concretus in granis minoribus ad nos pervenit, ex rubro-flaveſcentibus, ſemipellucidis, cornu referentibus, odore nauſeoſo, gravi, ſapore faſtidioſo & amaro, cui alliacei quid ſubmiſtum eſt. Maſſæ majores, pannis cæruleis involutæ, profundius fuſcæ, ſordibus inquinatæ *in ſorten* dicuntur. Sagapenum ex Alexandria venire conſtat, cui vero plantæ acceptum illud ſit referendum ignoratur, ad Umbelliferas eam pertinere valde

valde veroſimile eſt. In aqua, maximam partem ſolubilis eſt, Alcohol quoque ejus portionem recipit, igne non liquabilis, accenſum nauſeoſum odorem ſpirans, aliquantum Olei odorati fundere dicitur. *Intus ad Reſolvendum & Viſcera Reſeranda commendatur, extus Reſolvendi ſcopo applicatur.*

SAGO, *Sagu.* Grana, granis Hordei mundati ſimilia, non raro anguloſa, extus ex albo flavicant, medullam albiſſimam includunt, ſapore & odore carent, coctione intumeſcunt, aquam, cum qua coquuntur, viſcidam reddunt, & diutius cocta penitus in aqua diſſolvuntur, eique ſpiſſæ gelatinæ formam induunt. Paratur Sago ex varii generis *Palmis*, quorum nondum ſatis determinatus character eſt; in Inſulis Moluccis & Auſtralibus, nec non a Borneo ad Siam uſque copioſe creſcunt. Ex caudice Palmæ medullam aqua eluunt, in paſtam efformant, inter lapides foraminibus exſculptos in modum panis coquunt, unde ei forma manet, ſub qua ad nos vehitur. Sub initium hujus ſeculi ab Anglis hæc grana ab octo retro luſtris a Gallis & Germanis in uſum cibarium & medicamentoſum recipi cœperunt. *Phthiſicis præcipue laudantur.*

SAL COMMUNE, *Sal Panis, Küchenſalz.* Sal medius in cryſtallos cubicas concreſcens, proprii ſaporis, prunis ſuperſperſus decrepitans, ex proprio Acido & Alcali foſſili conſtans. Muria L. Pro tripartito, quod ipſa Natura largitur, genere, ſolet diſtingui. SAL FOSSILE, eo quod utplurimum pellucens obtinetur, *Sal Gemmæ* dicitur. Muria montana L. *Sel Gemme, Stein- vel Bergſalz* in fruſtis variæ magnitudinis, interdum permagnis per univerſum orbem ex montium viſceribus effoditur; a ſordibus, ſi quas habet, aut qualicunque colore prius depurandum eſt, quam in uſum trahatur. SAL FONTANUM, Muria fontana L. quod proprie *Commune* appellant, ex peculiaribus fontibus, quos Salinas dicunt, ſolerti evaporatione obtinetur, & ab heterogeneis, quibus mixtum eſſe ſolet, ſalibus purgatur. SAL MARINUS, Muria marina L. ex omni, quod Globum noſtrum ambit, Mari, & quidem in regionibus calidioribus naturali, quæ per Aërem & Solem fit, evaporatione, in frigidioribus vero eodem modo, quo Sal

fontanus ex Salinis, obtinetur. Cum diverſa ſit ratio, qua Sal communis acidum vehere videtur, diverſam quoque acrimoniæ rationem eſſe oportet. Sal marinus omnes reliquos acrimonia ſuperat, quanquam hic ipſe pro vario Mari, unde gignitur, differt. Salis communis probitas ex albedine, omnis peregrini ſaporis privatione & quod in aëre non humeſcat, dignoſcitur. *Humores incidit, Fibras ſtimulat, Putredini, ſufficiente quantitate receptus, reſiſtit tam extus, quam intus.*

SALEP RADICES. Ovatæ ſunt, undique læves, ventricoſæ, cornu inſtar ſubdiaphanæ & tenaces, inſipidæ, inodoræ. Ex Turcia afferuntur; in noſtris quoque regionibus optime parantur, ſiquidem de *Orchide* aut *Satyrio* bulbis indiviſis conſtante, ademta exteriore cuticula, ſumuntur bulbi, frigida infunduntur, ex filis deinde ſuſpenduntur & exſiccantur. *Phthiſicis & Dyſentericis hæc radix, ſive ſub forma Pulveris, ſive eodem pulvere cum menſtruo aquoſo, ſub ſtrenua, ope virgulæ, agitatione in gelatinam cocto, Jure aut Lacte diluendam commendatur.*

SALICARIA, *Salicaire, Weiderich.* Folia lanceolata, acuta, ſupra glabra, infra leviſſime tomentoſa, inodora, inſipida. Lythrum Salicaria L. Paſſim per Europam obvium. *Ad Alvi fluxus chronicos moderandos laudatur.*

SALIX, *Saule, Weiden.* Cortex ramorum juniorum, colore viridis & ſplendens, odore gratus, ſapore balſamicus, amaricans. Salix pentandra L. Vulgaris per Europam arbor. *Corticem Salicis quidam Cortici Peruviano ad curandas Febres intermittentes ſubſtituere conati ſunt.*

SALVIA, *Sauge, Salbey. Folia* ovato-oblonga, obtuſa, rugoſa, utrinque tomentoſa, crenata, proprio aromatico odore, ſapore linguam pungente, amaricante; *Flores* majores, labiati, labio ſuperiore fornicato, cærulei, ſapore & odore multo foliis inferiores ſunt. Salvia officinalis L. Blackwell Tab. 71. Europæ calidæ indigena, noſtras hyemes impunis fert. Pauxillulum Olei odorati fundit. Condimenti loco non raro recipitur; *viribus cum reliquis Vegetabilibus aromaticis æquipollet, in morbis Pectoris maxime uſurpatur.*

SAMBUCUS, *Sureau, Holder. Cortex* intermedius, ſive

Liber extus viridis, intus albus, adſtringens & auſteriuſculus; *Folia* pinnata ſunt cum impari, pinnæ acutæ, glaucæ, ſerratæ, ſaporis herbacei; *Flores* cymoſi, parvo calyce ſuſtentati, quinquefidi, albi, ſuavi odore & levi ſapore perfuſi; *Baccæ* in officinis *Grana Actes* nuncupatæ, rotundæ ſunt, umbilicatæ, nigræ, pulpam condunt purpuream, ſaporis dulciuſculi. Sambucus nigra L. Blackwell Tab. 151. Creſcit in omni Europa. Flores abſtrahendam a ſe Aquam & Spiritum Vini fragrante odore imbuunt, pauxillum etiam Olei odorati butyracei fundere dicuntur. *Cortex ſubinde Cathartico ſcopo ad Unciam unam uſurpatur. Foliorum extus contra Hæmorrhoides & Eryſipelas efficacia laudatur. Flores ſub forma Infuſi ad pellendum Sudorem, tanquam Epithema Diſcutiendi ſcopo adhibentur; Baccas nullo earum merito, ſunt, qui contra Dyſenteriam commendent.*

SANDARACA GUMMI, videatur JUNIPERUS.

SANICULA. *Radix* tenuis, fibroſa, gryſea, amaricans. *Folia* reniformia, duriuſcula, irregulariter lobata, lobis ſubrotundis ſerrata, inferne pallida, ſaporis leviter adſtringentis, nonnihil etiam ſalſi. Sanicula Europæa L. Blackwell Tab. 63. Admodum frequens Europæ planta. *Intus æque ac extus adhibita contra Hæmorrhagias magnopere commendabatur.*

SANLAY a Seba dicta. Eſt Radix Calami *Acori veri* ſub CALAMO AROMATICO recenſita, ex China in taleolas tenues ſecta & ad nos miſſa.

SANTALUM ALBUM. Magna & craſſa fruſta alba, pallida, ponderoſa, ſaporis & odoris expertia; Alburnum Santali albi L. Arboris in India creſcentis, eſſe dicitur. *Plane iners.*

SANTALUM CITRINUM. Fruſta magna & craſſa, coloris pallide flavicantis, fricata fragrantem ſpirant odorem, ſaporem lingua vix percipit, Arboris præcedentis Medullam eſſe afferunt. Oleum deſtillatum egregie fragrans fundere dicitur. *Ob Analepticas virtutes olim laudabatur, quæ vero, prout in noſtris certe tabernis illud proſtat, valde exiguæ deprehenduntur.*

SANTALUM RUBRUM. In fruſtis nobis mittitur multo, quam præcedentia, majoribus & craſſioribus, extus obſcu-

riore, intus ſanguineo rubore tinctum; cortice caret, fibræ ejus evidenter criſpæ ſunt. Arboris cujuſdam, ignoti adhuc characteris, ex Coromandel & Africæ regionibus Orientalibus venientis medulla eſſe fertur. *Eviluerunt ejus Hepaticæ & Refrigerantes vires, quin & ad coloranda medicamenta rarius hodie adhibetur.*

SAPONARIA, *Seifenkraut.* *Radix* fibroſa, calamo anſerino craſſior, ſub cuticula flaveſcente medullam albam & dulcem condit. *Folia* ovato-lanceolata, glabra, neque odorata, neque ſapida ſunt. Saponaria officinalis L. Blackwell Tab. 113. In omni Europa invenitur. Lintea Saponis vice hac planta abſtergi jam diu obſervatum eſt, qua quidem virtute Foliis Radices præſtare, recentiora experimenta docuerunt. *Ob vires Reſolventes a Recentioribus multum laudatur ſub forma ſive Infuſi, ſive Extracti data.*

SAPPHIRUS. Gemma duritie Rubinum ſubſequens, coloris cærulei. Alumen gemma pretioſa cæruleum L. In iiſdem ac Rubinus locis occurrit; Muria Chryſolampis L. cærulea, paſſim in fodinis Europæ obvia, non raro ei ſubſtituitur. *Vanum eſt quicquid de viribus ejus Medicatis jactatur.*

SARCOCOLLA. Grana variæ magnitudinis, maximæ Nucem Juglandem æquant, rugoſa, flavicantia, cum rubedinis veſtigio, odorem nullum, ſaporem ex dulci nauſeoſe amaricantem, acriuſculum habent. Obtineri ea ex Penæa Sarcocolla L. Æthiopiæ frutice ferunt. Accenſa gratum odorem ſpirant, in Aqua penitus, in Alcohole aliquatenus diſſolubilia ſunt. *Reſolvendi & Abſtergendi ſcopo olim uſurpabatur.*

SARSAPARILLA. *Radices* interdum bipedales, flexiles, quapropter in gyrum crebro flexæ deprehenduntur, impariter interdum ad calamum uſque anſerinum craſſæ, multas fibrillas teneras emittunt, quas autem inde recidi oportet, ſub cortice ex rubicundo cineraſcente, medullam continent farinaceam, albiſſimam, fiſſilem, odore & ſapore carent. Advehuntur corbibus compactæ, ex radicum ſerpentium genere quodam, ipſis parum diſſimili, confectis. Radices graciles, extus nigræ, quæque facillime findi recuſant, rejiciendæ. Smilax

Sarſaparilla L. Blackwell Tab. 339. Americæ calidioris, nobis in frigidario per hyemem ſervanda. Aqua cum Sarſaparilla cocta rubra & ſapida evadit. *Ab omni tempore & vel per recentiſſima experimenta multum contra morbos Venereos laudatur.*

SASSAFRAS LIGNUM. *Fruſta* magna & ramoſa, levia, ſub *Cortice* ferrugineo, ſpongioſo, rugoſo *Lignum* continent pallidius, minus durum, cujus transverſim ſecati fibræ facillime a ſemet ipſæ diſcedunt; odor fortis, non ingratus ad Fœniculum accedit, ſapor aromaticus eſt. Cortex ſapore æque ac odore Ligno præſtat. Laurus Saſſafras L. Americæ Septentrionalis propria; arbores juniores in noſtra plaga contra hyemis injurias defendendæ ſunt. Olei odorati $\frac{1}{200}$ fundit. *Contra morbos Catarrhales, Rheumaticos, Cutaneos & Venereos Cortex ad Scrupulos duos, Lignum ad Seſquidrachmam datur in Infuſo.*

SATUREJA, *Sariette, Bohnenkraut. Caules* multum ramoſi, diffuſi, albidi, *Foliis* veſtiti parvis, lanceolatis & *Florum* ringentium verticillis, odorem habent gratum, aromaticum, ſaporem linguam pungentem. Satureja hortenſis L. Blackwell Tab. 419. Europæ calidæ propria planta, apud nos copioſe in hortis colitur. Olei odorati pauxillum fundit. *Vires plantarum aromaticarum exſerit, rarius ad uſus medicatos, crebrius ad culinarios adhibetur.*

SATYRIUM, *Stendelwurz.* Radices ſphæroideæ ſunt, cineraſcentes, rugoſæ, inſipidæ & inodoræ. Deſumuntur ab omnibus Orchidis & Satyrii ſpeciebus, quarum bulbi indiviſi ſunt. Ex quo *adſcriptas ipſis vires Aphrodiſiacas experientia non confirmavit, eviluerunt eo etiam magis, quod Radices Salep ipſis omnino præſtant.*

SAXIFRAGA ALBA, Bulbilli exigui, rotundi, involucro rufo, piloſo tecti, aliquantulum carnis albæ, primum inſipidæ, dein amaricantis exhibentes. Saxifraga granulata L. Blackwell Tab. 56. Creſcit per omnem Europam. *Vires Lithontripticas his Radicibus adſcriptas experientia non confirmavit.*

SCABIOSA. *Folia* ex ovatis-oblonga, hirſuta, inodora, leviſſime amaricantia. *Flores* aſſervantur ex calyce evulſi tuboloſi, cæruleſcentes, inſipidi, inodori. Scabioſa arven-

ſis L. Blackwell Tab. 185. Vulgaris per Europam. *A virtute Becchica & Vulneraria laudatur.*

SCAMMONEUM. *Succus concretus* in majoribus fruſtis ad nos vectus, ex gryſeo-nigricans eſt, in pulverem gryſeum, cui *Diagrydii* nomen, redigi patiens, odoris proprii, nauſeoſi, ſaporis evidenter acris. *Aleppenſe* ad Maraſch, quatuor dierum itinere ab Aleppo diſtans, collectum levius, magis gryſeum, ex Convolvuli Scammoneæ L. Aſiæ Occidentalis, apud nos per hyemem in tepidario aſſervandi radicibus ſauciatis obtinetur; *Smyrnæum* ex Galatia & Cappadocia Smyrnam translatum, vilius eſt; viliſſimnm *Antiochenum* nigerrimum, multis foraminibus exeſum, empyreuma redolens; duo poſteriora ex variis Convolvuli ſpeciebus parari dicuntur. Tam Aqua, quam Spiritus Vini ejus aliquantulam partem diſſolvunt. *Validioribus Catharticis adnumerandum ad Grana decem vel quindecim exhibetur.*

SCARABÆUS MAJALIS, *Hanneton, Maikæfer.* Inſectum pedibus inſtructum, alas tegmine duriuſculo tectas, ſcutatas habet, thorace villoſo inſtructum. Scarabæus Melolontha L. vel nimis frequenter occurrit. *A quibuſdam contra Hydrophobiam commendatur.*

SCHOENANTHUM, *Kameelheu.* Culmi teretes, ſpithamæi, flavi, ſuperne anguſtati & in ramos parallelos capillares diffuſi, includentes ſubſtantiam fungoſam, obvoluti aliquot foliis vaginantibus, glabris, margine ſcabriuſculis, odoris proprii, aromatici, ſaporis amaricantis, linguam ferientis. Andropogon Schœnanthum L. Indiæ Orientalis & Arabiæ indigenum. Aliquantillum Olei odorati fundere dicitur. *Ob vires Aromaticas olim in uſum trahebatur.*

SCILLA, *Squilla, Meerzwiebel.* Radix bulboſa, amplitudine non raro aliquot pugnos æquans, ex baſi anguſtiore, rotunda, fibrillas dimittente, protinus in corpus amplum & ventricoſum diſtenditur, quod ſuperne in formam conoideam contractum, extus tunicis veſtitur membranaceis, ſiccis, aridis rufis; bulbi caro conſtat ſquamis albidis, levi rubedine ſuffuſis, apprime amaris, non admodum acribus, in meditullio minus amaris. Scilla maritima L. Europæ calidæ &

Orientis propria, in noſtris hortis ſi colitur, contra hyemis rigorem eſt defendenda. *Ob vim Reſolventem & Diureticam ab omni ætate fuit laudata; recens pulveriſata illi, quæ ſub nomine præparatæ aſſervatur, præferenda videtur. Datur ad Scrupulum ſemis pro doſi.*

SCINCUS, *Stincus.* Animal quatuor pedibus tetradactylis inſtructum, ſex pollices circiter longum, linea longitudinali abdomen, viſceribus exemtis, apertum oſtendit; cutis ſquamoſa eſt, argentea, cum veſtigio flavedinis, dorſum, faſciis cæruleis transverſis notatum, ſpina eminens diſtinguit, cauda ad latera contracta brevis, caput trunco continuatum eſt; odore caret, ſaporem ſalſum habet. Lacerta Scincus L. In Ægypto & Arabia petræa occurrit. *A vi Aphrodiſiaca commendabatur.*

SCLAREA, videatur HORMINUM.

SCOLOPENDRIUM, *Lingua Cervina.* Folia oblonga, ad finem paulatim magis dilatata, integerrima, firma, inodora, linguam leviter adſtringentia. Aſplenium Scolopendrium L. BLACKWELL Tab. 138. Europæ temperatæ. *Scopo Adſtringendi & Roborandi uſurpabatur.*

SCORDIUM, *Chamaras, Lachen-Knoblauch.* Folia ovato-oblonga, crenata, hirſuta, odoris proprii, Allio vicini, ſaporis amari, acriuſculi. Teucrium Scordium L. Paſſim per Europam obvium. *Ob virtutem potiſſimum Antiſepticam laudatur, quo quidem ſcopo tam extus, quam intus adhibetur; datur inſuper interne ad reſeranda Viſcera, promovendasque Excretiones aquoſas.*

SCORPIUS. Hoc nomine quæ nobis veniunt animalcula juniora Oleo condita, vix aliquot lineas æquantia, colore bruno, antennis in chelas terminatis & cauda inſtructa ſunt, cujus ultimus articulus in aculeum arcuatum abit. Scorpius Europæus L. *Oleum, in quo Scorpiones infuſi erant, propria vi contra Ictum animalium venenatorum pollere creditur.*

SCORZONERA. Radices longæ, fibroſæ, pollicaris circiter craſſitiei, ſub cuticula nigra carnem albam, dulcem, lacte madentem includunt. Demta cuticula in officinis aſſervantur extus rubræ, intus albæ, dulces. Scorzonera Hiſpanica L. BLACKWELL Tab. 406. Europæ calidæ civis, noſtra-

tis hyemis patientiſſima. *Primo aut ſecundo a ſatione anno Radices in uſum cibarium, trimæ vel quadrimæ propter indolem ſuam ſaponaceam in officinas recipiuntur.*

SCROPHULARIA, *Braunwurz.* *Radices* ex tuberculis ovatis, nodulis obſeſſis, fibrillas albidas emittentibus conſtant, extus gryſeæ, intus albidæ ſunt, odorem ſpargunt leviſſimum, nauſeoſum, ſaporem edunt acriuſculum, leviter amarum. *Foliorum* petiolatorum, ovatorum, ſerratorum, gravis odor, ſapor amariuſculus eſt. Scrophularia nodoſa L. Blackwell Tab. 87. Creſcit per omnem Europam. *Radices æque ac Folia contra Scrophulas & Hæmorrhoides cæcas commendabantur.*

SEBESTEN, *ſchwarze Bruſtbeeren.* Fructus parvis Prunis ſimiles, ovati, utrinque acuti, nigricantes, rugoſi, calyce ſuſtentati ſicco, flavicante, repando, pulpa fuſca & dulci oſſiculum recondunt ovatum, prædurum, nucleo dulci fœtum. Macri, calyce orbati, alieno ſapore contaminati, rejiciendi ſunt. Cordia Myxa L. Ægypti & Indiæ arbor, apud nos in caldario ſervanda. *Ob vires Demulcentes olim ad Decocta Pectoralia recipiebantur.*

SECALE, *Seigle, Roggen.* Grana ſtrigoſa, inferne acuta, ſuperne aliquantum obtuſa, ſulco longitudinali notata, ſub cuticula flavicante, ad nigrum vergente farinam albiſſimam includunt. Secale Cereale L. Blackwell Tab. 424. Mucilaginis viſcidæ ponderis ſui dimidium vehit. *Farina Secalis cum Cereviſiæ fæce in paſtam redacta & Collo impoſita Aſperitati Faucium & Anginæ mederi fertur.*

SEDLICENSIS SAL. Cryſtalli exiguæ, cuſpides referentes, facillime in aqua diſſolubiles, nullam ab aëre mutationem patientes, evidenter amaræ, ex Acido Vitriolico Magneſia ſaturato, natæ. Obtinetur evaporationis ope ex variis, in quodam Bohemiæ vico ſcaturientibus fontibus. *Frequentiſſimus ejus in ducenda Alvo uſus eſt, quo ſcopo ejus Uncia aut Seſquiuncia in duodecim Aquæ Unciis diſſolvitur.*

SEDUM MINUS, *Tripe Madame, Katzentrauben.* *Cauliculi* teretes, undique verſum imbricati, *Foliolis* teretibus, ovatis, obtuſis, convexo-gibbis, acris ſaporis, odoris exper-

tes,

tes. Sedum acre L. Blackwell Tab. 232. Vulgare per omnem Europam. *Intus ad unum aut alterum cochlear ſumtum Vomitus & ſeceſſus Alvinos excitat. Extus Clavos pedum conſumit, Cancro & Ulceribus fungoſis medelam attuliſſe relatum legitur.*

SEIDSCHUZENSIS SAL. Sedlizenſi adeo ſimilis, ut unus ab altero diſtingui vix poſſit. Obtinetur evaporationis ope ex fontibus cognominibus, non longe a Sedlizio diſtantibus; Magneſiæ $\frac{1}{24}$ plus quam Sedlizenſis vehit; *ceterum eadem utriuſque tam virium, quam doſis ratio eſt.*

SELENITES, videatur GLACIES MARIÆ.

SEMPERVIVUM, *Joubarbe, Hauswurzel.* Folia ex ovato oblonga, craſſa, ciliata, convexo-concava, ſaporis ſubacerbi. Sempervivum tectorum L. Blackwell Tab. 366. Totius Europæ domeſticum. *Intus Reſolventibus & Detergentibus viribus pollet. Extus earundem laudem habet, Clavis pedum etiam ſalubriter imponitur.*

SENECIO, *Seneçon, Kreutzelkraut.* Folia oblonga, ſemipinnata, pinnis ſerratis & latis, inſipida. Senecio Vulgaris L. Blackwell Tab. 132. Copioſiſſime per Europam creſcit. *Reſolvendis Tumoribus imponitur.*

SENECKA. Radix fibroſa, calamum anſerinum circiter craſſa, ex capite craſſiore fibras dimittit, aliquot nodis diſtinctas, medullam continet, ſub cortice ex cinereo flavo, albam, ſaporem habet Pimpinellæ albæ vicinum, ſed acriorem. Polygala Senega L. Americæ Septentrionalis. *Sanguinem Pleuriticum, nec non ſpiſſitudinem Arthriticam reſolvit. Uncia ejus una cum Aquæ viginti quatuor Unciis ad duodecim reſiduas coquitur, cochleatim exhibetur.*

SENNA. *Foliola* ovato-lanceolata, medio nervo percurſa, acuta, viridia cum ſuffuſo flavo, proprii odoris, nauſeoſi, ſaporis amari, quadantenus acris. *Folliculi* Legumina ovata, utrinque compreſſa, viridia, ſeminibus oblongis fœta, odoris vacua, ſapore ſalſo Foliis quodammodo comparando. Caſſia Senna L. Ægypti indigena. Nonniſi *Alexandrina* folia & Legumina, in commercio *de la Palte* dicta, recipienda ſunt. Folia *Tripolitana* majora & obtuſa, *Italica* obtuſa & magnis venis perfuſa, *Mochana* anguſtiora, longiora, acutiora, ſuo

quæque odore Alexandrinis cedunt. Folliculi *Tripolitani* minores ſunt, minus virides, nigro & rufo maculati. Folia Oleum odoratum fundere dicuntur. *Tam Folia, quam Folliculi ad Unciam ſemis Alvum quidem ducunt, irritant tamen; coqui recuſant; nec Infuſum eorum valde exprimendum eſt.*

SEPIÆ OS, *Os de Sêche, weis Fiſchbein.* Teſta a ſquamis coalitis orta, oblonga, utrinque anguſtata, albiſſima, dura, linguam ſalis ſenſu afficiens, cujus faciei concavæ ſubſtantia alba inhæret pulverulenta, laxa, inſipida. Sepia officinalis L. In Oceano & Mari Mediterraneo occurrit. *Adſtringentes ipſi tribuuntur vires, ſubſtantia laxa ad Dentiſricia recipitur.*

SERICUM, *Soie, Seide.* Fila firma, tenacia, alba vel flava, flexibilia, inodora & inſipida, folliculum tegentia ovatum, in cujus cavitate Nympha deliteſcit Phalenæ Bombycis Mori L. Perſiæ indigenæ, & hodie paſſim in Europa cultæ. Multum Salis volatilis largitur. *Scopo Cephalico & Cordiali olim laudabatur.*

SERPENS, *Serpent, Schlange. Exuvium* Serpentis, tenax, inodorum, inſipidum, pro vario unde deſumitur genere varie coloratum, & maculatum, apud nos a Colubro Natrice L. vulgo deſumitur. *Axungia* Piſcium axungiæ ſimillima. *Lapidis* nomine hodie venit ſubſtantia nigra, in medio macula alba notata, ad margines attenuata, bibula, linguæ adhærens, inſipida, ex Cornu Cervino uſto parata. *Exuviæ ad opitulandum Partum Ventri & Lumbis alligabantur; ad incrementum Pilorum accelerandum adhibebantur; intus ſcopo Diuretico inſerviebant; viribus quoque Axungia cum Adipe Piſcium æquipollet; Lapis Vulneribus venenatis imponi ſolebat.*

SERPENTARIA VIRGINIANA. Radix ex tenui capite plures fibrillas, aliquot pollices longas, emittit, ferruginea, intus albida, Camphoram evidenter olens, ſapore acriuſcula & amaricans. Ariſtolochia Serpentaria L. Creſcit in Virginia & Carolina. Aliquantum Olei odorati fundere dicitur. In penum medicamentariam Europæorum exeunte demum ſuperiore ſeculo admiſſa eſt. *Virium Alexipharmicarum, Anodynarum, Antiſepticarum laudem habet. Datur in Pulvere ad Scrupulum unum, in Infuſo ad Drachmam unam.*

SERPYLLUM, *Serpolet, Quendel. Cauliculi* teneri, teretes, albidi, *Foliis* veſtiti parvis, ovatis, obtuſis, odore perfuſi aromatico, proprio ſapore qui linguam pungit. Thymus Serpillum L. BLACKWELL Tab. 418. Creſcit per omnem Europam. Perpaulum Olei odorati fundere dicitur. *Menſes & Urinam promovere, Cephalalgiam ex crapula ortam pellere dicitur; extus ad Diſcutiendum & Roborandum adhibetur.*

SESAMUM. Semina exigua, ovata, albida, dulcia, Oleo turgida. Seſamum Orientale L. In Oriente & Corſica creſcit. Annua planta noſtræ plagæ culturam patitur. *Vim Relaxantem ei nonnulli tribuunt.*

SESELI CRETICUM ſeu *Montanum, Bergkümmel.* Semina parva, utrinque obtuſa, convexo-concava, tribus lineis eminentibus notata, ruſa, vix odora, ſaporis leviter aromatici. Tordylium Officinale L. Europæ calidæ planta annua, in noſtris hortis coli patiens.

SESELI MASSILIENSE. Priori ſimile, magis gryſeum & odoratum. Laſerpitium Siler L. BLACKWELL Tab. 426. Orientis & Europæ calidæ. *Utrumque Seſeli Reſolvendi & Urinam Ducendi ſcopo adhibebatur.* Varia Semina aromatica plantarum umbelliferarum hoc nomine paſſim in officinis occurrunt.

SIDERITIS, *Crapaudine, Glied-* vel *Beruf-* vel *Beſchrey-Kraut.* Folia oblonga, obtuſa, ſerrata, ſcabra, hirſuta, odore tenui, ſapore adſtringente prædita. Stachys recta L. Paſſim in Europa obvia. *Vis ei Vulneraria tribuitur, ad Balnea contra Rhachitidem recipitur.*

SIGILLUM SALOMONIS, *Weiswurzel.* Radix cylindrica, craſſitie calami anſerini, ſtriis eminentibus rugoſa, extus flavicans, intus alba, levem ſpirat odorem, ſaporem prodit dulcem. Convallaria Polygonatum L. BLACKWELL Tab. 251. Vulgaris per Europam. Mucilaginis ultra dimidium ſui ponderis largitur. *Contra Hæmorrhagias & Hæmorrhoides efficax prædicatur.*

SILER MONTANUM. Semen, quod ſub SESELI MASSILIENSIS titulo deſcripſi, hoc nomine ſubinde proſtat.

SILEX, *Caillou, Kieſelſtein.* Lapis rotundus, durus,

ad Chalybis ictum ſcintillas evomens, fractura in fruſtula lævia, quaſi vitrea, convexo-concava dilabens, varie coloratus, citra fuſionem nullo menſtruo ſolubilis, inſipidus, inodorus. Silex Pyromachus L. In fluviorum alveis & ad ripas offenditur. *Iners omnino Lapis olim Lithontripticis adſcribebatur.*

SILIQUA DULCIS, *Carobe, Carouge, Johannesbrod.* Fructus oblongus, utrinque compreſſus, plus minus incurvus, fuſco-bruneus, nitidus, rugoſus, intus multis ſeptis diſtinctus, pulpam continentibus, ſiccam, rufam, dulcem, ſemina foventem ſubrotunda, ſplendentia, fuſca, nucleum album includentia. Macræ, quæque concuſſæ crepitant, rejiciendæ ſunt. Ceratonia Siliqua L. Blackwell Tab. 209. Vulgatiſſima Europæ calidæ & Orientis arbor, apud nos contra hyemis rigorem eſt defendenda. *Decoctis Pectoralibus adjicitur.*

SIMAROUBA. Cortex non craſſus, cujus fruſta pede longiora, aliquot pollices lata, laciniata ad nos adferuntur, fractu pertinax, extus leviſſime rugoſus, cinereus, intus pallidior, per ſe in pulverem redigi impatiens, inodorus, amariſſimus. Pro *Quaſſia dioica* hanc arborem habet *Pharmacop. Suec.* Clar. Aublet contra monœciam eſſe obſervavit; in Inſulis Americæ calidæ creſcit. *Prioribus hujus Seculi annis primum a Gallis contra Dyſenteriam uſurpatus eſt hic Cortex. Datur ad Scrupulos duos pro doſi ex Aqua decoctus.*

SINAPI, *Moutarde, Senf.* Semina parva, rotunda, rubicundo-brunea, ſapore admodum acri ſtatim linguam & in pulverem redacta trans palatum nares quoque irritantia. Sinapis nigra L. Paſſim in Europa obvia, apud nos copioſe in agris colitur. Oleum unguinoſum mite, odoratum acerrimum fundere dicuntur. *Ad condimenta hæc Semina recipiuntur, Medicis Reſolventium, Diureticorum, Antiſcorbuticorum nomine commendantur. In Cataplaſma redacta extus ad Rubefaciendum adhibentur.*

SMARAGDUS, *Emeraude.* Gemma reliquis mollior, viridis, igne colorem non mutans, variæ, angularis figuræ. Borax Gemma nobilis viridis L. Ex India potiſſimum & quidem pretioſior nobis venit, in Bohemia & Gallia quoque obti-

netur. Fluorem ei viridem ſive Muriam lucidam L. paſſim ex Europæ fodinis effoſſam plerumque ſubſtituere ſolent. *Gemmis affictæ olim vires medicæ Smaragdo etiam affingebantur.*

SMIRIS, *Emery, Schmirgel.* Minera Ferri ponderoſa, lapidem duriſſimum, nigro-gryſeum referens, in pulverem trita ad rufum vergens. Ferrum Smiris L. Hinc inde in metalli fodinis reperitur. *Multifarius ejus in variis artibus uſus eſt. Olim ad Dentifricia recipiebatur.*

SODA, *Alumen Catinum, Soude.* Maſſa terreo-ſalina, in prægrandes glebas efformata, perdura, gryſeo-nigricans, cærulеſcens, plurimis foraminibus pertuſa, odoris non ingrati, ſaporis ſalſi, lixivioſi. Orientalis, multum laudata, *Rochetta Alexandrina* dicitur, ex Occidentalibus *Alonenſis* præcipue commendatur. Paratur ex variis Salſolæ L. Salicorniæ L. & Meſembryanthemi L. ad Mare creſcentibus ſpeciebus. In Aëre humeſcens, ſoluta fœtens, cruſta viridi obducta, minoribus foraminibus pertuſa, rejicienda eſt. *Sal inde paratus vires Alcalium æquat.*

SOLANUM, *Morelle, Nachtſchatten.* Folia rhomboidea, dentato-angulata, odoris & ſaporis expertia. Solanum nigrum L. Blackwell Tab. 107. Paſſim per Europam obvium. *Inconſulto venenis narcoticis adſcripta; extus Diſcutiendi ſcopo in uſum trahuntur.*

SOLDANELLA, *Chou marin, Meerkohl.* Folia longius petiolata, reniformi-cordata, obtuſa cum parvo mucrone, craſſiuſcula, inodora, amaricantia, acria. Convolvulus Soldanella L. Ad Oceani Europæi littora minus frigida creſcit. *Valide & cum irritatione purgat. Datur in ſubſtantia ad Drachmam dimidiam, in Infuſo ad Drachmas duas.*

SONCHUS, *Laitron, Sau- vel Gænsdiſtel.* Folia longa, glauca, ſemipinnata, pinnis ſerratis, odora, Papaveri propinqua, ſapore amara. Sonchus Oleraceus L. Blackwell Tab. 130. Creſcit ubique. *A quibuſdam Cichorio ſubſtituitur.*

SOPHIA CHIRURGORUM, *Beſenkraut. Folia* magna, circumſcriptione triangulari, aliquoties pinnata, pinnis ordinatim decreſcentibus, ultimis pinnulis linearibus, anguſtiſſimis,

mollia, leviſſimi odoris, ſaporis acriuſculi. *Semina* minima, ovata, rufa, acria. Siſimbrium Sophia L. Blackwell Tab. 440. Paſſim per Europam occurrit. *Vires Incidentes ei tribuuntur. Semina olim Adſtringendi, Urinam ducendi, Vermibus medendi ſcopo laudabantur.*

SORBUS AUCUPARIA, *Sorbier, Vogelbeerenbaum.* Baccæ rotundæ, umbilicatæ, rubræ, inodoræ, acido-acerbæ. Sorbus Aucuparia L. Frequens per Europam arbor. *Dicuntur Stranguriæ mederi, Calculo Renali obſiſtere.*

SPECULARIS LAPIS, videatur GLACIES MARIÆ.

SPICA CELTICA. Radix parva, foliis exiguis ſquamarum inſtar veſtita, nervos quoque foliorum marcidorum emittens, odore aromatico proprio, ſapore amaro, ſalſo, aromatico perfuſa. Valeriana Celtica L. Alpibus Europæ calidæ propria planta. *Olim ſcopo Diuretico laudabatur; hodie in Orientem mittitur, ad uſus Coſmeticos adhibenda.*

SPICA INDICA, *Marien-Magdalenen-Blume.* Radicis exiguum capitulum ferrugineum, pluribus foliorum marcidorum nervis ſibi invicem incumbentibus & convolutis inſtructum, odore proprio forti, cui nonnihil mucidi ineſſe videtur, ſapore leviter amaro perfuſum. Andropogon Nardus L. Indiæ & Syriæ Gramen. A quibuſdam *Spica Nardi* dicitur, qua voce alii utramque *Spicam*, alii *Lavendulam* ſupra memoratam indicant. *Præter odorem rariſſimus ejus uſus eſt.*

SPIGELIA. Folia dicuntur ovato-oblonga eſſe, acuta, ſupra viridia, infra glauca, odore & ſapore putridum referentia. Spigelia Marilandica L. Americæ Septentrionalis propria planta. Haud ita pridem in Europam allata, *contra Vermes, præcipue ab Anglis, maximopere commendatur. Adultis duæ pro doſi Drachmæ bis de die dantur; juſto majore quantitate data Soporoſos edidiſſe effectus compertum eſt.* Ipſi debiliorem eſſe Spigeliam Anthelmiam L. Americæ calidæ, annuam plantam, apud nos Semina maturantem aſſerunt, cujus Folia ovato-acuta, hirſuta, fatui ſaporis ſunt.

SPINA CERVINA, *Nerprun, Kreutzbeerlein.* Baccæ rotundæ, Piſa majora magnitudine æquantes, puncto eminen-

te umbilicatæ, nitidæ, ſucco lurido turgidæ, ad nigredinem cum veſtigio viroris vergente, acriuſculæ, cum quadam adſtrictione nauſeoſæ. Rhamnus Catharticus L. Blackwell Tab. 135. Vulgaris per Europam arbor. Ex Succo Alumine mixto oritur pigmentum, *Verd de Veſſie*, *Saftgrün* appellatum. *Baccas ad Drachmas duas datas, Alvum ducere ferunt, frequentiſſime parando Syrupo Domeſtico inſerviunt.*

SPONGIA, *Eponge*, *Schwamm*. Subſtantia fibroſa, ſubgloboſa, lobata, fuſci plus minus diluti coloris, odoris proprii minus grati, nullius ſaporis, multis foraminibus variæ magnitudinis hiulca, quibus liquorem ſorbens turget. Spongia officinalis L. Copioſe in Mari Mediterraneo & Rubro invenitur. Spongiæ quo molliores ſunt, quo minoribus poris quoque dilutiore colore præditæ, eo meliores ſunt & *Eponges fines*, *Badſchwamm* appellantur; majoribus contra foraminibus pertuſæ, minus ſequaces *Roſsſchwamm* earumque fruſta minora *Fragmenta Spongiarum* dicuntur. *Combuſtæ intus contra Strumas exhibentur; integræ extus ad Hæmorrhagias ſiſtendas uſurpantur.*

SPONGIARUM LAPIDES. Lithophyta membranas lapideas, fragiles, diverſiſſime figuratas, cellulares referunt, manifeſta, quod aliis ſubſtantiis adhæſerint, ſigna præ ſe ferunt, odorem Maris ſpirant. Cellepora Spongites L. Teſtis & rupibus adcreta in Mari Mediterraneo reperitur. *Uſti medicamentis contra Strumas admiſcentur.*

STANNUM, *Etain*, *Zinn*. Metallum omnium leviſſimum & minore, quam reliqua, calore liquabile, albedine & firmitate Plumbum ſuperans, in omnibus Acidis nec non Alcalibus ſolubile. Nativum rarius exſiſtit, ſub variarum glebarum forma in Anglia maxime & Germania offenditur. *Scopo Anthelmintico ejus Raſuram vel ultra Semiunciam pro doſi ſunt qui laudent; qui vero hoc medicamento recte uti volent, caute circumſpiciant, ne Plumbo aut alio Metallo noxio ſit mangoniſatum.*

STAPHIS AGRIA. Semina ſubrotunda, angulata, inferne latiora, ſuperne contracta, in facie plana linea longitudinali diſtincta, ſub cortice nigro, rugoſo nucleum oleoſum, albidum, amarum, acerrimum condunt. Delphinium Sta-

phis agria L. Blackwell Tab. 265. Planta biennis Europæ calidæ, apud nos in tepidario ab hyemis rigore tuenda. *Acerrimum medicamentum nunquam intus dandum, contra Pediculos uſurpatur.*

STOECHAS ARABICA. Spicæ cylindraceæ, multis calicibus ſibi arctiſſime incumbentibus Floresque marcidos emittentibus efformatæ, colore cinereo, odore levi, ſapore aromatico ad *Lavendulam* accedente, ſed minus grato. Lavendula Stœchas L. Blackwell Tab. 241. Orientis & Europæ Meridionalis propria, in tepidario contra noſtras hyemes defendenda. Olei odorati uberem copiam fundere dicitur. *Rariſſime in uſum trahitur, Lavendula Spica vicem ejus ſuſtinente.*

STOECHAS CITRINA, *Immortelles jaunes, Rheinblumen.* Flores tubuloſi, lutei, calyce ſuſtentati luteo, ex ſquamis conſtante ſiccis, lanceolatis, imbricatis, inſipidi, inodori. Gnaphalium Arenarium L. Paſſim per Europam obvium. *Lenes vires Adſtringentes edere dicitur.*

STORAX CALAMITA. Succus concretus, ſive ſub forma maſſarum variæ magnitudinis, ex badio rufarum, tenacium, pinguiuſcularum, proprii, ſuavis admodum odoris, acriuſculi ſaporis, quæ quidem *in Granis* dicitur; ſive in prægrandibus maſſis proſtat, ſacci, in quo præli preſſionem paſſæ erant, manifeſta veſtigia gerentibus, ſabulo & lapillis inquinatis, friabilibus, odore & ſapore antecedentibus ſimilibus; hæc quo aridiores, eo viliores ſunt. Styrax officinalis L. Orientis & Europæ calidæ propria arbor, apud nos per hyemem in tepidario aſſervanda. In Gallia & Italia aliquantum Reſinæ inde obtinetur. Oleum odoratum & Salem Eſſentialem emittere dicitur. Spiritu Vini vix non tota ſolvitur, Oleis nequaquam. *Olim ſcopo Becchico intus dabatur, hodie Suffitibus potiſſimum inſervit.*

STORAX LIQUIDA. Reſina quæ conſiſtentiam Unguenti ſpiſſioris habet, gryſea, fæculenta, ſordida, antecedentis odorem ſpirans. Liquidambar ſtyraciflua L. Blackwell Tab. 485. Virginiæ civis, noſtras hyemes impune fert. Quæ in officinis proſtat Reſina, haud obſcure mangonium prodit. *Ad conſolidanda Vulnera adhibetur.*

STRAMONIUM,

STRAMONIUM, *Pomme épineuſe, Stechapfel.* Folia magna, viridia, ovato-acuta, anguloſa, in lacinias latas diviſa, odore virulenta, ſapore nauſeoſa. Datura Stramonium L. Blackwell Tab. 313. Americanæ originis planta, juſto frequentius hodie in Europa occurrit. *Omnibus hujus plantæ partibus Narcoticas vires ineſſe experientia edocuit. Succum inſpiſſatum ad ſex Grana bis de die datum Convulſiones & Maniam curaſſe obſervatum eſt.*

STRUTHIONIS OVA, *Œufs d'Autruche, Strauſſeneyer.* Teſtæ albæ, præmagnæ Ovorum Struthionis Cameli L. Aſiæ & Africæ avis. *A quibuſdam ſcopo Lithontriptico laudabantur.*

SUBER, *Liege, Kork*-vel *Pantoffelholz.* Cortex planus, craſſiuſculus, levis, coriaceus, firmus & compactus, facile ſcindendus, coloris dilute brunei, inſipidus, inodorus. Quercus Suber L. Blackwell Tab. 193. Europæ calidæ, apud nos contra hyemis injurias defendenda. *Olim Adſtringendi cauſa intus adhibebatur, extus uſtum ſub forma Unguenti Hæmorrhoidibus applicatur;* uſus ad Epiſtomia notiſſimus, ejuſdem carbo in pulverem nigrum contritus *Noir d'Eſpagne* ſiſtit.

SUCCINUM, *Ambre jaune, Carabé, Agtſtein, Bernſtein.* Bitumen in fruſtis variæ rotunditatis & magnitudinis exſtat, plus minus profunde citrinum, pellucidum, grate olens, nullo calore fundi patiens, ſuavem odorem exhalans; quo minus colorata, quo pellucidiora, quo majora fruſta, eo ſunt pretioſiora. Quæ inter tornandum decidunt ramenta, RASURÆ SUCCINI nomine in officinas recipiuntur. Succinum Electricum L. Copioſiſſime ad Mare Balthicum, rarius in aliis Europæ regionibus reperitur. *Olim contra affectus Capitis & morbos Catarrhales commendabatur; ejus ſuffitus Roborandi, Diſcutiendi, Aërem purgandi gratia adhibetur.*

SUCCISA, *Morſus diaboli, Mors du diable, Teufelsabbiſs.* Radix fibroſa, ex parvis capitulis, ad quorum latus germen novi caulis accretum ſpecie morſus quoſdam fefellit, fibras emittit capillares, gryſeas, ex albo flaveſcentes, amaras. Scabioſa Succiſa L. Blackwell Tab. 142. *Superſtitione vel ad graviſſimos morbos efficax habita, præ ceteris nihil proprii habet.*

SULPHUR, *Soûfre, Schwefel.* Subſtantia ſolida, flava, cum crepitatione fragilis, mediocri calore fundenda, colorem fundendo rufum induens, proprio ingrato odore nares feriens, inſipida, ignem concipiens, flamma cærulea & acida ardens, in Oleis & Spiritu Vini, neutiquam in Aqua ſolubilis. Pyrites L. Occurrit paſſim per Europam, ſive Nativum, ſive cum variis metallis in varias mineras converſum, ſive Fontibus ſoteriis immixtum. Conſtat ex maxima Acidi Vitrioli & minima Principii inflammabilis portione. Nonniſi flavum in cylindros fuſum recipi debet, quod quidem *Citrinum dicitur*, aut *Vivum Soufre à Canons*, aut in *Flores* ſublimatum. *Intus ad Viſcerum Ulcera, ad promovendam Diaphoreſin, curandam Scabiem; extus contra morbos Cutaneos adhibetur.*

SUMACH. *Baccæ* exſiccatæ, racemo adhærentes, rubræ, multo villo obductæ, *Semina* includentes nigra, ſubrotunda; acido, admodum adſtringente ſapore. Rhus Coriaria L. Blackwell Tab. 486. & 541. Europæ Meridionalis & Orientis propria arbor, noſtras hyemes ſine noxa fert. *Rami teneriores cum foliis exſiccati in uſum Tinctorum aſſervantur. Baccæ exſiccatæ valide Adſtringunt, quo quidem ſcopo tam intus, quam extus adhibentur.*

SYMPHYTUM, *Conſolida major, grand Conſoude, Schwarzwurzel, Wallwurzel. Radices* fibroſæ, aliquot pollices craſſæ, foris nigræ, intus albæ, inſipidæ, inodoræ. *Folia* ovato-lanceolata, hirſuta, aſpera, rugoſa, odoris & ſaporis expertia. Symphytum officinale L. Blackwell Tab. 252. Creſcit paſſim per Europam. Ego ſaltem Mucilaginem, ob quam ab Auctoribus Hæmoptoicis, Nephriticis & Dyſentericis commendatur, iteratis quoque experimentis inde non potui obtinere. Radices exſiccatæ mihi ſemper Extractum aquoſum, bruneum & ſalſum exhibuerunt.

TACAMAHACA. Reſina, quæ ſub varia forma nobis venit, alia in fruſtis rufo-flaveſcentibus, nitidis, gratum odorem ſpirantibus, levi & nauſeoſi ſaporis, calore liqueſcentibus, quæque accenſa minus gratum ſpargunt odorem; eadem in maſſas quoque majores, multis ſordibus pollutas coacta pro-

ſtat, & hæc quidem *en Maſſes, in Sorten* dici ſolet; alia priori quidem ſimilis, ſed pallidior, virideſcens, Cucurbitis dimidiatis incluſa, cui *en Coques* nomen tributum; occurrit etiam *Tacamahaca viridis* parvis fruſtis efformata, tota viridis, inodora, ſapore multum nauſeoſa, igni admota fluens, accenſa minus gratum fumum emittens. Nondum de arbore has Reſinas fundente conſtat. Priorem a Populo balſamifera L. Sibiriæ & Americæ Meridionalis arbore, noſtram hyemem patienter ferente, alteram a Fagara octandra L. Americæ Meridionalis obtineri ferunt. *Extus debili Ventriculo ſub forma Emplaſtri applicatur, Suffitus ejus ad Roborandum & Diſcutiendum adhibetur.*

TAFFIA, *Rum.* Spiritus inflammabilis, flavicans, præter ſaporem & odorem Spiritibus per fermentationem paratis communes & quidem multum eminentes, nullis propriis inſtructus. Ex Inſula Francica & Madagaſcar adfertur, ubi ex ſucco *Sacchari officinarum,* juſtam fermentationem vinoſam paſſo, paratur. Ex ejus Unciis viginti ſex Spiritus rectificati Uncias ſeptendecim, & ex his Alcoholis octo obtinui. Qui poſt rectificationem remanet Liquor turbidus, non male olens, dulciuſculus eſt. Spiritus, qui in Americæ officinis Saccharinis ex Syrupo Saccharino paratur, empyreuma habet & acrimoniam, eum ibi proprie *Taffia* dicunt, probe a priori, quem *Rum* appellant, diſtinguendum. *Præter vires Spiritui Vini proprias Medicis ob virtutem Antarthriticam commendatur.*

TALCUM. Squamis efformatur, attactu pinguibus, nitidis, cohærendo invicem in maſſas majores, minoresve excreſcentibus, fragilibus, ſubpellucidis, albicantibus, vireſcentibus, inſipidis, inodoris. Mica Talcoſa L. In Suecia & Regno Neapolitano naſcitur. *Olim ad uſus Coſmeticos commendabatur, Oleum inde parandum ad ſomnia Alchymicorum ablegandum.*

TALPA, *Taupe, Maulwurf.* Animal quadrupes, gryſeum, terram fodiens. Talpa Europæa L. nimis frequens in arvis, *combuſta intus contra Arthritidem dabatur, extus Fiſtulis & Strumis applicabatur.*

TAMARINDI. Pulpa nigra, levi odore, ſapore acido in-

ſtructa, cui varia filamenta & ſemina majuſcula, ex rotundo angulata, ſpadicea immixta ſunt: exſucca & carne Prunorum adulterata rejicitur. Tamarindus Indica L. BLACKWELL Tab. 201. Arbor Indiæ, Ægypti & Arabiæ, in America hodie frequenter culta, apud nos in caldario ſuſtentanda. *Filamentis & Seminibus cribri ope, per quod transprimitur, purgata egregium Eccoproticum eſt in Febribus acutis, Bilioſis, putridis.*

TAMARISCUS, *Tamaris.* Cortices tenues, anguſti, extus rufi, intus albi, ſapore amaricantes & adſtringentes. Tamarix Germanica L. BLACKWELL Tab. 331. f. 2. Frutex Europæ temperatæ. *Ad Decocta Aperientia recipitur.*

TANACETUM, *Tanais, Rheinfarn. Folia* longa, viridia, punctata, pinnata, pinnis inciſis, ſerratis; *Flores* tubuloſi, flavi, calice hemiſphærico imbricato ſuſtentati; *Semina* cylindroidea, parva, angulata, utrinque truncata: omnes Tanaceti partes odorem proprium, fortem, minus gratum habent, ſaporem aromaticum, amaricantem. Tanacetum vulgare L. BLACKWELL Tab. 464. Paſſim per Europam occurrit. Oleum odoratum, flavum, acre & amarum fundit. *Contra Vermes, ad morbos Uteri & Arthritidem commendatur.*

TARAXACUM, *Dens Leonis, Piſſe-en-Lit, Pfaffenrœhrlein, Seichblumen. Radices* ſub cortice nigricante medullam albam & dulcem includunt; *Folia* ſunt runcinato-pinnatifida, pinnis triangularibus dentatis, leviter amara; *Cauliculi* nonniſi recentes recipiendi, glabri ſunt, cavi, teneri, lacte amaricante turgidi. Leontodon Taraxacum L. BLACKWELL Tab. 1. Vulgatiſſima per Europam planta. *Multum ad reſerandas Obſtructiones Hepatis laudatur. Folia tenella primo vere tanquam olus eduntur.*

TARTARUS, *Tartre, Weinſtein.* Sal eſſentialis ex ſucco Uvarum & Vino ſecedens, odore levi, ſapore acido imbutus, ex Vino albo gryſeus, ex rubro ruber evadit, multam aquam, eamque ferventem, ad ſui ſolutionem exigit, præter Acidum oleoſas quoque partes vehit & calcareas. Monſpelii aut Venetiis depuratus vulgo ſub nomine CRYSTALLORUM TARTARI venit. *Sordibus putridis Primarum Viarum, aut morbis Bilioſis labo-*

rantibus, nec non Hydropicis exhibetur; datur quoque Cathartico ſcopo.

TAURUS, *Taureau, Stier.* Bos Taurus L. Quadrupes notiſſimum, cicur per omnem Europam occurrit, aſſervatur *Fel* ejus ſive *Bilis* inſpiſſata, vireſcens, amariſſima, *extus ad Abſtergendum, intus autem ſub inertia Bilis ad aliquot Grana pro doſi exhibetur.*

TAXUS, *Blaireau, Dachs.* Animal quadrupes, ſupra cinereum, infra nigrum, linea longitudinali nigra, trans aures & oculos ducta notatum. Urſus Meles L. Per omnem Europam indigena. *Axungia ejus reliquorum quadrupedum Axungiæ colore, conſiſtentia, viribus ſimilis eſt.*

TEREBINTHINA. Balſamum tenax, ceteris Reſinis liquidis ſpiſſius, varii, pro arboris unde obtinetur diverſitate, odoris, ſaporis amaricantis & reſinoſi, pellucens, magis minusve dilute flavum, uberem Olei admodum odorati, olidi & acris copiam fundit, cum Aqua cocta ſolideſcit. Argentoratensis reliquis, ſi *Chiam* exceperis, ſpiſſior, flava, abiegnum odorem ſpirans, colligitur ex veſiculis epidermidis Pinus Piceæ L. Europæ temperatæ arboris. Chia vel Cypria proxime ad conſiſtentiam ſiccam accedit, alba cum veſtigio flavedinis, ſuaveolens, nec amara, nec acris, deſtillat ex vulnerata Piſtacia Terebintho L. Blackwell Tab. 478. Europæ Auſtralis, Aſiæ & Africæ indigena, apud nos in frigidario contra hyemem defendenda. Communis ſequente ſpiſſior, turbida, rufi fere coloris, odoris minus grati, tædæ haud abſimilis; obtinetur ex ſauciata Pinu Sylveſtri L. Non raro ipſi ſubſtituitur ſpuma, quæ Reſinæ inter depurandum ſupernatat, in lebete cocta & Oleo Templino permixta. Veneta reliquis omnibus liquidior, pallide lutea, levius & minus grate odorata, amaricans, profluit ex ſauciata Pinu Larice L. Blackwell Tab. 477, in altioribus Europæ temperatæ montibus creſcente. *Reliquarum Reſinarum vires exſerit, exoticis mitior. Ad Abſtergendum & Conſolidandum tam intus quam extus exhibetur; Diuretico quoque ſcopo datur.* Oleum Aquæ ope inde deſtillatum, cum totum pelluceat, *Spiritus* nomine venire ſolet, *cum Sanguinem multum exæſtuet & validiſſime in Renes*

agat, nunquam intus dandum eſt; extus potenter Reſolvit, partes Membranaceas Roborat, Vulneratos Nervos & Tendines Conſolidat, Putredinem arcet, Hæmorrhagias ſiſtit.

TERRÆ SIGILLATÆ. Argillæ varii coloris, in maſſas variæ figuræ utplurimum rotundas vel cylindraceas effictæ, variisque ſigillis notatæ. Denominantur vel a patria, vel a colore, vel a ſigillo. *Inertes omnino terræ pene in univerſum eviluerunt.*

TESTUDO, *Tortue, Schildkrœte.* Amphibium quadrupes, carne molli, capite & pedibus verrucis obſeſſis, teſta tegitur dura, variis maculis diſtincta. Teſtudo orbicularis L. In Gallia Meridionali & Italia occurrit. *Capite & Pedibus rejectis ex Aqua coquitur. Phthiſicis maxime, nec non Humoribus acribus Demulcendis a nonnullis magnopere commendata.*

TERTIANARIA, *Toque, Fieberkraut.* Folia petiolata, cordato-lanceolata, obtuſiuſcula, dentata, leviter rugoſa, odoris minus grati, ſaporis amari. Scutellaria galericulata L. Creſcit per omnem Europam. *A quibuſdam contra Febres Intermittentes commendabatur.*

THALICTRUM FLAVUM, *gelbe Wieſenraute.* Radices extus fuſcæ, rugis transverſis diſtinctæ, intus luteæ, ſapore leviter amaricantes. Thalictrum flavum L. Paſſim per Europam obvium. *Contra Icterum ei tribuuntur vires.*

THEA BOHEA. Folia paulum contorta, ſicciſſima, utplurimum diffracta, ad colorem nigrum vergunt, gratiſſimum odorem Roſis vicinum ſpargunt, amariuſcule ſapiunt. Thea Bohea L. Blackwell Tab. 352. Chinæ, Siam, Japoniæ indigena arbuſcula, nobis per hyemem in caldario ſervanda. Plures ejus, quæ proſtant, varietates vel variæ folia colligendi rationi, vel mangonio originem debent. *Minori doſi quam ſequens recipitur, validius quoque Adſtringit.*

THEA VIRIDIS. Folia viridia, contorta, pro diverſa varietate, variæ magnitudinis; quin ſuavitas etiam odoris ad Violas accedentis in diverſis evidenter diverſa eſt, ſapor aliquid acerbi habet. Thea viridis L. Chinæ arbuſcula, nobis ab hyeme in frigidario tuenda. Innumeræ ejus varietates tam a colligendi modo, quam a mangonio pendent. Circa medium

ſuperioris ſeculi Thea in Europa uſurpari cœpit. Ratio, qua ab Europæis aſſumitur, evincere videtur, Infuſi ejus effectus Aquæ calidæ potius quam foliis eſſe adſcribendos.

THLASPI, *Baurenſenf.* Siliculæ orbiculatæ, late marginatæ, compreſſæ, apice bifidæ, ſeminibus ovatis, obtuſis, rubicundis, bruneis fœtæ, fortis, nauſeoſi, alliacei odoris, ſapore acres. Thlaſpi arvenſe L. BLACKWELL Tab. 68. Vulgare per Europam. *Urinam & Menſes movere, Abſceſſus internos aperire quibusdam dicitur. Tota planta efficax contra Curculiones & Cimices habetur.*

THYMIAMATIS CORTEX, *Thuris Cortex, Thus Judæorum.* Fruſta ex ſquamis ligneis, ſibi irregulariter incumbentibus & ſubſtantia pulverulenta, reſinoſa, quaſi conglutinata, ex fuſco rufeſcentia, odore fragrante, ſapore leviter aromatico, vix amaricante inſtructa, accenſa gratiſſimum odorem ſpirant, uſta in carbonem & cinerem redigi patiuntur. Ex India nobis veniunt; a qua arbore deſumantur, neſcimus. *Tantum ad Suffitus adhibentur.*

THYMUS CRETICUS. *Folia* habet lanceolata, baſi latiora, ad marginem leviſſime ciliata; *Spicas* ſubrotundas, obtuſas, bracteis majoribus, imbricatis, albidis, ciliatis diſtinctas, *Floribus* ornatas labiatis, violaceis, odore fragrans, ſapore aromaticus. Satureja Capitata L. Europæ calidæ & Orientis, apud nos per hyemem in frigidario aſſervanda.

THYMUS VULGARIS, *Thym, Thymian. Cauliculi* ramoſi, lignoſi, obſolete tetragoni, pubeſcentes; *Foliolis* petiolatis, ovali-oblongis, albidis, *Floribus* labiatis, exiguis, verticillatis, odore grato, ſapore linguam pungente præditi. Thymus vulgaris L. Europæ calidæ & Orientis, noſtratis hyemis patientiſſima planta. Oleum inde odoratum, quin etiam Camphora obtenta eſt. *Vires habet cum reliquis plantis aromaticis communes; condimenti loco in culinas recipitur.*

TIGLIA GRANA, *Pineæ purgantes, Pignons d'Inde. Cataputia majore* minora, obtuſe triangularia, una facie plana, ſub cortice nigro, flavo-rufeſcente nucleum includunt albidum, pinguem, tenerrima cuticula tectum, ejuſdem ac Cataputia

acrimoniæ. Croton Tiglium L. Indiæ propria arbor, nobis nonniſi in tepidario ſervanda. Oleum fundere dicitur unguinoſum, acerrimum, aliquot ſolummodo guttis Alvum ducere valens. *Vires cum Cataputia eædem.*

TILIA, *Tilleul, Linden.* Flores albi, calyce quinquefido & quinque petalis ornati, pedunculis ſuſtentantur ex peculiari foliorum genere oblongo, albido-virente, obtuſo, integerrimo protruſis; recentes fragrantiſſimi; exſiccati, inodori, inſipidi ſunt. Tilia Europæa L. BLACKWELL Tab. 469. Vulgaris per Europam arbor. *Florum recentium laus in vi Nervina ponitur; exſiccatorum vis omnino nulla eſt.*

TOLUTANUM BALSAMUM, *Beaume de Carthagene*, Balſamum Balſamo de Mecca vix ſpiſſius, aurei coloris, odoris grati, ſaporis Balſamo de Mecca paulo acrioris. Proſtat quoque ſiccum teſtis cucurbitaceis incluſum. Tolvifera Balſamum L. Creſcit ad urbem Tolu in præfectura Carthagenenſi. Oleum odoratum & Flores fundere dicitur. *Vires Balſami de Mecca inde expectantur.*

TOPASIUS. Gemma flavo colore ſplendens, Adamante, Rubino & Saphiro mollior, in igne colorem amittit & in lamellas ſecedit, varie figurata reperitur. Borax Gemma flava Topaſius L. In Oriente, Braſilia & Saxonia naſcitur. Fluor ei vulgo ſpathoſus flavus WALLER. Muria lucida flava L. paſſim in Europa obvia, ſubſtitui ſolet. *Sunt, qui vires ei Cephalicas & Cordiales tribuant.*

TORMENTILLA. Radices nodoſæ, quaſi tuberoſæ, circum undique plurimas fibrillas emittentes, extus ferrugineæ, intus pallide rubræ, inodoræ, adſtringentes. Tormentilla erecta L. Creſcit ubique per Europam. *Ad Decocta Adſtringentia tam interne, quam externe adhibetur.*

TRAGACANTHA. Gummi album, fragile, ſub dentibus lenteſcens, inodorum, inſipidum, formam mox vermium, mox filorum in ſe revolutorum, mox granorum refert. Quæ *in Sorten* dicuntur Fruſta colorata, ſordibus inquinata, quæque ipſe, ſub nomine *Gummi de Baſſora*, aliquando accepi, rejicienda ſunt. Sponte effluit ex Aſtragalo Tragacantha L. Orientis

Orientis & Europæ Auſtralis frutice, apud nos per hyemem in frigidario aſſervando. Difficulter ignem capit, ardens fœtentem fumum evomit, pars ejus exigua magnam aquæ copiam in mucilaginem vertit. *Tanquam Demulcens & Relaxans præſcribitur; Mucilago inde parata eſt commune conſtituens plurimorum Trochiſcorum.*

TRAGOPOGON, *Barbe de Bouc, Bocksbart.* Radix fuſiformis, ſub cuticula flava albam & dulcem carnem includit Tragopogon pratenſe L. Vulgaris per Europam planta. *Scopo Aperiendi a quibuſdam exhibetur.*

TRIBULI AQUATICI, *Chataignes d'eau, Waſſernuſſe.* *Nuces* Caſtaneis minores, quatuor alis acutis inſtructæ, ſub cortice nigro, duro includunt *Nucleum* cordiformem, album & dulcem. Trapa natans L. Paſſim per Europam & Aſiam occurrit. *Viribus cum Caſtaneis æquipollere videntur.*

TRICHOMANES, vide ADIANTHUM RUBRUM.

TRIFOLIUM, *Trefle, Klee.* Flores papilionacei, albi, calyce quinquefido ſuſtentati, leviſſime odorati, inſipidi. Trifolium repens L. Vulgare per Europam. *A nonnullis contra Fluorem album ejus Infuſum commendatur.*

TRIFOLIUM FIBRINUM, *Trifolium Aquaticum, Menyanthe, Biberklee.* Folia petiolata, ternata, foliolis majuſculis, ovatis, firmulis, inodoris, intenſe amaris. Menyanthes trifoliata L. BLACKWELL Tab. 474. Paſſim per Europam offenditur. Oleum odoratum largiri dicitur. *Contra Scorbutum, Obſtructiones Abdominales & Arthritidem efficax habetur.*

TRIPOLITANA TERRA, *Tripoli, Trippel.* Terra arida, ſicca, albida & flavicans, in tenerrimum pulverem conteri patiens, aſpera & ſcabra, ſiticuloſa, contactu inquinans, cum Acidis non efferveſcens, igne indureſcens, inodora, inſipida. Argilla Tripolitana L. Paſſim in Europa reperitur. *A quibuſdam Intertrigini inſpergitur, poliendis potiſſimum Metallis inſervit.*

TUNICA, *Œillet, Grasblume, Nelke.* Florum petala, calyce exemta, unguibusque reciſis, obovata, rotundata, ſerrata, ſaturate rubra, gratiſſimum, Caryophyllis aromaticis

proximum odorem ſpirantia, guſtu dulcia. Dianthus Caryophyllus L. Blackwell Tab. 85. In Europa Meridionali & Archipelago ſpontaneus, apud nos in hortis copioſe colitur. *Recentes Flores Analepticas vires habent, exſiccati leniter Adſtringere creduntur.*

TURPETHUM. *Cortices* longitudine fere digitum, craſſitie lineam æquantes, ſtriis longitudinalibus, nigris, reſinoſis notati, extus cinereo-fuſci, intus magis albicantes, inodori, inſipidi. Interdum proſtant *Radices* ex capite ad quatuor pollices craſſo in corpus cylindroideum excreſcentes, rugis longitudinalibus notatæ, hinc inde rimis fiſſæ. Convolvulus Turpethum L. Creſcit in India. *Olim ſcopo Cathartico in ſubſtantia ad Drachmam unam, in Infuſo ad Unciam dimidiam dabatur.*

TUSSILAGO, videatur FARFARA.

TUTIA. Subſtantia laminarum inſtar formata, friabilis, gryſea, fornacum, in quibus Zinci minera funditur, lateribus adhærens, inſipida & inodora. Eſt ipſum Zincum, ſed exuſtum variisque ſordibus pollutum. *Tanquam Exſiccans ad Intertriginem, tanquam Diſcutiens ad morbos Oculorum adhibetur.*

VALERIANA, *Baldrian.* Radix ex capite brevi, craſſiuſculo, cavitatem unde caulis prodierat ſervante, innumeras fibras filiformes circum undique emittens, extus fuſca, intus alba, odorem fortem, Nardi ſimilem ſpirat, ſaporem exhibet ſalſum. Valeriana officinalis L. Blackwell Tab. 271. Paſſim per Europam creſcit. *Laudatur a virtute nimiam Nervorum Irritabilitatem corrigendi, Vermes fugandi, Oculos roborandi. Datur ſub forma Pulveris ad Drachmam unam pro doſi.*

VANILLA. Siliqua dimidio pede longior, dimidium fere pollicem lata, utroque extremo producto & obtuſo, compreſſa, ſtriis longiuſculis notata, uno margine acuta, altero craſſiuſcula, tenax, quodam quaſi oleari ſplendore nitens, fuſca, pulpam granuloſam, nigram includens, odoris ſuavitate Flores Perſicorum ſuperans, ſapore aromatica. Epidendron Vanilla L. Americæ calidæ proprius frutex. Exſiccatione demum odorata evadit, & exſiccata, ut ætatem ferat, Oleo inungitur.

Ad Capitis æque ac Primarum viarum robur reſtituendum adhibetur. Præcipue Chocolatæ conficiendæ & condiendis Lacticiniis inſervit.

VERBASCUM, *Bouillon blanc, Wollkraut. Folia* longa, & lata, decurrentia, crenata, utrinque tomento obſeſſa, leniter adſtringentia; *Flores* rotati, quinquefidi, levi tomento obſeſſi, flavi, odore perfuſi leni & ſuavi, ſapore dulces. Verbaſcum Thapſus L. Blackwell Tab. 502. Europæa planta, ſponte ubique locorum creſcit. Flores Oleum odoratum fundunt, ſuccus eorum Saccharum largitur. *Folia Emolliendi ſcopo ſubinde uſurpantur. Florum Infuſum dilutum ſalubriter contra Pectoris affectus præſcribitur, iidem ad Clyſmata Emollientia & Anodyna recipiuntur.*

VERBENA, *Verveine, Eiſenkraut.* Folia longiuſcula, laciniata, laciniis denuo laciniatis, amara. Verbena officinalis L. Blackwell Tab. 41. Creſcit in omni Europa. *Quæ de Verbena Veterum traduntur virtutes, aliarum plantarum laudes ſunt, ad poëticas fabulas, unde natæ, relegandæ.*

VERONICA, *Veronique, Ehrenpreis.* Folia ovata, obtuſa, ſubtiliter hirſuta, crenata, ſuffuſo aromate ſuave amara, leniter adſtringentia. Veronica officinalis L. Blackwell Tab. 143. Deſtillatione Spiritum Urinoſum fundere dicitur. *Ad Infuſa Pectoralia creberrime recipitur.*

VICTORIALIS LONGA, *Allermannsharniſch.* Bulbus quatuor fere pollicum longitudinem æquans, oblongus, ſuperne paulum contractus, inſipidus & inodorus, ſub involucro gryſeo, reticulari, fibroſo, ſicco, carnem condit ſiccatus effœtam. Allium Victorialis L. In Europa temperata provenit. *Ad ridiculos uſus olim adhibebatur.*

VICTORIALIS ROTUNDA, *runde Siegwurzel, Ackerſchwerdel.* Bulbilli duo eodem ac præcedens involucro tecti, uterque albus, alter alteri inſidens, alter ventricoſus, inferior minus orbiculatus eſt, utrinque compreſſus, radicis exſiccatæ ſapor dulcis. Gladiolus communis L. Europæ calidæ, noſtras hyemes optime fert. *Ad eoſdem cum antecedente uſus a pinguis ingenii hominibus adhibebatur.*

VINCA PER VINCA, *Pervenche, Ingrün, Singrün.*

Folia ex ovatis oblonga, acuta, duriuſcula, inodora, amariuſcula. Vinca minor L. Blackwell Tab. 59. Paſſim per Europam creſcit. *Immiſcetur Infuſis Pectoralibus.*

VINCETOXICUM, videatur HIRUNDINARIA.

VINUM. Liquor fermentatione ex fructuum horæorum, maxime Uvarum, ſucco obtentus, deſtillatione Spiritum inflammabilem fundens, coloris ſive albi, ſive rubri, in utroque diverſorum etiam graduum, quanquam omne Vinum, quod rubrum non eſt, vulgo *album* dicitur; proprii ac jucundi pro innumeris varietatibus plurimum variantis odoris æque ac ſaporis. Sunt quæ Saccharina dulcedine palatum afficiunt Vina, & hæc quidem utplurimum ſpiſſiuſculam conſiſtentiam habent. Vina, quæ ex alio, quam Uvarum ſucco parantur, quæ acida ſunt, acerba, turbida, mangonio adulterata, a ſcopo medicato arcenda ſunt: patria omnino differunt; ſed hic plurimæ omnino fraudes obtinent & a certioribus, quæ uſus ſubminiſtrat indiciis, potius quam a fide œnopolarum ſtandum eſt. Vinis rubris ſemper aliquid adſtringentis ineſt; alba, ſi a Gallicis diſceſſeris, nunquam non aliquantulo Acidi linguam afficiunt. Vina Saccharina Dulcedine plena ex Orientis regionibus ex Europa etiam Orientali, Occidentali & Meridionali nobis miſſa, vel ex Uvis paſſis, vel ex muſto, varia ratione aliquanta aquæ parte privato, parata, reliquis fortius Caput petunt, non tam ob largius Alcohol, quam ob reſinoſas, quibus abundant, partes. Vehit Vinum Aquam, Alcohol, Mucilaginem & Tartarum. Coctione ſemper aceſcit. *Sitim ſedat, motum Spirituum & omnium Humorum intendit, fibras Primarum viarum roborat, Putredinem arcet, Excretiones aquoſas promovet, extus Refocillat, Roborat, Diſcutit.*

VIOLA, *Violette, Viole. Folia,* quæ *Violaria* dicuntur, ſunt cordata, glabra, obtuſa, inodora, inſipida; *Flores* pentapetali, irregulares, in cornu formam curvati, cærulei, ſuaviſſimo odore, ſapore dulci; *Semina* parva, rotunda, glabra, alba. Viola odorata L. Blackwell Tab. 55. Creſcit paſſim per Europam. *Folia olim Emollientibus adnumerabantur, Flores ad Demulcendum & ad Alvum leniter ducendam præſcribuntur. Semina Diuretica habentur.*

VIPERA. Serpens eſt, pollicem circiter craſſa & ſeſquipedem longa, cervice parva, capite compreſſo, in dorſo flaveſcente, ſquamis inſtructa rhomboideis, gryſeo-nigris in catenæ modum connexis, lateribus albis, ventre toto ſcutis transverſalibus notato, cauda terete, conica, acute terminata, odore proprio, ſapore nullo. Coluber Berus L. Nobis ex Helvetia & Comitatu Burgundiæ accerſitur. Diverſis in locis diverſæ *Colubri* ſpecies adhibentur. Animal, cujus ictus peſſimum venenum venis inſtillat. *Juſculum, ex Vipera recente, demto capite & cauda, cum menſtruo aquoſo puratum, multum contra morbos Cutaneos commendatur. Viperæ exſiccatæ vix aliquid proprii polliceri videntur. Axungia* conſiſtentiam Olei unguinoſi & ſpiſſiuſculi, colorem flavum, odorem levem, ſaporem nullum habet. *Commendatur ad Abſtergenda Corneæ Ulcera.*

VIRGA AUREA, vid. CONSOLIDA SARRACENICA.

VIRIDE ÆRIS, *Ærugo, Verd de Gris, Grünſpan.* Adfertur nobis in panibus majoribus viridibus, nauſeoſum & vehementem Æris odorem ſpirantibus, acri ſapore imbutis. Deraditur laminis Cupri, ſub fermentatione acetoſa corroſis; optimum Monſpelii conficitur, Gratianopoli quoque & in Anglia præparari lego. *Intus nunquam dandum, extus a quibuſdam Septico ſcopo Unguentis adjicitur.*

VISCUM, *Glu, Vogelleim.* Maſſa ſpiſſæ Unguenti conſiſtentiæ, ex flavo virideſcens, tenaciſſima, minus grati, reſinoſi odoris, perinde ac ſaporis, difficulter flammam capit, in Alcohole & Oleis ſolubilis, nequaquam in Aqua. Conficitur ex Ilicis Aquifolii L. BLACKWELL Tab. 205. vulgaris per Europam arboris, interno cortice, tundendo in paſtam redacto, unde dein reſoluta putredine filamenta, affuſa aqua, ſeparantur. *Olim ſcopo Rubefaciendi uſurpabatur.*

VISCUM, *Gui, Miſpel.* Surculi lignei, mox recti, mox incurvi, ramoſi, ſub cortice fuſco & rugoſo lignum ex rufoflaveſcens, leviter adſtringens continentes. Viſcum album L. BLACKWELL Tab. 184. Paraſiticus frutex, qui variis per Europam arboribus innaſcitur, de Quercubus ſumtus reliquis præfertur. *Magna ejus laus eſt in medenda Epilepſia.*

VITIS, *Vigne, Rebſtock.* Folia quinqueloba, lobis inciſo-dentatis, infra pallida, leviter odora, ſaporis aciduli, non ingrati. Fructus immaturi, *Verjus* dicti, acido & adſtringente turgent ſucco, cui *Omphacio* aut *Agreſtæ* nomen eſt. Ad condimenta ciborum recipitur; *ſcopo Refrigerandi uſurpatur.* Vitis vinifera L. BLACKWELL Tab. 153. Colitur per totum orbem temperatum. *Roborandi cauſa Balneis adjiciuntur folia.* Succus ex Uvis expreſſus, *Muſtum, Mout, Moſt* dictus, turbidus eſt, viſcidus, dulcis, proprii odoris, coctione ſpiſſitudinem & aciditatem nanciſcitur; ad dimidias coctum Muſtum *Raiſiné, Sapa, Weinmus,* ad trientem ſi evaporarit *Defrutum* appellatur; *interdum condimenti loco cibis adjicitur.* Uvarum preſſarum *Vinacea, Marc, Trabern* cum & Vinum & adſtringentes Uvarum pelliculas contineant, *ad Roborandum Balneis adjiciuntur.* Circa Uvas conferantur Paſſulæ.

VITIS IDÆA, videantur MYRTILLI.

VITRIOLUM ALBUM, *Galitzenſtein.* In majoribus exiguarum cryſtallorum concretarum maſſis, Saccharo in panes formato ſimilibus proſtat, ſapor nauſeoſus adſtringens eſt. Vitriolum album L. Paratur Goslariæ ex glebis uſtulatis, aqua lixivatis; Sal, ne in majores cryſtallos concreſcat, fuſus, donec refriguerit, agitatur. Præter Zincum & Plumbum Æs quoque vehit; *quapropter internum ejus uſum, quamvis ſint, qui ad viginti quinque grana Vomitorio ſcopo laudent, nullatenus tamen equidem commendare auſim. Aqua diſſolutum Ophthalmiæ medetur.*

VITRIOLUM CÆRULEUM vel *de Cypro.* Pulcherrimas cryſtallos cæruleas refert, valde nauſeoſo ſapore linguam afficit, imo evidenter rodit. Vitriolum Cyprinum L. Paſſim per Europam, ſive ex Gleba Cupri pyritoſa, ſive Æs cum Sulphure calcinando paratur. *Vi corroſiva reliqua Vitrioli genera ſuperat, nec niſi ad uſus externos recipitur.* Calcinatum PULVIS SYMPATHETICUS eſt. *Quondam egregie a quibuſdam celebratus, hodie merito rejectus.*

VITRIOLUM VIRIDE vel *vulgare.* Cryſtalli virides, proprii, ſed non fortis odoris, guſtu ſalſæ & adſtringentes, in aëre aut calore in pulverem ferrugineum dilabentes. Ex-

ſiſtit vel Nativum vel in Cryſtallos concretum, Vitriolum Martis L. vel tomenti aut pulveris inſtar ex terra lapidibusve effloreſcens, varie coloratum Vitriolum Atramentarium L. rufum CHALCITIS nominatur, cinereum SORY, nigrum MELANTERIA, flavum MISY; denique ex reſoluto etiam Pyrita Ferri L. arte paratur. Rariſſime purum tabernas intrat, vix non ſemper Ære plus minus inquinatum. Minus bene a patria diſtingui in *Inſt. Mat. Med.* p. 447. monui. Ad uſus internos nunquam, niſi prius cum Ferro coctum, eoque ab omni labe Cuprea purgatum, quod cum *Vitriolo Martis* P. II. definiendo, unum idemque eſt; *extus ad Medicamenta Adſtringentia adhibetur.*

VITRUM, *Verre, Glas.* Subſtantia pellucida, rigida, inodora, inſipida, vulgo ex terris vitreſcentibus & Sale Alcali fixo fuſionis ope confecta, frangendo in fruſta ſcindentia dilabens. Quædam Vitra Arſenicum, quædam Plumbum recipiunt, utraque humano corpori, utcunque demum applicentur, periculum afferunt. *Vitrum in fruſtis deglutitum, ad Primas vias venenorum mechanicorum tragœdiam utique aget; in tenerrimum pulverem redactum plebecula Umbilico Infantum imponere ſolet ſcopo Anthelmintico.*

ULMARIA, videatur BARBA CAPRÆ.

UMBILICUS MARINUS, *Faba marina, Meerbohne, Nabelſtein.* Teſta rotunda, inferne plana, obſcurius colorata, margine rotundato, albo terminata, ſuperne convexa, nitida, rubro-dilute flavicans, fovea notata, cujus margines inæqualis craſſitiei ſunt & in qua tuberculum album, ſemipellucidum obtinet, inſipida, inodora. Eſt operculum Cochlearum Maris Mediterranei. *Abſorbens olim & Adſtringens habebatur.*

UNICORNU FOSSILE, videatur EBUR FOSSILE.

UNICORNU VERUM, *Licorne, Einhorn.* Dens variæ magnitudinis, vel octo pedes non raro excedentis, ex baſi latiuſcula longe cylindricus, in fine ſenſim anguſtatus, ex fibris ſpiraliter intortis efformatus, ſub cortice flavicante albiſſimam ſubſtantiam condit. Monodon Monoceros L. Ceti ſpecies Maris Septentrionalis cujus bini ſunt in maxilla ſuperiore ejuſ-

modi dentes. *Vires Alexipharmicæ & Antiſpaſmodicæ, quibus medio ævo celebrabantur, deinceps experientia judice his dentibus ſunt ademtæ.*

ULMUS, *Orme, Ruſten.* Cortex intermedius, albidus, tenax, odoris expers, ſaporis leviſſime amaricantis. Ulmus campeſtris L. Arbor per Europam vulgaris. *Decocto multum efficaciæ ad Scabiem inveteratam medendam tribuitur.*

VOMICÆ NUCES, *Kræhenaugen.* Nuclei rotundi, utrinque vel compreſſi, vel leviſſime convexo-plani, villoſi, gryſeo-albidi, intus cornei, valde tenaces, inodori, amariſſimi. Strychnos Nux Vomica L. Blackwell Tab. 395. Indiæ arbor. Vario quadrupedum generi certiſſimum venenum, *hominibus quidem hæ nuces contra Peſtem, Dyſenteriam, Hydrophobiam &c., ad Scrupulum unum dandæ, magnopere quondam commendabantur, ſed uſum ejus internum, cum convulſivos motus excitaſſe, imo necaſſe homines, Obſervatores teſtentur, commendare nollem.*

URSUS, *Ours, Bær.* Animal quadrupes ſatis notum, victu & vegetabili & animali utens. Urſa Arctos L. frigidiorem Europam inhabitat. Axungia Porcinæ &c. & colore & conſiſtentia & viribus ſimilis; *vulgò ad crinium incrementá laudatur.*

URTICA, *Ortie, Neſſel. Folia* petiolata, cordata, ſerrata, pilis rigidis utrinque obſeſſa. *Semina* ovata, ſub cortice fragili, nitente, ſpadiceo medullam albam, dulcem includunt. Urtica dioica L. Copioſa per Europam. *Folia olim Rubefaciendi gratia adhibebantur; Seminibus virtus Diuretica tribuitur.*

UVA URSI, *Bouſſerole, Steinbeere.* Folia petiolata, ovata, oblonga, obtuſa, integerrima, duriuſcula, ſupra viridia, rugoſa, ſubtus pallida, inodora, cum quadam amaritie adſtringentia. Arbutus Uva Urſi L. Fruticulus paſſim per Europam obvius. *Folia dantur ſub forma Pulveris ad Drachmam unam, cum aquæ Unciis duodecim decocta ad Drachmas duas contra affectus Nephriticos.*

VULPES, *Renard, Fuchs.* Animal quadrupes, carnivorum proprio fœtore notum. Canis Vulpes L. Orbis antiqui vulgare animal. *Pulmones cum trachea exſiccati, nauſeoſi ſaporis & odoris, olim ad affectus Pectoris laudabantur.*

VULVARIA, *Arroche puante, kleine Miſtmelten.* Folia parva

parva, rhombeo-ovata, acuta, integra vel ſinuata, farina quaſi conſperſa, fœtidiſſimum Urinæ putreſcentis odorem, ſaporem ſalſum habent. Chenopodium Vulvaria L. Paſſim per Europam creſcit. *Hyſtericarum Umbilico imponitur.*

UVULARIA, *Laurus Alexandrina, Zæpfleinkraut.* Folia ovato-oblonga, acuta, petiolata, nitidiuſcula, in medio foliolum lanceolatum, acutum, fructificationem tegens emittentia, ſapore amaricantia. *Interdum ad Gargariſmata adhibetur.*

WINTERANUS CORTEX. Fruſta aliquot pollices longa, Canella alba craſſiora, convexo-concava, non convoluta, colore cinamomeo, odore grate aromatico, ſapore linguam pungente. Arborem, unde deſumitur, in freto Magellanico creſcentem primus FOTHERGILL in *Medical Obſervat. by a Society of Phyſicians* T. V. deſcripſit. Drymis WINTERI FORSTER *Nov. Act.* Upſal. T. III. p. 182. *Ob virtutem potiſſimum Antiſcorbuticam laudatur; Canella ei alba utplurimum ſubſtituitur.*

XANTHIUM, *petit Glouteron, Bettlerlaus.* Folia hirſuta, ovata, inferne anguſtata, leviter lobata, lobis irregulariter dentatis, amara. Xanthium Strumarium L. BLACKWELL Tab. 444. Occurrit per omnem Europam. *Succum ad Sanguinem Depurandum & contra Scrophulas commendant.*

ZEDOARIA, *Zittwer.* Radices tuberoſæ, oblongæ, aliquot pollices longæ, minimum digitum craſſæ, levibus rugis & tuberculis obſeſſæ, extus gryſeæ, intus ruſæ, odore perfuſæ proprio, ad Camphoram accedente, ſapore acri, amaricante. Kampferia rotunda L. BLACKWELL Tab. 399. Creſcit in Madagaſcar & India. Oleum odoratum ſpiſſum largiri dicitur. *A vi Roborante & Incidente laudatur.*

ZIBETHUM. Subſtantia conſiſtentiæ Unguenti, albida, odoris proprii, fortiſſimi; quo propior bruneo color ejus eſt, eo vilius habetur. Eſt Unguen, quod ex propriis receptaculis inter orificia Sexus & Ani Viverræ Zibethæ L. Arabiæ & Indiæ Orientalis indigenæ, & Civette BUFFON, Guineam inhabitantis, cochlearis ope hauritur. Unguen, quod hodie cariſſime conſtat, medicamentis externis odoris gratia immiſcebatur, quem exigua ejus portio magno ſubſtantiæ,

cui adjicitur, volumini impertit. Noſtra ætate hic odor minus, quam olim, naribus acceptus eſt. Adhibetur adhuc ad capturam piſcium.

ZINCUM, *Spiauter.* Semimetallum nec malleabile, nec in pulverem piſtillo redigi patiens, diffractum ſtrias vel laminas oſtendens, ad cæruleum colorem paululum vergentes; fuſum flamma cærulea ardet, in *Flores* albos abiturum. Flavo colore Cuprum tingit, in omnibus Acidis ſolubile. Obtinetur ex vario glebarum genere, terræ potius, quam mineræ formam habente. Larga ejus copia ex India Orientali mittitur, quædam Goslariæ paratur. *Nonniſi ſub forma Mineræ aut Florum ad uſus medicatos recipitur.*

ZINZIBER, *Zingiber, Gingembre, Ingber.* Radices tuberoſæ, lobatæ, lobis varie figuratis, omnibus rotunde terminatis, intus ex rufo flavæ, extus flaveſcentes, odoris proprii, ſaporis inſigniter acris & aromatici. Rubræ, quarumque ſuperficiem terra tegit, a vermibus perforatæ rejiciendæ ſunt. Amomum Zingiber L. BLACKWELL Tab. 402. Indiæ Orientalis, unde in Americam fuit delatum, ubi hodie copioſe colitur. Apud nos in vaporario aſſervandum. Oleum odoratum fundere obſervatum eſt. Recentes quoque radices in India conditæ aſſervantur. *Piperis vires, ſed mitiores edit: extus ad Apophlegmatiſmos recipitur; cum ſucceſſu Uvulæ a muco tumenti applicatur; conditum egregie Ventriculo, a cauſa frigida laboranti, conducit.*



PARS II.

PHARMACOPOEA GENERALIS

PARS II.

ACETUM.

Acetorum genera, quæ in Officinis aſſervantur, parantur Vegetabilia exſiccata & comminuta octuplo circiter boni Aceti infundendo, & uſus tempore tantum inde decantando, quantum in uſum recipere lubet. Talium Acetorum vires ex viribus Aceti & Vegetabilium Aceto infuſorum compoſitæ ſunt. Ut plurimum extus, ſive ſcopo Analeptico, Naribus admoventur, ſive aliis uſibus tanquam Fomentationes inſerviunt; intus quoque quædam cochleatim exhibentur. Quidam etiam Acetum Vegetabilibus infuſum deſtillare, & deſtillatum in uſum trahere ſolent. Frequens, qui in Officinis obtinet, Acetorum numerus, ex quo morbi Maligni Exanthematici ſtrages edere cœperunt, obtinuiſſe videtur. Simplicium Acetorum delectus a Medicis & ab uſu recepto pendet.

ACETUM ANTISEPTICUM *Pariſ.*

vulgo *Vinaigre des quatre Voleurs.*

℞. Herbarum Abſynthii Uncias tres,
Roriſmarini,
Salviæ,
Menthæ,

Herbæ Rutæ ana Unciam unam ſemis,
Florum Lavendulæ Uncias duas,
Spicarum Allii Drachmas duas,
Radicum Calami Aromatici,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ ana Drachmas duas:
Inciſa probe miſceantur & infundantur calore juſto, in vaſe clauſo per duodecim dies,
Aceti optimi centum octo & viginti Unciis.
Cum forti expreſſione colatis & filtratis addatur
Camphoræ Spiritu vini ſolutæ Semuncia.
Aſſervetur vaſe probe clauſo.

In Peſte Maſſilienſi hoc medicamentum ſcopo Prophylactico multum celebrabatur, partes corporis aëri expoſitas eo lavabant, ejus ſuffitu veſtes imbuebant, & conclavia infumabant, intus quoque cochleatim illud aſſumebant.

ACETUM AROMATICUM *Klein.*

℞. Radicum Zedoariæ,
Galangæ ana Semunciam,
Herbarum Rorismarini,
Rutæ,
Mari veri,
Florum Lavendulæ ana Drachmas duas,
Corticum Citri recentium,
Caryophyllorum Aromaticorum,
Cubebarum,
Cardamomi minoris ana Semunciam:
Comminuta miſceantur & immittantur
Aceti optimi Unciis quadraginta
Liliorum convallium,
Tunicæ ana Unciis duabus:
Aſſerventur in vaſe probe clauſo.

Tanquam Odoramentum adhibetur, & Refocillandi ergo Naribus admovetur, Epithematibus Cordis & Pulſuum inſpergitur.

ACETUM BEZOARDICUM *Wirtenbergenſium.*

℞. Radicum Angelicæ,
Enulæ,
Imperatoriæ,
Hirundinariæ,
Zedoariæ ana Drachmas ſex,
Herbarum Scordii,
Rutæ,
Salviæ ana Unciam unam,
Baccarum Juniperi Unciam ſemis,
Corticum Citri Drachmas ſex:
Minutim inciſis affundantur
Aceti optimi Unciæ ſex & triginta,
Poſt digeſtionem per aliquot dies exprimantur & filtratum Acetum reponatur ad uſum, in vitro probe clauſo.

In morbis Contagioſis, præcipue Peſte, tam internum quam externum hujus medicamenti uſum ad Odoratum & Collutionem oris commendant; ab Uncia dimidia ad integram propinatur.

ACETUM CAMPHORATUM MAJUS *Richard.*

℞. Camphoræ Drachmam unam:
Teratur in mortario lapideo cum
Spiritus vini rectificati Guttis viginti,
Sacchari albi Unciis duabus,
Probe tritis affundantur
Aceti vini optimi Unciæ decem;
Mixta aſſerventur.

Medicamenti Antiphlogiſtici eximii Uncia ſemis omni trihorio præſcribitur.

ACETUM CHALYBEATUM *Fuller.*

℞. Aceti optimi Uncias duodecim,
Limaturæ Chalybis Unciam unam:

Fiat infuſio triduana frigida, dein coletur Liquor.

Adhibetur parando Oxymelli Chalybeato.

ACETUM COLCHICUM *Stœrck.*

℞. Radicis Colchici recentis, Autumno collectæ & in taleolas tenues ſectæ Uncias duas,

Aceti optimi Uncias duodecim:

Macerentur in lagena vitrea per quatuordecim dies, ſæpius liquorem agitando; dein coletur levi expreſſione Acetum & ſervetur ad conficiendum Oxymel.

ACETUM CONCENTRATUM *Stahl.*

Hyeme exponatur Acetum frigori glaciali in vaſe terreo ampliori, relinquatur omnis portio in glaciem verſa, quod remanſit & ablata aqua admodum acre evaſit, aſſervetur.

Ad Chemicos potius quam ad Clinicos uſus adhibetur.

ACETUM CONCENTRATUM *Westendorf.*

℞. Cryſtallorum Sodæ, quantum volueris, cum Aceti deſtillati quantitate ſufficiente ſaturetur; ſolutio ſaturata leni calore inſpiſſetur, & committatur Retortæ vitreæ, cui ea ſit amplitudo, ut dimidiam modo ejus partem materia occupet; tunc ſub perpetua retortæ commotione pedetentim inſtilletur Olei vitrioli ejus ponderis dimidium; applicetur celeri manu Excipulum ventricoſum, roſtro Retortæ veſica madida jungendum; leni multum igne inſtituatur deſtillatio tam diu continuanda, quamdiu aliquid vaporis prodire oculi diſcernunt. Reſiduum iteratis ſolutionibus & filtrationibus depuratum Salem mirabilem Glauberi eſſe, facile patet.

Acetum concentratum hac ratione paratum priore omnino fortius, reliquis autem, quorum apud Chemicos mentio ſit, multo & gratius & ſincerius.

Evicit Clariſſ. Westendorf, hoc Acetum vires omnes Vulgaris multo efficacius edere, ob majorem qua gaudet penetrabi-

litatem, quam ejus odor evidentiſſime evincit; imo in morbis Putridis etiam illi multum præferendum eſſe, quia Humorum diſſolutioni quoque medetur. Datur ad Drachmam unam multa aqua dilutum. Eximios effectus Analepticos edit, ſi Naribus admovetur.

ACETUM DESTILLATUM,
SPIRITUS ACETI Pariſienſium.

Acetum immittatur ſive Retortæ vitreæ ſive Veſicæ æneæ, nullum enim contagium ab hoc Aceto ſurgere, evici in *Inſtit. Chem.* Exper. 55. ubi largior quantitas Aceti deſtillavit, crebrius liquor prodiens Naribus eſt examinandus, & quam primum odor empyreumaticus obſervatur ab ulteriori deſtillatione eſt deſiſtendum. Primus, qui obtinetur, liquor, vulgo *Phlegma* dicitur & jubetur rejici; ſed ego nunquam evidentiorem inter illum & reliquum differentiam potui obſervare. Reſiduum ab hac deſtillatione Tartarum largiri a Chemicis eſt annotatum.

Deſtillatione Acetum & Olei & Acidi portione privatur, hinc ejus vires imminuuntur omnino; adhibetur ad omnes morbos, ad quos Acetum commune laudatur.

ACETUM HYSTERICUM *Ludovici.*

℞. Spiritus florum Liliorum convallium Unciam unam,
Olei deſtillati florum Lavendulæ Drachmas duas,
Aceti Rutæ Unciam unam,
Eſſentiæ Caſtorei Drachmam unam.
Miſceantur.

Inſervit pro Odoramento vel Fotu Carporum & Temporum.

ACETUM ODORATUM *Wirtenbergenſium.*

℞. Radicum Cyperi rotundi,
Galangæ minoris,
Zedoariæ ana Unciam ſemis,
Herbarum Roriſmarini,
Salviæ,
Florum Lavendulæ,

Florum Liliorum Convallium recentium,
Roſarum rubrarum,
Ligni Rhodii,
Cinnamomi,
Caryophyllorum Aromaticorum,
Corticum Citri recentium ana Drachmas duas:
Inciſis ſuperfundantur
Aceti optimi Unciæ quatuor & viginti.
Poſt triduanam digeſtionem filtretur.

Uſus ejus eſt externus pro Odoramentis & Epithematibus ad Pulſus, reficit atque ſpirituoſis longe præferendum eſt.

ACETUM SATURNINUM *Basil. Valent.*

DECOCTUM SATURNINUM Kleinii.

℞. Lithargyrii ſubtiliter triti Uncias duodecim,
Aceti optimi Uncias triginta & ſex.
Coquantur, lento igne, ad dimidiæ partis conſumtionem, ſub continua cum ſpatula lignea agitatione; liquor filtretur.

Ad Inflammationes, Ulcera maligna exſiccanda & Affluxum Humorum prohibendum applicari ſolet, caute tamen adhibendum eſt, ne uſus ejus externus clanculum interne Phthiſin inducat.

ACETUM SCILLITICUM *Pythagoræ.*

℞. Radicis Scillæ præparatæ & minutim inciſæ Uncias octo,
Aceti optimi Uncias nonaginta ſex.
Digerantur leni calore per octiduum, forti expreſſione coletur Acetum & dein filtretur.

Hoc Medicamentum adhibetur in Pectoris Infarctu viſcido expediendo, Tuſſi difficili, Aſthmate humido; gravitatem Auditus a Pituita ortam Gargariſatione diſcutit, a Drachma una ad Unciam dimidiam exhibeatur. Rarius per ſe præſcribitur, maxime adhibetur ad parandum Oxymel.

ÆRIS FLORES *Basil. Valent.*

℞. Viridis Æris, quantum volueris.

Pulveriſatum diſſolvatur in ſextuplo Aceti deſtillati, diſſolutum filtretur, ad cuticulam evaporetur, & reponatur ut in Cryſtallos concreſcat.

Rarus eſt hujus præparati in Medicina uſus, a Pictoribus & Mechanicis frequentius expetitur, uſus ejus internus ab Helvetio juniore aliisque contra Luem præſertim veneream impenſe commendatus merito penitus rejicitur.

ÆS USTUM *Galeni.*

Æris laminæ ſtratificentur ſive cum Sale marino, ſive cum Sulphure, ſive, præcipiente *Oribaſio*, cum utroque; detineantur in igne ſatis valido per duodecim circiter horas, ſive usque dum laminæ totæ friabiles fiant, quæ deinde in pulverem redigendæ ſunt; qui rufeſcit, ſi Sal communis fuerit adhibitus, nigreſcit autem, ſi Sulphur receptum fuerit.

Uſus externus eſt in Exſiccandis præſertim Ulceribus; medicamentum evidenter Septicum raro hodie uſurpatur.

ÆTHER VITRIOLI.

Videatur Liquor Anodynus.

ÆTHIOPS ANTIMONIALIS *Eller.*

℞. Antimonii in pollinem triti Partes duas,
Mercurii revificati Partem unam:

Terantur in mortario, quod æneum non ſit, usque dum omnes globuli Mercuriales diſparuerint.

Ad Depurandum Sanguinem plurimum valet.

ÆTHIOPS MARTIALIS *Lemery.*

Limatura Martis committitur vaſi ſive vitreo ſive porcellaneo, ſuperfunditur ipſi Aqua, quæ quatuor digitis transverſis

ſuper eam emineat, quotidie ſpatula ferrea agitetur, & quando aquæ volumen imminutum obſervatur, tunc denuo aqua affundenda, ut Ferrum ſemper illo aquæ volumine tectum ſit, quod ſub initium laboris erat adhibitum; poſt elapſum longius temporis intervallum omnem ſplendorem amittet Limatura & in pulverem nigrum redacta erit, qui exſiccatus & ſupra Porphyritem lævigatus aſſervari debet.

Magno hic labore obtinetur Ferrum in tenerrimum pulverem redactum, & omnis rubiginis expers; idem medicamentum acquirimus, quando Limaturam Martis ſupra Porphyritem in pollinem reducimus, eidem deinde aliquot Olei guttas aſpergimus & in Crucibulo ignito Oleum deflagrare facimus, hac ratione redditur Ferro principium inflammabile, quod ſub Præparatione perdiderat, & pulverem nigerrimum ſiſtit.

Ubi Tonico & Aperiente ſcopo Ferrum adhibere volumus, Æthiops Martialis omnibus reliquis præparatis palmam omnino præripit. Datur ad Scrupulum unum pro doſi.

ÆTHIOPS MINERALIS *Mayerne.*

℞. Argenti vivi revificati Partes duas,
Florum Sulphuris Partem unam,

Terantur in mortario lapideo, usque dum omnes globuli Mercuriales diſparuerint.

Eximiæ huic Pulveri Sulphurato Mercuriali adſcribuntur vires in Tumoribus Glandularum Colli, Exulcerationibus antiquis Fiſtuloſis, Scabie ſicca, Febre quartana, & ubi Vermium ſuſpicio eſt; infanti tenero ad Grana tria vel quinque, adultiori ad Scrupulum dimidium datur & per plures dies absque metu Salivationis ejus uſus continuari poteſt.

AGARICUS PRÆPARATUS *Brossard.*

Agaricus Quercus a cortice externo & ſubſtantia fiſtuloſa ſeparatus & diſciſſus malleo ſubjiciatur, usque dum ita molleſcat, ut in fruſta tenuia diſcerpi queat.

Hiſtoriam

Hiſtoriam hujus Medicamenti in Inſt. Mater. Med. p. 415. dedi & monui, quod illi Fomes vulgaris nullo Lixivio ſalino imbutus ſubſtitui poſſit.

ALCAHEST *Glauberi.*

Videatur Nitrum Fixum.

ALOES DEPURATA, LOTA *Galeni.*
EXTRACTUM ALOES AQUOSUM.

Aloës Succotrinæ, q. v. digeratur cum aquæ frigidæ duodecuplo per aliquot dies, liquor decantatus & colatus leni calore in conſiſtentiam Extracti evaporetur.

Si loco aquæ Succi Florum Cordialium recipiuntur, ſurgit ALOES INSUCCATA, ſi Infuſum Florum Roſarum, ALOES ROSATA, cum Infuſo autem Florum Violarum ALOES VIOLATA.

Hoc Medicamentum longe ſecurius, promptius & minori quantitate ſumtum Alvum laxat quam integra Aloës; qua quoque præſtat, quia liberatum eſt à reſinoſa ſubſtantia, Hæmorrhoidalium motuum ſæpius cauſa, qui frequentiorem Aloëticorum uſum ſequuntur. Grana octo ſufficiunt pro Alvo ſtimulanda, pro Laxanda vero vel drachma ſemis dari poteſt. Aloës Inſuccata, Roſata, Violata jure eviluerunt.

ALUMEN SACCHARINUM *Brassavolæ.*

℞. Aluminis crudi Uncias ſex,
Ceruſſæ Venetæ Drachmas ſex,
Vitrioli albi Drachmas tres,
Sacchari albiſſimi Unciam unam ſemis,

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui Albumine ovorum in paſtam reducatur, unde parvi coni efformentur, qui exſiccati charta cœrulea obvolvantur.

Uſus præcipuus eſt in Collyriis & Cosmeticis, Detergit & Carnem luxuriantem aufert.

ALUMEN TINCTUM *Mynsichti*, correctum ab *Helvetio*.

℞. Aluminis rupei Uncias duas:
Fundantur in vaſe ferreo & adjiciatur
Pulveris Sanguinis Draconis Uncia una:
Ex maſſa ſemi refrigerata formentur celeri manu Pilulæ exiguæ.

In ſiſtendis Hæmorrhagiis eximias vires magni Viri inde experti ſunt. Doſis interdum ad dimidiam drachmam usque extenditur.

ALUMEN USTUM *Dioscoridis*.

Alumen vaſi terreo amplo immiſſum committitur fornaci Figuli, dum vaſa argillacea coquuntur. Omni aqua cryſtalliſationis hoc modo privatum, in maſſam levem, ſpongioſam, friabilem abit.

Ad Dentifricia & Carnem luxuriantem abſumendam adhibetur; ſed prior uſus neutiquam commendandus eſſe videtur.

ANTIHECTICUM *Poterii*, BEZOARDICUM ſeu DIAPHORETICUM JOVIALE.

℞. Reguli Antimonii Uncias ſex,
Stanni Anglici uncias duas:
Fundantur in Crucibulo, fluentibus adjiciantur per vices
Nitri puri Unciæ quatuor & viginti:
Edulcoretur Calx cum Aquæ quantitate ſufficiente.

Olim ad moderandos Hecticorum ſudores adhibebatur. Datur ad drachmam ſemis.

ANTIMONII BUTYRUM, CAUSTICUM ANTIMONIALE & CINNABARIS *Basilii Valentini*.

℞. Mercurii ſublimati Uncias quindecim,
Antimonii crudi Uncias ſex.

Probe conterantur per plures horas, immittantur dein Retortæ, quæ elapſis aliquot diebus Balneo arenæ committatur,

ſubminiſtretur calor, prodibit in præpoſitum Retortæ Excipulum liquor ſpiſſior, quem BUTYRUM ANTIMONII appellant, hic cum omnis prodierit, intendatur ignis ad ſummum usque & ſuſtineatur per aliquot horas; ex refrigerata dein Retorta auferatur CINNABARIS, quæ hac ratione ſurrexit, illa in pulverem redacta denuo ex Cucurbita ſublimetur.

Butyrum a Chirurgis loco Cauterii adhibetur. Cinnabari ſpecifica virtus Antepileptica & Antiſpasmodica adſcribitur, maxime ab HOFFMANNO *Diſſ. de Cinnabare Antimonii; à vulgari factitia plane non differre oſtendi Inſtit. Chem. Experim. 83. Doſis ad Scrupulum unum extenditur.*

ANTIMONII CLYSSUS *Glauberi.*

℞. Nitri Uncias viginti quatuor,
Antimonii Uncias duodecim,
Sulphuris Uncias tres:

Probe miſceantur & pulveriſentur, eorum Drachmæ circiter duæ ingerantur Retortæ ferreæ tubulatæ in igne aperto candenti, & cui ope Argillæ Excipulum peramplum ſit junctum; pulvere ingeſto, ſtatim operculum orificio tubi exactiſſime applicandum eſt, nec nova portio ingerenda, antequam detonatio tota ceſſaverit, liquor ex vaporibus ſub qualibet detonatione in Excipulum prorumpentibus ſurrectus aſſervetur.

In Siti & Calore nimiis extinguendis laudatur, in Febribus etiam malignis, loco Spiritus Vitrioli, potui ordinario & Julapiis additur. Medicamento minus grato, & quod neutiquam tanquam purum acidum conſiderari poteſt, prudenter hodie Spiritus Vitrioli ſubſtituitur.

ANTIMONII HEPAR.

Videatur Crocus Metallorum.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.
PULVIS ANTIMONII ALBUS *Basil. Valentini.*
CALX ANTIMONII LOTA *Suecorum.*

℞. Antimonii crudi partem unam,

Nitri depurati partes duas.

Exacte mixta immittantur per vices Crucibulo candenti, ea lege, ut qualibet vice nonniſi Drachmæ circiter duæ detonent, omnis materies ubi detonavit, ſpatula ferrea agitetur, & immittatur aquæ; hæc inde defundatur, & nova affundatur usque dum pulvis albus plane fuerit edulcoratus, qui exſiccatus aſſervetur.

Aqua ad edulcorationem adhibita juſta ratione in cryſtallos coacta *Salem Polychreſtum* largitur. Aquæ, in qua candens Antimonium Diaphoreticum fuit extinctum, ſi adjicitur Acetum, ſecedit ad fundum pulvis albus, quem MATERIEM PERLATAM KRUGNERI appellare ſolent. Si tres Nitri partes ad unam Antimonii fuerint receptæ, ex aqua ad edulcorationem adhibita recuperatur Nitrum, quod ſub labore non deſtructum fuit, illud NITRUM ANTIMONIATUM, NITRUM ANODYNUM, ANODYNUM MINERALE appellant.

Antimonio Diaphoretico adſcribuntur vires Abſorbentes, Alexipharmacæ, Diapnoicæ, Sanguinem depurantes, datur a Granis quindecim ad Drachmam dimidiam in Febribus cujuscunque generis, Conſ. Inſtit. Chem. Exper. 93. NITRUM ANTIMONIATUM omnino Calcem Antimonii vehit; obſervat Vener. TRILLER illud frequentiori in uſu HOFFMANNO fuiſſe. Fateor me ſemper malle Nitrum depuratum, quam Antimoniatum, ex quo vel ſolum Acidum Vegetabile rodentem ſpiritum expellit, exhibere.

ANTIMONIUM PRÆPARATUM.

Antimonium crudum lævigetur ſupra Porphyritem, immittatur tunc vitro cylindraceo, ipſi larga aquæ quantitas adjiciatur & cum ea probe agitetur, aqua turbata decantetur, cum reſiduo pulvere nova Aqua eadem ratione tractetur, pollen in aquis decantatis ſubſidens, exſiccatum aſſervetur.

Hac elutriatione & tenerrimum & ab omnibus partibus heterogeneis liberum Antimonium obtinetur.

ANTIQUARTIUM *RIVERII.*

Videatur Panacea Mercurialis.

APOZEMATA *vide* DECOCTA.

AQUÆ DESTILLATÆ SIMPLICES.

Parantur, dum Vegetabili qualicunque comminuto & Veſicæ immiſſo adfunditur Aqua ad eminentiam aliquot digitorum, & inde duo trientes deſtillantur. Circa has Aquas ſequentia notanda ſunt:

1) Minus bene a corporibus inodoris Aqua deſtillatur, licet enim illa quasdam inde recipiat mucilaginoſas aut gelatinoſas partes, tamen hæ adeo parcæ ſunt, ut nequaquam aliquem effectum edere queant; aqua nil inde acquirit præter ſaporem & odorem minus gratum, qui autem inde, dum Aëri exponuntur in vaſis apertis, miteſcunt.

2) Vegetabilia, quorum odor exſiccatione perit, omnino recentia debent adhiberi.

3) Optimum eſt in Officinis eas præcipue Aquas ſimplices deſtillatas aſſervari, quæ ſub deſtillatione Oleorum prodierunt; aut a Floribus odoratis, quamvis nullum Oleum largientibus, obtinendas, ſed hi ſemper recentiſſimi adhibendi ſunt.

4) Ex tempore quævis Aqua deſtillata efficax parari poteſt, quando Aquæ communis deſtillatæ Unciis duodecim adjicitur Uncia dimidia Spiritus vini, in quo tres vel quatuor Guttæ deſtillati Olei, cujus odorem Aqua habere debet, fuerint diſſolutæ.

5) Si loco Aquæ, Vinum à Vegetabilibus abſtrahitur, liquor AQUA VINOSA dicitur, hic & 4. locum quoque habet, ſi loco dimidiæ Unciæ Spiritus Vini ejus Unciæ duæ recipiuntur.

AQUA ABSYNTHII COMPOSITA *Edinburg. prior. edit.*

℞. Radicum Calami Aromatici,
Galangæ,
Zedoariæ ana Uncias duas,
Corticum recentium Aurantiorum,
Cinnamomi ana Uncias quatuor,

Herbarum Abſynthii vulgaris Uncias ſex,
Menthæ,
Salviæ ana Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Nucis Moſchatæ ana Unciam unam,
Macis Unciam ſemis:
Inciſis & contuſis affundantur
Spiritus vini trecentæ quinquaginta ſex Unciæ:
Inſtituatur ſecundum artem Deſtillatio.

Minus bene hoc medicamentum Aqua dicitur, cum Spiritibus omnino accenſendum ſit, nec ab Abſynthio debuiſſet denominari; reliqua enim ingredientia æque ac Abſynthium ad ejus efficaciam faciunt. Egregium Stomachicum eſſe dicitur in Anorexia, Nauſea, Vomitu, Bradypepſia, & aliis ſupini Ventriculi affectibus languidis; egregium etiam Anticolicum & Carminativum eſſe, inprimis ſi à cauſa frigida Colica flatulenta nata fuerit; neque minus fœminis Hyſtericis prodeſſe, in pacandis rebellis Uteri turbis, item pallentibus ex Chloroſi puellis, inſignem quoque uſum Anthelminticum præſtare, commode tandem ad morbos ſeroſos, Hydropem, Febres intermittentes, maxime Quartanam poſſe adhiberi. Dari poteſt parvum cochlear in vehiculo aquoſo.

AQUA ACUSTICA *Ludovici.*

℞. Radicum Leviſtici,
Valerianæ,
Herbæ Rorismarini,
Florum Lavendulæ ana Unciam ſemis,
Baccarum Lauri,
Caſtorei,
Camphoræ ana Drachmas duas,
Spiritus Juniperi Uncias duodecim:
Inciſa, contuſa macerentur per quatriduum, tunc addantur
Spiritus Salis Ammoniaci Uncia ſemis,
Olei Juniperi Drachma ſemis:
Omnia probe mixta aſſerventur uſui.

Hujus Spiritus una aut altera gutta Goſſypio excepta immittitur Auri, cujus Meatus auditorius obſtructus aut Tympanum relaxatum eſt.

AQUA ALEXITERIA *Londinenſium.*

℞. Foliorum Menthæ recentium Uncias duas cum dimidia,
Summitatum Abſynthii Pontici recentium,
Radicum Angelicæ recentium ana Uncias duas,
Aquæ uncias ſeptuaginta.
Fiat ſecundum artem Deſtillatio.
Pro SPIRITUOSA addantur ante Deſtillationem
Spiritus vini Unciæ triginta cum duabus.
SPIRITUOSÆ Unciis ſedecim ſi adjiciuntur
Aceti Unciæ duæ,
Surgit AQUA ALEXITERIA SPIRITUOSA cum ACETO.

Scopo Alexipharmaco & Sudorifero hæ Aquæ cochleatim exhibentur.

AQUA ALUMINOSA *Fallopii.*

℞. Aquarum deſtillatarum Roſarum,
Scordii ana Uncias duodecim,
Aluminis crudi,
Mercurii ſublimati ana Drachmas duas.
Diſſolutis per ebullitionem Salibus, filtretur liquor.

Ad Ulcera Cacoëthea & Venerea mundanda adhibetur.

AQUA ALUMINOSA *Pariſ.*

℞. Aquarum deſtillatarum Roſarum,
Plantaginis ana Uncias viginti quatuor,
Aluminis Drachmas tres.
Miſceantur.

Ad Sanguinem ſiſtendum extus adhibetur.

AQUA ANHALTINA *Schrœderi.*

℞. Ligni Aloës Drachmas tres,
Croci Orientalis Drachmas duas cum dimidia,
Caryophyllorum Aromaticorum,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum,
Cinnamomi ana Drachmas ſex,
Baccarum Lauri,
Seminis Fœniculi ana Unciam ſemis,
Olibani electi Unciam unam:

Inciſa, contuſa infundantur per aliquot dies, cum
Spiritus Vini Unciis ſexaginta.

Addantur
Terebinthinæ Unciæ ſex.

Inſtituatur Deſtillatio, Oleo ablato ſervetur liquor, in quo ſuſpendantur, ſi placet
Moſchi in petia ligati Grana quindecim.

Vulgo huic medicamento inſignes adſcribuntur vires in Ventriculo roborando, Colica flatulenta & Urina pellenda; ſed caute adhibendum eſt, ne Sanguis inde nimis commoveatur; Externus uſus frequentior eſt, cum Ventriculo applicatum Vomitum ſiſtat, & ad roboranda membra Paralyſi debilitata valere, ſit obſervatum. Terebinthinæ Oleum, quo hoc medicamentum ſcatet, ejus uſum internum nimis exæſtuantem, externum vero nauſeoſum reddit.

AQUA ANODYNA *Pragenſium* correcta.

℞. Spiritus Salis Ammoniaci vinoſi Uncias ſex,
Eſſentiæ Croci Unciam unam,
Olei deſtillati Lavendulæ Drachmam ſemis.

In doloribus Arthriticis & Rheumaticis aliisque ex ſtagnantibus humoribus viſcidis acribusque obortis commodum uſum Paregoricum & Anodynum præſtare refert & aſſeverat TRILLERUS*; addens*

dens, Dolores externos vel acerrimos inde conſopitos fuiſſe, ſe aliquoties expertum, lætum adhuc recordari.

AQUA APOPLECTICA *Langii* correcta.

℞. Radicum Calami aromatici,
Ireos,
Ariſtolochiæ rotundæ ana Unciam unam ſemis,
Herbarum Majoranæ,
Chamæpityos,
Roriſmarini,
Florum Primulæ Veris ana Manipulum unum,
Seminis Sileris montani,
Fœniculi ana Drachmam unam ſemis,
Cubebarum,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum ana Drachmas tres.
Cinnamomi,
Ligni Aloës ana Drachmas duas,
Piperis longi,
Sagapeni,
Opoponacis,
Myrrhæ,
Gummi Juniperi ana Drachmam unam ſemis,
Aquarum florum Paralyſeos,
Tiliæ,
Salviæ ana Uncias octodecim.

Inciſa, contuſa ſtent in Infuſione per dies octo, poſtea Deſtillentur.

Laudatur ad Prophylaxin Apoplexiæ & curandas Paralyſes, in eo certe reliquis Aquis apoplecticis præferenda, quod, cum ſpirituoſa non ſit, Sanguinem minus commoveat, minusque adeo morbum, cui arcendo deſtinatur, provocet. Datur per Cochlearia.

AQUA AROMATICA *Danica.*

℞. Herbæ Menthæ Piperitidis Uncias tres,
Cinnamomi Uncias duas,
Flavedinis Corticum Citri Unciam unam,
Macis Semunciam,
Seminis Angelicæ Unciam unam,
Spiritus Vini centum quadraginta quatuor Uncias.
Inſtituatur Deſtillatio.

Spiritus hic Aromaticus in Debilitate Primarum viarum exhiberi poterit. Doſis eſt parvum Cochlear.

AQUA ASTHMATICA *Auguſtanorum* correcta à *Kleinio.*

℞. Radicum Enulæ Uncias duas,
Ireos Florentinæ Unciam unam cum dimidia,
Herbarum Hyſſopi,
Rorismarini,
Mari veri ana Unciam unam,
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Cinnamomi ana Unciam ſemis,
Cardamomi minoris Drachmas duas,
Croci Scrupulos duos,
Spiritus Vini Uncias duodecim,
Aquæ Hyſſopi cohobatæ Uncias viginti quatuor.
Digeſta per triduum Deſtillentur.

Ad Aſthma ſeroſum & pituitoſum laudatur, ſenibus maxime commendatur. Datur per Cochlearia.

AQUA BALSAMI EMBRYONUM *Auguſtanorum* correcta, *à Pharmacopœa Auſtriaco-Provinciali.*

℞. Radicum Pœoniæ,
Zedoariæ,
Zinziberis ana Uncias duas,
Galangæ Drachmas ſex,

Herbarum Salviæ,
Meliſſæ,
Fœniculi,
Menthæ ana Uncias tres,
Florum Tunicæ,
Tiliæ ana Uncias ſex,
Lavendulæ,
Nucis Moſchatæ ana Uncias tres,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Cubebarum,
Granorum Paradiſi,
Macis ana Uncias duas:
Inciſa, contuſa infundantur per aliquot dies cum
Spiritus Vini Unciis quadraginta quatuor,
Aquæ fontanæ Unciis ducentis quadraginta.
Dehinc Deſtillentur inde Liquoris Unciæ centum nonaginta duæ.

Peſſime hæc Aqua contra Abortum exhibetur, quippe quem, cum Sanguinem commoveat, promovere potius, quam arcere valebit; ſcopo Carminativo potius, monentibus TRILLERO *&* SCHULTZ, *ad duo Cochlearia pro doſi datur; extus quoque cum cruſta panis calida Abdomini imponitur.*

AQUA BENEDICTA *Rulandi*, VINUM ANTIMONIATUM *Huxhami*, ESSENTIA ANTIMONII *Ejusdem*, VINUM EMETICUM *vulgo*.

℞. Vitri Antimonii Uncia una.

Redigatur in pulverem, infundatur frigide per duodecim dies cum Vini Hiſpanici aut Maderaici Unciis viginti quatuor, agitentur aliquoties de die; Liquor clarus filtretur charta bibula.

Illuſtris HUXHAM *hoc Præparatum antimoniale reliquis omnibus anteponit; ejus Unciam unam aut duas valide Vomitum movere, Drachmas duas aut tres lenem modo Vomitum, ſubinde*

unamque ac alteram Alvi dejectionem, quoque Sudorem excitare, a triginta ad ſexaginta vel octoginta Guttulas datum Alterare, Diaphoreſin & omnes Se- & Excretiones promovere obſervat.

AQUA CALCIS.

Calcis vivæ uni parti
affundantur gradatim
Aquæ fontanæ partes decem:
Finita ebullitione, Aqua cum Calce probe agitetur, charta filtretur & in vitro probe clauſo aſſervetur.

Hujus Medicamenti uſus plerumque externus eſt ad Inflammationes, Ambuſta, Ulcera & id genus affectiones. Interne in frigidis morbis, Chronicis inprimis, Unciæ quatuor bis de die propinantur, ſcopo Siccandi & Detergendi: egregias ipſi virtutes Diaphoreticas, Nephriticas, Anthelminticas & potiſſimum Lithontripticas tribuunt Alston *in ſingulari Diſſertatione, quem ſtrenue ſequitur* Robertus Whytt *in propria Diſſertatione & alii egregii Medici.*

AQUA CALCIS COMPOSITA *Londinenſium.*

℞. Ligni Quajaci Uncias ſex,
Corticis Ligni Saſſafras Unciam ſemis,
Radicis Liquiritiæ Unciam unam,
Seminis Coriandri Drachmas tres.
Inciſa macerentur per biduum cum
Aquæ Calcis vivæ Unciis duabus & ſeptuaginta: colentur.

Ad Acrimonias varias humorum corrigendas adhibetur. Aliquot Cyathi bibantur de die.

AQUA CAPONIS FLORENTINORUM correcta.

Capo eviſceratus in fruſta diſſectus coquatur leni igne cum Aqua, usque dum caro oſſa relinquat; Unciis duodecim hujus juſculi, ablata ante omni ſupernatante pinguedine adjiciantur.

Aquarum Roſarum Unciæ duodecim,
Cinnamomi Unciæ duæ.

Miſceantur.

Potentiores ſane hæc Aqua vires Analepticas edet, quam Aquæ Caponis deſtillatæ, quales vulgo in Diſpenſatoriis præſcribuntur. Si quos odor Aquæ Roſarum offenderit, Aquam Rubi Idæi aut aliam odoratam recipiant.

AQUA CARBUNCULI *Schroederi* correcta.

℞. Herbarum Majoranæ,
Salviæ ana Unciam unam ſemis,
Rorismarini Unciam unam,
Florum Lavendulæ Uncias quatuor,
Liliorum Convallium,
Roſarum,
Cinnamomi,
Cardamomi minoris ana Unciam unam,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Caryophyllorum ana Unciam ſemis,
Zinziberis,
Galangæ,
Baccarum Juniperi ana Drachmas tres,
Spiritus Vini rectificati Uncias duodecim,
Aquarum Rubi Idæi,
Lavendulæ ana Uncias triginta ſex:

Inciſa & contuſa Infundantur per octiduum; deinde Deſtillentur ad dimidias. Liquori deſtillato commiſceantur quædam folia Auri.

Extus ad Epithemata Cordis & Pulſuum adhibetur; ad Fœtum roborandum gravidarum Abdomini cum Aqua Balſami Embryonum imponitur. Nomen inde habere dicitur, quod Carbunculos & Bubones Peſtilentiales expellat, & retroceſſionem eorum inhibeat. Cum Sanguinem exæſtuantia in Peſte quoque pernicioſa eſſe hodie evictum ſit, internus hujus Aquæ uſus eviluit.

AQUA CARMELITARUM, MELISSÆ COMPOSITA *Lemery* correcta.

℞. Summitatum Meliſſæ recentis Uncias duodecim,
Flavedinis recentis Corticum Citri Uncias duas,
Nucum Moſchatarum Unciam unam,
Seminis Coriandri Uncias quatuor,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cinnamomi ana Unciam unam,
Radicum Angelicæ Unciam ſemis,
Spiritus Vini rectificati Uncias ſexaginta quatuor.

Inciſa, contuſa Infundantur per aliquot dies, dein Deſtillentur leni calore octo & quadraginta Unciæ.

Ejus doſis ſi quidem intus Roborandi ſcopo datur, nunquam ultra parvum Cochlear debet extendi; Cephalicæ inde, Analepticæ & Roborantes vires expectantur, ſed crebrius externe ſcopo Excitandi, Roborandi, Diſcutiendi adhibetur.

AQUA CARMINATIVA *Dornkrellii.*

℞. Florum Chamomillæ Romanæ Uncias octodecim.
Infundantur in
Aquæ Chamomillæ Unciis centum quadraginta
per octiduum; exprimantur forti expreſſione; Liquori expreſſo addantur:
Herbarum Abſynthii Pontici,
Pulegii,
Origani,
Summitatum Centaurei minoris ana Drachmæ duæ,
Seminis Anethi Unciæ duæ,
Aniſi,
Fœniculi ana Uncia una,
Carvi Uncia ſemis,
Baccarum Juniperi,
Lauri,
Calami Aromatici,

Zedoariæ ana Drachmæ duæ,
Cinnamomi Uncia ſemis.
Inciſa & contuſa Infundantur in Spiritus Vini centum nonaginta & duabus Unciis; inſtituatur Deſtillatio.

AQUA CARMINATIVA *Regis Boruſſiæ* FRIDERICI *I.*

℞. Flavedinis Aurantiorum Chinenſium recentium,
Citri recentis ana Uncias duas,
Salis Tartari Drachmam unam.
Infundantur cum
Vini Tokavienſis Unciis viginti quatuor
per aliquot dies, deinde Deſtilletur Spiritus, qui Edulcoretur
Julepi Roſarum Uncia una.

AQUA CARMINATIVA VULGARIS *Auſtriacorum.*

℞. Herbarum Abſynthii Pontici,
Menthæ criſpæ,
Pulegii,
Origani ana Unciam unam ſemis,
Florum Chamomillæ Romanæ Uncias duodecim,
Corticum Aurantiorum,
Citri,
Seminum Coriandri,
Carvi ana Unciam unam ſemis,
Anethi Uncias duas,
Aniſi,
Fœniculi ana Unciam unam:
Inciſa & contuſa Infundantur per duodecim horas in Aquæ fontanæ Unciis centum nonaginta & duabus. Abſtrahatur inde medietas.

Harum Aquarum vires nomine patent, cavendum ne Spiritus in Colicis ſanguineis exhibeantur; Auſtriaca per Cyathos hauriri poteſt.

AQUA CONTRA CARIEM *Plenck.*

℞. Aquæ Calcis vivæ Uncias duas,
Mercurii in pari ſui ponderis parte Aquæ fortis diſſoluti Drachmam unam.
Miſceantur.

Vires ex nomine patent, adhibetur teſte Cl. Plenck *etiam contra Ulcera Phagadenica.*

AQUA CATAPULTARUM.

Videatur Aqua Vulneraria.

AQUA CINNAMOMI CYDONIATA *Hamburgenſium.*

℞. Cinnamomi Uncias quatuor.
Infundantur per triduum cum
Succi Cydoniorum Unciis octo & quadraginta.
Abſtrahantur Liquoris Unciæ triginta ſex.

Si loco Cydoniorum recipitur Aqua Florum Bugloſſi, ſurgit AQUA CINNAMOMI BUGLOSSATA Mynsichti; ſi ſumuntur Aquæ quatuor Cordiales, Liquor prolectus dicitur AQUA CINNAMOMI CORDIALIS *Recent.* cum Decocto Hordei obtinetur AQUA CINNAMOMI HORDEATA *Pharm. Bat.* cum Aqua Ceraſorum nigrorum AQUA CINNAMOMI SINE VINO *Leidenſ.* cum Aqua fontana AQUA CINNAMOMI SIMPLEX *Londinenſ.* & *Danorum*, Vulgaris *Auſtriacorum.*

AQUA CINNAMOMI cum VINO *Colonienſium.*

℞. Cinnamomi craſſiuscule contuſi Uncias ſex,
Vini generoſi Uncias octodecim.
Poſt Digeſtionem aliquot dierum inſtituatur Deſtillatio, quamdiu Liquor lactei coloris prodit.

Hæ Aquæ propter gratum præcipue ſaporem commendabiles, Analepticæ & Stomachicæ ſunt, ideo in morbis à cauſa præſertim frigida oriundis & Debilitatem corporis inducentibus nec non ad fractas Vires erigendas commode exhibentur.

AQUA

AQUA COLONIENSIS.

℞. Spirituum Vini rectificati Uncias ſeptuaginta & duas,
Rorismarini Uncias octodecim,
Aquæ Carmelitarum Uncias duodecim,
Oleorum Bergamotti Unciam unam,
Citri drachmas duas,
Neroli,
Rorismarini ana Drachmam unam,
Probe mixta Deſtillentur.
Convenit ratione virium cum Aqua Carmelitarum.

AQUA CONFORTATIVA ſive PERLATA *Auguſtanorum.*

℞. Aquarum Ceraſorum Uncias novem,
Tiliæ Uncias tres,
Cinnamomi Vinoſæ Drachmas ſex,
Margaritarum Occidentalium præparatarum Scrupulum unum,
Coralliorum alborum præparatorum Drachmam ſemis,
Cornu Cervi uſti præparati Scrupulos duos,
Julepi Roſati ſesqui Unciam.
Miſceantur.
Infantibus & aliis, qui medicamenta reformidant, ſolet offerri ab Uncia dimidia ad integram. Julepus demum uſus tempore debet adjici.

AQUA CORNU CERVI CITRATA *Waldschmidii* correcta.

℞. Raſuræ Cornu Cervi Uncias ſex,
Pomorum Citri cum corticibus inciſorum Numero quatuor.
Coquantur cum Aquæ fontanæ Unciis quatuor & quadraginta ad remanentiam quatuor & viginti, filtratis addantur
Aquarum Roſarum,
Meliſſæ,
Scordii ana Unciæ octodecim.
Analeptica & Alexipharmaca prædicatur.

AQUA DIVINA MIRABILIS *Pariſienſium* correcta à *Beaumé.*

℞. Spiritus Vini rectificati Uncias ſexaginta & quatuor,
Quintarum Eſſentiarum Citri,
Bergamotti ana Drachmam unam,
Aquæ Florum Aurantiorum Uncias octo:
Deſtilletur Spiritus & probe miſceatur cum
Sacchari Unciis triginta & duabus, diſſolutis in
Aquæ Unciis centum viginti & octo.
Filtretur per chartam emporeticam.

Aquæ Divinæ denominatio multum ambigui habet, ipſam Phagedænicam quoque hoc nomine comprehendunt, noſtra verum Claretum eſt, quod virtutem Analepticam, Cordiacam, Stomachicam, Carminativam habet. Datur ad Uncias duas.

AQUA EPILEPTICA *Langii.*

℞. Florum Recentium Liliorum Convallium Uncias ſex,
Lavendulæ Unciam unam,
Rorismarini,
Stœchadis Arabicæ ana Unciam ſemis,
Cinnamomi Drachmas ſex,
Nucum Moſchatarum Unciam ſemis,
Piperis longi,
Cubebarum ana Drachmas duas,
Viſci Querni,
Radicum Pæoniæ,
Fraxinellæ ana Unciam ſemis,
Macerata in Vini generoſi Libris octo per triduum, Deſtillentur ad dimidias.

Ad Epilepſiam, Vertiginem & Apoplexiam tum arcendas quam pellendas, in ipſo paroxysmo, vulgo commendari ſolet. Quid vero in his morbis hæc Aqua, quippe Aromatica, efficere poſſit, dijudicatu proclive eſt.

AQUA FLORUM OMNIUM *Batean.*
AQUA FIMI *Fuller.*

℞. Stercoris Vaccini Uncias quinquaginta.

Includantur ſacco linteo, qui committatur Veſicæ centum quinquaginta libras Aquæ continenti, Deſtillatione eliciantur Aquæ Unciæ ſeptuaginta quinque.

Ad Arthritidem, Colicam, Calculum & Urinæ ſuppreſſionem laudatur, externe inter Cosmetica numeratur, ſed ſub hoc florido omnium Florum velamento nihil niſi fatuam fatuorum Aquam latere prudenter monet Ven. Triller. *Ipſa Vaccarum urina aliquando ſub titulo* Eau de Millefleurs *maximis encomiis celebrabatur.*

AQUA FOETIDA *Pragenſium.*

℞. Radicum Pœoniæ Unciam ſemis,
Dictamni albi Drachmas duas,
Leviſtici Unciam ſemis,
Zedoariæ Drachmas tres,
Herbarum Matricariæ,
Artemiſiæ,
Menthæ ana Manipulum unum,
Rutæ Manipulos duos,
Florum Chamomillæ,
Sambuci,
Anthos,
Liliorum Convallium,
Primulæ veris ana Pugillos duos,
Seminum Pœoniæ,
Sileris Montani ana Unciam ſemis,
Cinnamomi Drachmas tres,
Galangæ minoris Uncias tres,
Cubebarum,
Macis ana Drachmas duas,
Galbani,

Aſæ fœtidæ ana Uncias tres,
Myrrhæ electæ Unciam ſemis,
Caſtorei Moſcovitici Uncias duas:
Inciſa groſſo modo & contuſa infundantur in
Vini albi generoſi Unciis centum & viginti,
Aquæ Matricariæ Unciis viginti quatuor:
Deſtillentur lege artis.

Trillerus Aquam hanc eximii plane uſus eſſe affirmat in affectibus Hyſtericis & quibuscunque ſimilibus, paſſim tam inquam externe adhiberi ad avertendos aut interrumpendos paroxysmos, conducere etiam in aliis affectibus Torminoſis, Colicis ac Flatulentiis a Stomacho vel Digeſtionis vitiis oriundis. Ad ſemicochlear & ultra propina.

AQUA FORTIS *Geberi.*

℞. Nitri depurati Libras tres,
Vitrioli viridis calcinati Libram unam:
In pulverem redacta probe miſceantur & Deſtillentur ex Retorta terrea ſeu vitrea loricata in excipulum, cui prius Aquæ Libra una ſemis fuerit immiſſa.

Nunquam in uſus medicatos recipitur; ſed aliorum Medicamentorum præparationi inſervit.

Pharmacopolæ a propriis, quos Laboranten *vocant, artificibus fere ſibi comparant Aquam fortem. Quæ vero cum & Vitriolico & Salis communis Acido vulgo ſit contaminata, inſtillanda ei eſt ſolutio Argenti usque dum amplius non turbetur. Dicitur tunc* Aqua fortis Præcipitata *& eſt Acidum Nitri puriſſimum.*

AQUA FORTIS MERCURIALIS *Plenckii.*

Videatur Aqua contra Cariem.

AQUA ad GINGIVAS *Pariſienſium* correcta.

℞. Aluminis Rupei Unciam ſemis,
Diſſolvatur in

Aquæ ebullientis Unciis triginta:
Refrigeratæ ſolutioni addantur
Oleorum deſtillatorum Cinnamomi Guttæ ſex,
Caryophyllorum Guttæ duæ,
Quintæ Eſſentiæ Citri Guttæ decem:
Diſſolutæ in
Spiritus Vini rectificati Unciis ſex,
Aquæ Florum Aurantiorum Uncia una
Filtrentur.

Gingivæ Roborandi ergo hac Aqua colluuntur.

AQUA GRYSEA *Gohlii.*

℞. Mercurii vivi,
Aquæ Fortis ana Unciam unam:
Diſſolutis affundantur
Radicis Chelidoniæ majoris Uncia ſemis,
Herbarum Ejusdem,
Solani,
Ariſtolochiæ,
Florum Roſarum pallidarum ana Manipulus unus,
Cum Aqua Unciis centum & viginti ad remanentiam Unciarum nonaginta & ſex decoctæ & colatæ.

Hanc Aquam ad Ulcera Phagedænica & Synoviam curandam facere obſervatur in Act. Med. Berol. D. 1. Vol. 3. p. 86. antequam in uſum trahatur, ſemper eſt agitanda, ut pulvis ad fundum hærens in ipſa ſuſpendatur. Hanc Aquam cum Liquore Bellostii *convenire Cl. Klein in Select. Medicaminum p. 14. annotat.*

AQUA HIRUNDINUM *Auguſtanorum.*

℞. Pullorum Hirundinum diſſectorum Numero triginta,
Viſci Querni,
Radicis Pœoniæ ana Unciam unam ſemis,
Seminis Ejusdem Unciam unam,
Florum Liliorum Convallium recentium Uncias quatuor,

Florum Sambuci Unciam unam ſemis,
Aquæ fontanæ Uncias centum & viginti.
Deſtillentur ad dimidias.

Vires Analepticæ & Hyſtericæ huic Aquæ adſcribuntur. Ad Drachmas ſex præſcribi ſolet. Prudentiores Medici ridiculam fatuam, nulliusque plane pretii & uſus eſſe aſſerunt.

AQUA HIRUNDINUM cum CASTOREO *Cullmanni.*

℞. Pullorum Hirundinum vivorum in partes diſſectorum Numero quadraginta,
Herbæ Rutæ hortenſis Uncias duas,
Caſtorei optimi Unciam unam,
Vini albi Uncias nonaginta & ſex:
Deſtillentur ex veſica ad dimidias.

Gesner Epiſt. L. I. p. 486. huic Aquæ vires Antepilepticas & Hyſtericas adſcribit. Datur ad Unciam unam.

AQUA HUNGARICA ſive REGINÆ HUNGARIÆ.

℞. Ramorum Rorismarini cum Foliis & Floribus Uncias quadraginta & octo,
Spiritus Vini Uncias centum quatuor & quadraginta.
Deſtillentur usque dum Phlegma apparuerit.

Convenit cum Aqua Carmelitarum; uſus externus eſt ad Decubitum humorum, Contuſiones &c.

AQUA LAXATIVA ANGELICA *Viennenſium, Auſtriaco-Provinciali* correcta.

℞. Cremoris Tartari Drachmas duas:
Diſſolvantur in
Aquæ ebullientis Unciis octo:
Diſſolutis ſolvantur
Mannæ electæ Unciæ duæ,
Salis Vegetabilis Drachma una ſemis,

Succus Pomi Citri unius.
Infundantur fervide in vaſe clauſo ſuper corticibus ejusdem pomi.
Liquor Albumine Ovorum clarificatus filtretur.
Medicamentum eccoproticum una doſi hauriendum.

AQUA LAXATIVA *Viennenſium.*

℞. Foliorum Sennæ ſine ſtipitibus Drachmas ſex,
Paſſularum minorum Drachmas tres,
Radicum Polypodii Scrupulos duos,
Seminis Coriandri Drachmam ſemis,
Cremoris Tartari Drachmam unam:
Inciſa & contuſa coquantur cum Aquæ fontanæ Unciis decem, ad remanentiam Unciarum ſex, in Colatura diſſolvantur
Mannæ Sicilienſis Unciæ duæ.
Clarificentur.
Fortius Alvum ducit.
Hæ duæ Aquæ mora corrumpuntur, & non niſi uſus tempore parandæ ſunt.

AQUA *Lucæ.*

Videatur Spiritus Salis Ammoniaci Succinatus.

AQUA MAGNANIMITATIS *Kunrath.*

℞. Spirituum Formicarum Uncias ſexaginta,
Meliſſæ Uncias quadraginta octo,
Flavedinis Corticum Citri Unciam ſemis,
Cinnamomi Drachmas tres,
Caryophyllorum Unciam unam,
Cardamomi,
Cubebarum aná Drachmas tres,
Zedoariæ Unciam unam,
Maſtichis,
Styracis Calamitæ,
Benzoës ana Unciam unam ſemis.
Stent in Digeſtione per octiduum, poſtea lege artis Deſtillentur.

Abſurde profecto Magnanimitatis nomen huic Aquæ imponitur, aut inde quod vel Audaciam vel Venerem ſit auctura expectatur; Nervinas, Analepticas, Cardiacas, Cephalicas ac Stomachicas videtur polliceri & ad Atrophiam, Arthritidem vagam, dolores Iſchiadicos, Spasmos, Paralyſin aliosque id genus affectus laudatur.

AQUA MASTICHINA *Auguſtanorum* correcta.

℞. Maſtichis electæ Uncias quatuor,
Nucum Moſchatarum Unciam unam:
Contuſis affundantur
Spiritus Vini rectificati Unciæ duodecim:
Stent in Digeſtione per triduum, tunc adjiciantur
Aquæ fontanæ Unciæ octo & quadraginta.
Deſtillentur inde Unciæ triginta ſex.

Hæc Aqua vires Stomachum confortantes poſſidet, & in Singultu, Ciborum faſtidio, Flatulentia, Diarrhœa & Vomitu commendatur, Doſis ejus ad Unciam unam aſcendit.

AQUA MELLIS ANDERNACI.

℞. Mellis optimi, quantum vis
Ex Cucurbita inde Deſtilletur Phlegma.

Laudatur ad promovendum incrementum Capillorum.

AQUA MELLIS ODORATA REGIA *Pariſienſium* correcta à *Beaumé.*

℞. Seminis Coriandri Uncias octo,
Flavedinis corticum Citri recentium Unciam unam,
Nucum Moſchatarum,
Styracis Calamitæ,
Benzoës ana Unciam dimidiam,
Vanigliarum Drachmas tres:
Inciſa contuſa infundantur per nycthemerum cum
Spiritus Vini rectificati Unciis quadraginta octo:

Fiat

Fiat ſecundum Artem Deſtillatio; Spiritui deſtillato addantur, ſi placet, uſus tempore
Tincturæ Moſchi,
Ambra ana parum,
Analeptico, Cephalico, Nervino, Cardiaco & Paregorico fine laudatur. Cosmetico ſcopo præcipue uſurpatur.

Egregias hæc Aqua & odore ac ſapore perquam grata & amœna vires exſerit Analepticas, Nervinas, Cephalicas, Cardiacas, Stomachicas, Carminativas, Hyſtericas. Panno aut pane excepta, Stomachique regioni extus applicata Anthelminticas quoque edere dicitur. Alvi fluxum blande ſiſtit, Vomitus compeſcit, ructuoſosque Singultus cohibet. Trillero *Aqua hæc polychreſta eſt. Datur intus ad Unciam ſemis.*

AQUA MELISSÆ COMPOSITA.

Videatur Aqua Carmelitarum.

AQUA MENTHÆ COMPOSITA *Pariſienſium.*

℞. Herbarum recentium Menthæ Uncias viginti quatuor,
Abſynthii Uncias tres,
Ocymi,
Pulegii ana Uncias duas,
Rorismarini,
Florum Lavendulæ ana Drachmas duas,
Cinnamomi Unciam ſemis,
Caryophyllorum,
Seminis Coriandri ana Drachmam unam:
Inciſa & contuſa infundantur per aliquot dies in
Spiritus Vini rectificati Unciis ſedecim;
Aquæ Menthæ Unciis ſexaginta.
Deſtillentur fere ad ſiccitatem.

AQUA MERCURIALIS videatur MERCURIUS LIQUIDUS.

AQUA MERCURIATA *Auguſtanorum* correcta.
MERCURIALIS ad uſus externos.

℞. Ceruſſæ Venetæ Unciam unam,

Lithargyrii Unciam ſemis,
Aluminis crudi Drachmas ſex,
Mercurii ſublimati,
Salis Ammoniaci ana Drachmam unam,
Aquarum fontanæ Uncias duodecim,
Roſarum Uncias quatuor,
Aceti Uncias ſex:

Lithargyrium & Ceruſſa coctione cum Aceto ſolvantur, deinde addantur reliqua & non colata aſſerventur.

Hæc Aqua prodeſſe dicitur Cuti deformatæ, ad Verrucas, Scabiem malignam, Serpiginem, Ficus, Fiſſuras, Ulcera maligna, vel ubi Mundificandum eſt, penicillo illita.

AQUA MILLEPEDUM *Fulleri.*

℞. Millepedum vivorum,
Sacchari albi ana Unciam unam:

Probe ſubactis affundantur
Vini albi Unciæ quatuor:

Colatura adhibeatur ad uſum.

Sanguis inde depuratur, Nervi roborantur, Obſtructiones reſerantur, Renes & Veſica emundantur, Urina quoque blande movetur.

Hoc Medicamentum cum tempus non ferat, non niſi uſus tempore parandum eſt.

AQUA MULSA *Hippocratis.*

℞. Mellis optimi Uncias duas,
Aquæ fontanæ Uncias duodecim:

Mixta colentur.

Medicamentum egregie Reſolvens, Refrigerans, Demulcens maximo in uſu erat apud Artis noſtræ Parentes.

Portio Mellis pro guſtu ægroti poteſt augeri aut minui: non ultra aliquot dies aſſervari debet.

AQUA MYRRHÆ *Wirtembergenſium.*

℞. Myrrhæ rubræ Uncias octo;

Digerantur per triduum cum

Aquæ fontanæ duabus & ſeptuaginta Unciis:
Deſtillentur inde Unciæ quadraginta octo.

Commendatur in affectibus a vitio Menſium ortis, & morbis Pectoris atque Ventriculi, datur ad Unciam unam.

AQUA OPHTHALMICA ALBA *Danica.*

℞. Aquæ Roſarum Uncias duodecim,
Vitrioli albi Drachmam unam,
Sacchari Saturni Drachmam ſemis,
Camphoræ, Pineis tritæ, Scrupulum unum:
Miſceantur.

Ad Opthalmiam Diſcutiendam adhibetur.

AQUA OPHTHALMICA CHARAS.

℞. Sacchari Candi albi Unciam unam,
Radicis Ireos Florentinæ Drachmas tres,
Tutiæ præparatæ Drachmas duas,
Sarcocollæ,
Vitrioli albi,
Aloës Succotrinæ ana Drachmam unam,
Caryophyllorum Scrupulum unum,
Aquarum Euphraſiæ,
Fœniculi,
Roſarum ana Uncias octo,
Vini Hiſpanici Uncias viginti quatuor:
Infundantur in Sole æſtivo per quindecim dies & agitentur per vices, liquor clarus in uſum recipiatur.

Linteis excepta & Oculis impoſita laudatur ad Lippitudinem & Ulcuſcula Palpebrarum.

AQUA OPHTHALMICA COERULEA *Danica*, COLLYRIUM COERULEUM LEMERY, COLLYRIUM EXSICCANS *Pariſ.* AQUA OPHTHALMICA SAPPHIRINA SCHRŒDERI correcta, COLLYRIUM SAPPHIRINUM RICHARDI, AQUA COELESTIS *Vitet.*

℞. Aquæ Calcis vivæ Uncias duodecim,

Salis Ammoniaci Drachmam unam;
Florum Viridis Æris Grana quinque:
Probe trita filtrentur.

Ad Ulcera Palpebrarum & Corneæ Abſtergenda & Solidanda adhibetur.

AQUA OPHTHALMICA *D. Daguin.*
COLLYRIUM *Comitis du Bourg Argentinenſium.*

℞. Tutiæ præparatæ,
Caryophyllorum,
Sacchari Candi ana Unciam unam,
Camphoræ Pineis tritæ,
Aloës ana Drachmam unam cum dimidia:
Pulveriſata infundantur in ſole per quindecim dies cum
Vini Hiſpanici Unciis quadraginta octo,
Aquarum Roſarum albarum Unciis ſex,
Chelidonii,
Fœniculi,
Euphraſiæ,
Rutæ ana Unciis duabus.
Liquor decantatus recipiatur ad uſum.

In varii generis Lippitudine, quædam hujus Aquæ guttæ inſtillantur in Oculum affectum & probe per ipſum diffunduntur.

AQUA PANIS *Bierling.*

℞. Cruſtæ Panis recenter ex clibano extracti & adhuc calentis
Uncias viginti quatuor,
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum,
Nucum Moſchatarum ana Unciam dimidiam,
Vini albi generoſi Uncias nonaginta ſex:
Deſtillentur ad dimidias.

Aquis Analepticis & Stomachicis accenſetur. Huic Aquæ, quæ inſunt Aromata, omnino vires Roborantes conciliabunt, nec in totum iners erit vapor ex Pane ipſi immixtus.

AQUA PESTILENTIALIS *Hartmanni.*

Videatur Spiritus Vini Camphoratus Crocatus.

AQUA PHAGEDÆNICA *Lemery.*
LIQUOR MERCURIALIS *Auſtriaco-Provincialis.*
AQUA DIVINA *Fernelii.*

℞. Mercurii Sublimati Drachmam ſemis:
Diſſolvatur probe terendo cum
Aquæ Calcis vivæ Unciis duodecim:

Hoc Medicamentum, *Exulcerationibus externis, Ulceribusque Venereis adhiberi ſolitum,* equidem ſemper magiſtraliter præſcribi, Mercuriique Sublimati portionem, quam morbus poſtulat, quamque nonnulli ad Drachmam integram usque extendunt, adcuratiſſime determinari velim.

Formulæ præſcriptæ ſi adjiciuntur Pulveris Aloës ſex Drachmæ & Mellis Roſati ſesquiuncia, ſurgit AQUA ALOETICA MERCURIALIS *Zwœlfferi.*

AQUA PICEA videatur Infuſum Picis.

AQUA *Rabelii,* ELIXIR ACIDUM, ANTIPODAGRICUM, ANTINEPHRITICUM *Dippelii.*

℞. Olei Vitrioli Uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificatiſſimi Uncias duodecim.
Miſceantur lente, & non niſi poſt octo aut plures à commixtione dies trahatur ad uſum.

Adſtringendi cauſa in Hæmorrhagiis adhibetur, nec non ſcopo Antiſeptico in morbis Putridis. Datur ad Guttas octo in ſufficiente vehiculi quantitate.

AQUA RAPHANI COMPOSITA *Londinenſium.*

℞. Herbæ Cochleariæ recentis Uncias viginti quatuor,
Radicis Raphani Ruſticani recentis,
Corticum Aurantiorum recentium ana Uncias duodecim,
Nucum Moſchatarum Uncias quatuor cum dimidia,

Spiritus Vini Uncias nonaginta ſex,
Aquæ fontanæ Uncias quinquaginta:
Deſtillentur ex Veſica Unciæ ſex & nonaginta.

Egregium contra Scorbutum medicamentum per Cochlearia exhibetur.

AQUA REGIS.

℞. Spiritus Nitri partes tres,
Salis partem unam:
Miſceantur.

Unice ad diſſolvendum Aurum adhibetur.

AQUA SERPYLLI COMPOSITA *Mynsichti.*

℞. Radicum Zedoariæ,
Galangæ ana Drachmam unam,
Pœoniæ Unciam unam ſemis,
Herbarum Serpylli Manipulos ſex,
Fœniculi Manipulos quatuor,
Verbenæ,
Meliſſæ,
Florum Tiliæ,
Liliorum Convallium,
Lavendulæ,
Rorismarini ana Pugillos duos,
Cubebarum Drachmam unam,
Cinnamomi Drachmam ſemis,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana Drachmas duas,
Viſci Querni Unciam unam ſemis,
Vini generoſi Uncias centum duas & nonaginta.
Fiat ſecundum artem Deſtillatio.

Vires habere dicitur Cephalicas, Cardiacas, Stomachicas atque Carminativas, inde dolores Colicos atque Tormina Inteſtinorum compeſcere, Menſes quoque atque Partum promovere; Doſis vel ultra duo Cochlearia, urgente neceſſitate, extendi poterit; non ſo-

lum autem uſui interno, ſed & externo, partibus corporis Debilitatis, Senſu Motuque carentibus, aut Sugillatis cum leni frictione adhibetur, nec non membris Atrophicis.

AQUA SINE PARI, EAU SANS PAREILLE.

℞. Aquæ Reginæ Hungariæ Uncias octo,
Spiritus Vini rectificati Uncias duas & ſeptuaginta,
Oleorum Citri Unciam dimidiam,
Bergamotte Drachmas duas ſemis,
Cedrat Drachmas duas,
Mixta deſtillentur ad remanentiam Unciarum novem.
Ejusdem cum Aqua Carmelitana ac Colonienſi uſus eſt.

AQUA SCLOPETARIA.

Videatur Aqua Vulneraria.

AQUA STIBIATA *Richardi.*

℞. Tartari Emetici Grana quatuor:
Diſſolvantur in Aquæ fervidæ Unciis ſedecim.
Singulis horis ſumantur Unciæ quatuor, donec deſideratus effectus ſequatur.

AQUA STYPTICA *Berolinenſium.*

℞. Succorum expreſſorum Sempervivi majoris,
Sanguiſorbæ,
Chærefolii,
Ariſtolochiæ,
Aceti Vini ana quantum vis.
Deſtillentur ſecundum artem.
Adhibetur ad ſiſtendas Hæmorrhagias & ſananda Vulnera.

AQUA STYPTICA *Danorum.*
LIQUOR STYPTICUS *Weberi.*

℞. Aluminis rupei,
Vitrioli cœrulei ana Uncias tres:

Mixta diſſolvantur coquendo cum
Aquæ fontanæ Unciis quatuor & viginti:
Liquori filtrato addantur
Olei Vitrioli Drachmæ duæ:
Miſceantur.

Spleniolis exceptus Liquor partibus Cruentatis applicatur.

Huic Analoga ſed valentior eſt AQUA VITRIOLICA COERULEA *Londinenſium*, quæ ex Vitrioli cœrulei partibus tribus, Aluminis partibus duabus, Aquæ octodecim partibus, ſolutis, & Olei Vitrioli partibus duabus conſtat.

AQUA THEDIANA.

℞. Aquæ Acetoſæ,
Spirituum Vini ana Uncias triginta ſex,
Vitrioli Uncias decem,
Sacchari albi Uncias duodecim.
Mixta filtrentur.

Cl. Plenck *hanc Aquam in compeſcendis Hæmorrhagiis, moderanda nimia Vulnerum Suppuratione, & conſolidandis Vulneribus; omnibus hucusque laudatis Aquis Vulnerariis palmam præripere aſſerit; ad Vulnera quoque & Ulcera Vaſorum, & Tumores Lymphaticos curandos unicum & efficaciſſimum remedium eſſe videri.*

AQUA THERIACALIS.

Videatur Spiritus Theriacalis.

AQUA THERIACALIS *Londinenſium.*

℞. Theriacæ Andromachi Uncias quatuor,
Vini albi Uncias ſexaginta,
Abſtrahantur ex Cucurbita Unciæ triginta.

Hanc Aquam reliquis Aquis Theriacalibus, quarum quodque fere Diſpenſatorium propriam habet compoſitionem, præferendam duco; Alexipharmaca cenſetur, vim habet Stomachicam & Carminativam. Datur Cochleatim.

AQUA

AQUA AD TORMINA INFANTUM *Argentoratenſium.*

℞. Aquarum Menthæ,
Chamomillæ ana Uncias duas,
Syrupi Florum Papaveris Rhœados,
Chamomillæ ana Unciam ſemis:
Miſceantur.

Hæc Aqua Colicæ & Torminibus ſedandis, infantum Flatibus diſſipandis & fibris Inteſtinorum relaxandis optime inſervit: Cochleatim datur. Sed cum mora corrumpatur, non niſi in ipſo uſus articulo parandum eſt hoc Medicamentum.

AQUA TYPHORUM CERVI COMPOSITA.
AQUA TENELLORUM CORNU CERVI *Kalde.*

℞. Radicum Scorzoneræ,
Zedoariæ ana Unciam unam,
Cinnamomi Unciam ſemis,
Lignorum Santali rubri Drachmam unam ſemis,
Aloës,
Caſſiæ ligneæ ana Drachmam unam,
Nucis Moſchatæ,
Macis ana Unciam ſemis,
Florum quatuor Cordialium Unciam unam,
Lavendulæ Unciam ſemis,
Typhorum Cornu Cervi Uncias decem:
Inciſa & contuſa Infundantur in
Vini Malvatici Unciis ſexaginta,
Spiritus Vini Gallici Unciis triginta ſex.
Deſtillentur ſecundum artem.

Alexipharmacæ & Cordiales vires inde expectantur. Doſis eſt ad Drachmas duas.

AQUA VEGETO-MINERALIS *Goulard.*
AQUA SATURNINA *Suecorum.*

℞. Extracti Saturni Unciam dimidiam,

Aquæ fontanæ deſtillatæ Uncias viginti quatuor,
Spiritus Vini Uncias duas.

Diſcutiendis Inflammationibus apprime conducens Medicamentum cum ſummo ſucceſſu partibus Sugillatis applicatur, commendatur quoque ad partes Excoriatas.

AQUA VERONICÆ cum VINO *Berolinenſium.*

℞. Herbæ Veronicæ floreſcentis Uncias ſex & triginta,
Vini albi Uncias ſex & nonaginta.
Deſtillentur lento igne Unciæ quadraginta octo.

A Stahlio & ejus aſſeclis Tuſſi tam Pulmonali quam Hypochondriaca, inprimis ſenibus Aſthmaticis & ad Marasmum pronis adhibenda laudatur; bis vel ter de die ad Unciam unam ſemis exhibetur.

AQUA VIOLACEA, EAU DE VIOLETTES *Beaumé.*

℞. Radicis Iridis Florentinæ Uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati Uncias duas & triginta.
Infundantur per duas ſeptimanas; Tinctura ita obtenta in uſum trahatur.

Non niſi Cosmetico ſcopo adhibetur.

AQUA VIRIDIS *Hartmanni.*

℞. Sulphuris vivi,
Aluminis crudi,
Viridis Æris ana Drachmam unam,
Albi Græci,
Summitatum Sabinæ ana Drachmam ſemis,
Sambuci Drachmam unam,
Florum Hyperici,
Herbarum Rorismarini,
Rutæ,
Plantaginis,
Salviæ,

Herbæ Pulegii ana Pugillos duos:
Inciſa & trita coquantur cum
Vini,
Aquæ ana Unciis duodecim:
Ad conſumtionem quartæ partis, addantur
Mellis Roſati Drachmæ duæ.

HARTMANN hanc Aquam ad Ulcera fœtida, Venerea maxime nec non ad Scorbutum egregie laudat.

AQUA VITÆ MULIERUM *BŒCLERI.*

℞. Radicum Ireos Florentinæ,
Zedoariæ,
Calami aromatici ana Drachmas tres,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Granorum Paradiſi ana Unciam unam,
Seminis Aniſi Uncias ſedecim,
Fœniculi,
Papaveris albi,
Cumini ana Unciam ſemis,
Spiritus Vini Uncias duas & ſeptuaginta.
Stent in Digeſtione per octiduum, poſtea ſecundum artem Deſtillentur; Liquori deſtillato addantur
Sacchari albiſſimi Unciæ quatuor.
Liquor filtratus ſervetur.

TRILLERUS annotat, hoc Medicamentum in plerisque Uteri affectionibus præſentaneum veluti remedium eſſe, ſiquidem Caput, Ventriculum & reliqua Viſcera corroborando, Suffocationes & Flatus compeſcat, Catarrhosque tollat; ſed prudenter quoque addit, gravidas à largo & frequenti ejus uſu arceri debere. Doſis eſt ad aliquot Drachmas.

AQUA VITÆ SAPONACEA *RICHARDI.*
ESPRIT DE SAVON.

℞. Saponis Veneti Unciam unam:
Diſſolvatur

Spiritus Vini Camphorati Unciis ſedecim.
Extus Diſcutiendi & Reſolvendi gratia applicatur.

AQUA VITRIOLICA *Suecorum.*

℞. Vitrioli albi Drachmam unam:
Diſſolvatur
Aquæ fontanæ Unciis duodecim.
Filtrentur.
Diſcutiendæ Oculorum Inflammationi adhibetur.

AQUA VITRIOLICA COERULEA *Londinenſium.*

Videatur Aqua Styptica.

AQUA VULNERARIA, EAU D'ARQUEBUSADE *Lemery.*

AQUA CATAPULTARUM, AQUA SCLOPETARIA.

℞. Radicum Symphiti,
Herbarum Ejusdem,
Artemiſiæ,
Bugulæ ana Manipulos quatuor,
Betonicæ,
Saniculæ,
Buphthalmi,
Symphiti minoris,
Scrophulariæ,
Plantaginis,
Agrimoniæ,
Verbenæ,
Abſynthii,
Fœniculi ana Manipulos duos,
Hyperici,
Ariſtolochiæ,
Telephii,
Veronicæ,

Herbarum Centaurii minoris,
Millefolii,
Nicotianæ,
Menthæ,
Hyſſopi ana Manipulum unum:
Contuſa infundantur per triduum in loco calido, cum
Vini albi centum & quadraginta quatuor Unciis,
Deſtillentur ſecundum artem.

Abſonam hanc compoſitionem longe à plurimis Diſpenſatoriis receptam, LEMERY non primus præſcripſit, ſed aliunde acceptam publicavit; quædam Diſpenſatoria eam mutarunt, quædam etiam auxerunt. Laudatur ad Contuſiones, Sugillationes, Luxationes, Ambuſta, Inflammationes, Gangrænam præcavendam; præterea ad partes Roborandas.

AQUA VULNERARIA *BAUMÉ.*

℞. Foliorum recentium Salviæ,
Angelicæ,
Abſynthii,
Saturejæ,
Fœniculi,
Menthæ,
Hyſſopi,
Meliſſæ,
Ocymi,
Rutæ,
Thymi,
Majoranæ,
Rorismarini,
Origani,
Calaminthæ,
Serpilli,
Florum Lavendulæ ana Uncias quatuor.
Infundantur conciſa per nycthemerum cum
Spiritus Vini rectificati Unciis centum octo & viginti:

Deſtilletur omnis inde Spiritus; (ſi Aqua loco Spiritus aſſumitur, ſurgit AQUA VULNERARIA AQUOSA, ſi Vinum, VINOSA, ſi Spiritus Vini à Vegetabilibus non abſtrahitur, ſed poſt infuſionem decantatus filtratur, obtinetur AQUA VULNERARIA RUBRA.)

Vel tyro Chymiæ perſpicit, hac ratione paratam Aquam Vulnerariam reliquis efficaciorem eſſe. Varia morbi, cui applicari debet, natura indicat, Aquoſa ne, an Vinoſa, an vero Spirituoſa recipi debeat.

AQUA VULNERARIA MERCURIALIS *Plenckii.*

℞. Aquæ Roſarum Uncias ſex,
Solutionis Mercurii dulcis Unciam unam,
Mellis Roſacei Unciam ſemis.
Miſceantur.

Adhibetur ad curanda Ulcera venerea.

AQUA VULNERARIA MINERALIS *Plenckii.*

℞. Camphoræ Uncias tres:
Subactis
Spiritus Vini Uncia una
Adjiciantur ſenſim ſenſimque
Sacchari Saturni Drachma ſemis, diſſoluti
Aquæ fontanæ Unciis quadraginta quatuor.
Miſceantur & uſus tempore probe concutiatur Liquor.

Ulcera antiqua ſanare, Cancrum apertum mitigare, & ipſi obicem ponere, linteis tepide applicatam Inflammationes mirifice ſolvere Clariſſimus PLENCK *aſſeverat, haud incongrue* AQUA VEGETO - MINERALIS CAMPHORATA *denominari poſſet.*

AQUILA ALBA.

Videatur Mercurius dulcis.

ARCANUM CORALLINUM.

Videatur Mercurius Præcipitatus ruber.

ARCANUM DUPLICATUM *Bussii ſive Holſteinenſium*, SAL DE DUOBUS *Pariſienſium.*

Reſiduum à Deſtillatione Aquæ fortis, rite Elixivetur, Lixivium ope affuſæ ſolutionis Salis Tartari tentetur, num rite ſit ſaturatum; ſi cum hac ſolutione non effervescit nec turbatur, evaporetur lente ad cuticulam, filtretur, & inde ſurgentes Cryſtalli aſſerventur.

Vires ſub Tartaro Vitriolato dicentur.

ARCANUM TARTARI.

Videatur Terra foliata Tartari.

AURUM FULMINANS *Bas. Valentini.*

℞. Auri per Antimonium depurati quantum vis:
Diſſolvatur

Aquæ Regis quantitate ſufficiente; inſtilletur Alcali ſive fixum ſive volatile, usque dum omne Aurum ad fundum receſſerit, calx probe edulcorata ſiccetur in umbra, exſiccata cautiſſime ſine ulla frictione colligatur.

In *Inſtit. Chem.* monui, ne Ducatorum quidem Aurum, cum ſemper Cuprum contineat, ad hanc Calcem, ſi ea ſcopo medicato applicanda fuerit. recipiendum eſſe.

Purgantibus ſtimuli loco ad unum alterumve Granum adjiciebatur. Hodie inter Medicos eviluit.

AURUM HORIZONTALE *Zwingeri.*
PANACEA *Kornmanni.*

℞. Croci Solis Drachmas duas,
Cinnabaris Antimonii Unciam ſemis,
Olei deſtillati Cinnamomi Guttas tres.

Probe inter ſe invicem terantur.

Vires Analepticæ, quæ huic Medicamento adſcribuntur, pendent ab Oleo Cinnamomi.

AURUM POTABILE *Helvetii*

Videatur Tinctura Auri *Geoffroy.*

AXUNGIARUM DEPURATIO.

Celluloſa, quæ Adipem habet, in fruſta diſſecatur, & cum Aqua tam diu conquaſſatur, usque dum Aqua ipſi denuo affuſa inde defluat prorſus limpida, leni deinde calore liquatur Adeps, ut omnis ex Celluloſa ſecedat & ipſi limpidus ſupernatet, eodem quoque calore Aqua, quæ ipſi ſub priore labore adhæſerat, difflatur; difflatam autem eſſe una aut altera Adipis gutta carbonibus injecta ac ſine ſtrepitu deflagrans indicio eſt; Adeps depuratus adhuc fluidus committitur ollæ.

BACILLI AD FORNACEM.

Videatur Maſſa ad Fornacem.

BACILLI DE LIQUIRITIA.

Videatur Liquiritia cocta.

BALSAMA.

Plurima parantur, ubi uni Unciæ, Olei Nucis Moſchatæ ope Spiritus Vini odore ſuo privati affunditur Olei qualiscunque odorati Drachma una à quo Oleo odorato deinceps Balſamum denominatur.

BAL-

BALSAMUM ADSTRINGENS *Richard.*

℞. Olei Vitrioli Unciam ſemis:
Affundatur ſenſim
  Olei Terebinthinæ Uncia ſemis:
Adjiciantur
  Spiritus Vini rectificati Unciæ tres.

Hoc medicamentum ad Scrupulos duos usque pro doſi ad ſiſtendam Gonorrhæam adhibetur.

Proxime accedit ad Balſamum Iſchæmaticum Brunſvicenſium.

BALSAMUM ANODYNUM *Pharmacop. Bateanæ ab Edinburgenſibus* correctum.

℞. Opii Unciam unam,
  Saponis albi Hiſpanici Uncias quinque,
  Spiritus Vini rectificati Uncias viginti quatuor:
Comminuta Digerantur per triduum; in liquore filtrato dein diſſolvantur
  Camphoræ Unciæ duæ
  Olei Stillatitii Rorismarini Semuncia.

Arthriticis & Rheumaticis commendatur.

BALSAMUM APOPLECTICUM *Pharm. Bateanæ* correctum.

℞. Oleorum Nuciſtæ expreſſi Uucias tres ſemis,
  Jaſmini,
  Deſtillatorum Cinnamomi,
    Ligni Rhodii ana Drachmam unam ſemis,
    Lavendulæ,
    Majoranæ,
    Caryophyllorum ana Drachmam unam,
    Rutæ,
    Succini ana Scrupulum unum,

Balſami Peruviani Scrupulos duos:
Probe mixtis addantur
Moſchi,
Ambræ ana Grana ſedecim, Spiritu Roſarum trita,
Spodii nigri præparati quantum ſatis ad Balſamum nigro colore tingendum.

Apoplecticorum Naribus, Vertici, Temporibuspue illinitur, potiſſimum vero ob Odoris commendationem expeti olim ſolebat.

BALSAMUM AROMATICUM.

Videatur Balſamum Scherzeri.

BALSAMUM ARCÆI.
UNGUENTUM è GUMMI ELEMI *Londinenſium.*

℞. Terebinthinæ,
Gummi Elemi ana Uncias ſex,
Sevi Cervini Uncias novem,
Olei Hyperici Uncias duas:
Leni igne liquentur & probe agitentur uſque dum refriguerint.

Præſtans Vulnerarium & Digeſtivum eſt, quod in Vulneribus feliciter adhibetur; ſi Digerendi ſcopus eſt, UNGUENTO DIGESTIVO *aut* BASILICO *temperatur. Parum ab hoc Balſamo differt* BALSAMUM VULNERARIUM MINDERERI.

BALSAMUM ARCÆI LIQUEFACTUM *PLENCKII.*

℞. Balſami Arcæi,
Vitellorum Ovorum ana Unciam unam:
Probe ſubacta diluantur
Spiritus Vini Unciis octo.

Ad Ulcera & Vulnera ſinuoſa injicienda adhibetur, ſi quidem Spirituoſa admittant.

BALSAMUM CATHOLICUM.

Videatur Balſamum Commendatoris de Perne.

BALSAMUM CELLENSE.

Videatur Balſamum Scherzeri.

BALSAMUM CEPHALICUM *Saxonicum.*

Videatur Balſamum Scherzeri.

BALSAMUM CHALYBEATUM, BEAUME D'AIGUILLES *Pariſienſium.*

℞. Acuum chalybearum Unciam ſemis:
Diſſolvatur in
Spiritus Nitri ſesqui-uncia:
Solutioni addantur
Olei Olivarum Unciæ duæ ſemis,
Spiritus Vini rectificati Unciæ duæ:
Leni calore detineantur & agitentur, uſque dum probe ſint unita.

Laudatur contra dolores Arthriticos & Podagricos.

BALSAMUM AD DENTITIONEM *Charas.*

℞. Succi expreſſi Cancrorum fluviatilium,
Mucilaginis Radicis Althææ ana Uncias duas,
Butyri optimi Uncias tres,
Axungiarum Gallinæ,
Anatis ana Drachmas duas:
Mixta coquantur lento igne ad humiditatis conſumtionem. Colaturæ addantur
Sacchari Candi pulveriſati Unciæ quatuor,
Vitellorum ovi N°. unum:
Probe miſceantur.

Sententiæ Charas, qui hoc medicamento tenellorum Dentienti Gingivulæ illinendo, Dentitionem egregie promoveri experientia doctus docet, plures accedunt.

BALSAMUM Fioraventi.

℞. Baccarum recentium Lauri Uncias quatuor,
Gummi Elemi,
Tacamahacæ ana Unciam unam,
Galbani,
Olibani,
Myrrhæ,
Hederæ ana Uncias tres,
Styracis liquidæ Uncias duas,
Ligni Aloës Uncias tres,
Galangæ minoris,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ,
Zedoariæ,
Zinziberis,
Dictamni albi,
Aloës Succotrinæ,
Succini ana Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Uncias nonaginta ſex:
Digerantur per novem dies, tunc addantur
Terebinthinæ Unciæ ſedecim:
Abſtrahatur inde Spiritus, quem BALSAMUM *Fioraventi* SPIRITUOSUM appellant.

A Deſtillatione reſiduum Retortæ commiſſum lento igne Deſtilletur, flavum quod inde elicitur oleum Balsamum Oleosum, dicitur. Quo obtento augeatur ignis, & quod jam prodit magma nigrum empyreumaticum, ſub nomine Balsami Nigri aſſervetur.

Medicamentum à nugivendulo Alchemico celebratum Medicorum nonnulli receperunt; Balſamum ſpirituoſum, quod quidem Balsamum Fioraventi *ſimpliciter præſcripturis ſemper eſt recipiendum, à quibusdam quoque tanquam vires edens Analepticas, Nervinas, Nephriticas, Diureticas, Alexipharmacas, Traumaticas, Antihyſtericas & Carminativas adeo commenda-*

tur, ut in variis morbis à cauſa præſertim Frigida aut Flatulenta oriundis, opportune adhibitum, inſignem uſum præſtare videatur. Huic admodum analoga AQUA *videtur eſſe* ANHALTINA. BALSAMUM·OLEOSUM·*odoratorum*, BALSAMUM NIGRUM *autem Empyreumaticorum Oleorum vires edet.*

BALSAMUM HYSTERICUM *Pariſienſium.*

℞. Gummi Aſphalti,
Galbani,
Ladani ana Drachmam unam,
Aſſæ fœtidæ Scrupulum unum,
Aloës Drachmam unam,
Caſtorei,
Opii ana Drachmam ſemis,
In mortario calido contundantur in maſſam, cui addantur
Oleorum Deſtilllatorum Rutæ,
Succini ana Guttæ decem,
Abſynthii,
Sabinæ,
Tanaceti,
Petrolei ana Guttæ duodecim,
Olei expreſſi Nucis Moſchatæ Scrupuli duo:
Probe miſceantur.

Hoc Balſamo motos in Utero fluctus, quosque vulgo Hyſtericas Paſſiones aut Suffocationes vocant, turbas placide ſedari perhibent. Admovetur Naribus; illinitur Umbilico.

BALSAMUM ISCHÆMATICUM *Brunſvicenſium.*

Videatur Balſamum Adſtringens.

BALSAMUM LECTORENSE, BEAUME DE LAICTURE DE VINCEGUERE, DE CONDOM à *BAUMÉ* correctum,

℞. Camphoræ comminutæ,
Croci pulveriſati ana Drachmam unam,

Moſchi,
Ambræ tritæ ana Drachmam ſemis:
Infundantur in vaſe clauſo per aliquot dies leni calore cum
Petrolei albi,
Oleorum Deſtillatorum Lavendulæ,
Terebinthinæ,
Baccarum Juniperi,
Caryophyllorum ana Uncia una,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana Drachmis duabus,
Benzoës Uncia dimidia.
Uſus tempore decantatur Olei quantum opus eſt.

Analepticarum, Nervinarum, & Anodynarum virium nomine hoc Medicamentum, ad corrigendum præterea Aërem malignum laudatur.

BALSAMUM LITHUANICUM.

Videatur Oleum Betulinum.

BALSAMUM LOCATELLI. ITALICUM RUBRUM

Pharmacop. Bateanæ.

℞. Ceræ citrinæ Uncias quatuor,
Olei Olivarum Uncias ſex,
Vini Malvatici Uncias quinque:
Leni igne ad conſumtionem humiditatis coctis colatisque addantur
Terebinthinæ optimæ Unciæ ſex,
Santali rubri pulveriſati Uncia ſemis:
Agitentur fortiter, ſatisque refrigeratis admiſceantur
Balſami Peruviani Drachmæ duæ.

Ad Vulnera, Contuſiones, variasque læſiones internas pariter ac externas commendatur, interne à Drachmis duabus ad Unciam ſemis propinatur.

BALSAMUM AD LORICANDUM CADAVER CONDITUM *Pariſienſium.*

℞. Balſamorum Peruviani,
de Copaiba,
Styracis liquidæ ana Uncias quatuor & viginti,
Oleorum expreſſi Nucis Moſchatæ Uncias octo,
Deſtillati Lavendulæ Uncias duas,
Thymi Unciam ſemis:
Liquefiant leni igne.

BALSAMUM MERCURIALE PLENCKII.

℞. Mercurii vivi Drachmas duas:
Extinguantur probe in
Terebinthinæ Drachma una:
Addantur
Axungiæ Porci Drachmæ ſex,
Balſami Arcæi Drachmæ novem,
Mercurii dulcis grana viginti & tria:
Exacte miſceantur.

Clariſſimus Auctor hoc Medicamentum ad Ulcera Venerea conſolidanda admodum conducere contendit.

BALSAMUM NERVINUM *Pariſienſium.*

℞. Oleorum Palmæ,
Nucis Moſchatæ,
Medullarum Cervi,
Cruris bovis ana Uncias quatuor,
Axungiarum Hominis,
Taxi,
Viperæ ana Unciam unam:
Leni calore liquatis adjiciantur
Oleorum Deſtillatorum Lavendulæ,
Menthæ,
Roriſmarini,
Salviæ,
Thymi,
Caryophyllorum ana Drachma una,
Camphoræ Drachmæ duæ,
Balſami Peruviani ſicci Uncia una:

Duo ultima diſſoluta in Spiritus vini quantitate ſufficiente:
Mixta aſſerventur.
Inungitur membris Debilitatis & Torpidis.

BALSAMUM ODONTALGICUM *Würtenbergenſium.*

℞. Opii,
Camphoræ ana Scrupulos duos:
Diſſolvantur in Spiritus Vini pauxillo:
Addantur
Oleorum Deſtillatorum Ligni Sancti Drachmæ duæ,
Caryophyllorum Drachma una,
Expreſſi Nuciſtæ Drachmæ ſex:
Probe miſceantur.
Hoc Balſamum vel ſolum, vel Goſſypio exceptum, Dentiumque cavitatibus applicatum probatæ fertur eſſe efficaciæ ad ſedandos Dentium dolores vel graviſſimos.

BALSAMUM OPHTHALMICUM RUBRUM, *Pharmacop. Danicæ.*

℞. Ceræ albæ Drachmas ſex:
Leni calore liquatis admiſceantur
Butyri recentis optimi Unciæ tres,
Mercurii præcipitati rubri in tenuiſſimum pulverem triti Drachmæ duæ & Grana quindecim:
Miſceantur exactiſſime.
Pterygiis & Maculis Corneæ curandis bis de die unum aut alterum Granum inungitur.

BALSAMUM OPHTHALMICUM, *Saintyves.*

℞. Balſami Ophthalmici rubri Uncias duas,
Camphoræ Scrupulum unum,
Tutiæ Drachmam ſemis:
Miſceantur.
Paribus fere cum antecedentibus viribus ſeſe commendat, quin, ſi Ophthalmia acceſſerit, fertur præferendum.

BAL-

BALSAMUM PECTORALE MEIBOMII.

℞. Terebenthinæ optimæ,
Oleorum Amygdalarum dulcium ana Drachmas octodecim,
Hyperici Uncias duas,
Spermatis Ceti Unciam ſemis,
Sanguinis Draconis optimi,
Extracti Opii aquoſi,
Balſami Peruviani ana Drachmas duas,
Butyri optimi Unciam unam cum ſemiſſe:
Miſceantur

Hoc remedium Duci incerti nominis Brunſvicenſi, in Phthyſeos ſuſpicionem vocato, à MEIBOMIO *ad decem quindecimve de die in diem Guttas præſcriptum eo valuiſſe; refert* SCHULZIUS *l. c. p. 50, ut ſenectutem iſte Dux inde aſſecutus ſit ſatis provectam æque ac vegetam.*

BALSAMUM COMMENDATORIS DE PERNE. CATHOLICUM TRAUMATICUM *Suecorum.*

℞. Balſami Indici ſicci Unciam unam,
Styracis electæ Uncias duas,
Benzoës electæ Uncias tres,
Olibani electi Unciam ſemis:
Trita diſſolvantur in
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciis quindecim:
Filtrata ſolutio commiſceatur cum Tinctura parata ex
Radicis Angelicæ,
Herbæ Millefolii,
Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ ana Uncia dimidia,
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciis decem.

POMET qui primus hujus Balſami deſcriptionem nobis ſuppeditavit, magnis illud laudibus extulit. In variis morbis, omnis

generis Vulneribus & Ulceribus internus æque ac externus ejus uſus magnopere commendatur. Interne autem caute & parce, ne Sanguinem exæſtuet, præſcribendum videtur. Guttæ decem ſufficiant.

BALSAMUM SAMARITANUM *Schrœderi.*

℞. Olei Olivarum,
Vini generoſi ana Uncias octo:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis.
Traumatico ſcopo uſurpatur.

BALSAMUM SAPONACEUM *Edinburgenſium.*
INFUSUM SAPONACEUM.
UNGUENTUM OPODELDOCH *Suecorum.*

℞. Saponis albi Hiſpanici Uncias quinque,
Camphoræ Unciam unam:
Diſſolvantur in
Spiritus Vini rectificati Unciis viginti quatuor,
Oleorum deſtillatorum Rorismarini,
Origani ana Drachmis duabus.
Laudatur maxime ad reſolvendos Tumores Cyſticos & affectus Rheumaticos.

BALSAMUM SATURNI *Goulard* UNIVERSALE.

℞. Ceræ Citrinæ Uncias octo,
Liquentur leni igne cum
Olei Roſarum Unciis octodecim:
Addantur
Extracti Saturni Unciæ quatuor,
Camphoræ tritæ Drachma una:
Probe miſceantur.
Multum contra Impetigines, Ulcera fiſtuloſa, Gangrenæque & Sphaceli formidinem laudatur.

BALSAMUM SCHAUERIANUM *Brunſvicenſium.*

℞. Radicum Symphyti Drachmas ſex,
Oſtrucii Unciam dimidiam,

Radicum Calami Aromatici Drachmas tres,
Caryophyllatæ,
Enulæ ana Drachmam unam,
Angelicæ Grana quindecim,
Galangæ Drachmas tres,
Dictamni Drachmas ſex,
Styracis,
Olibani ana Drachmas tres,
Galbani Drachmas novem,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum ana Drachmas duas,
Zinziberis,
Cinnamomi ana Drachmas tres,
Caryophyllorum,
Ligni Santali albi ana Drachmas duas,
Cardamomi,
Ligni Aloës ana Drachmam unam,
Gummi Benzoës Drachmas tres,
Maſtyches Unciam ſemis,
Aloës hepaticæ Drachmam unam,
Myrrhæ Drachmam ſemis,
Terebinthinæ Venetæ Unciam unam ſemis,
Spiritus Vini rectificati Uncias nonaginta ſex.
Deſtilletur lento igne Spiritus & in eo diſſolvantur,
Camphoræ Drachma una,
Olei Deſtillati Baccarum Lauri Uncia una.

Hoc medicamentum in Germania paſſim celebratur, ſatisque frequens ejus, tanquam Vulnerarii polychreſti, uſus eſt. Intus quoque ad modum BALSAMI FIORAVENTI *adhibetur.*

BALSAMUM SCHERZERI *KALDE* correctum. AROMATICUM *Suecorum.*

℞. Olei expreſſi Nucis Moſchatæ Unciam unam ſemis,

Oleorum Deſtillatorum Majoranæ,
Lavendulæ,
Rorismarini,
Succini,
Serpilli ana Drachmas duas,
Rutæ,
Pulegii,
Meliſſæ,
Menthæ,
Cardamomi ana Scrupulum unum:
Miſceantur.

Hoc medicamentum BALSAMO CELLENSI ET CEPHALICO SAXONICO *eſt analogum; præter odorem ſatis gratum virtutibus pollet Anticolicis, Carminativis & Stomachicis; hinc in Torminibus ventris, infantum præcipue, Abdomini utiliter illinitur. Quin & adultioribus in affectibus Colicis, Flatulentis, Hyſtericis, à cauſa frigida originem ducentibus, interne quoque cum juſculo modica doſi præſcribi poſſe* SCHULZIUS *Auctor eſt l. c. p. 51.*

BALSAMA SIMPLICIA.

℞. Olei expreſſi Nuciſtæ ope Alkoholis omni odore & ſapore privati, quod CORPUS PRO BALSAMO appellare ſolent, partes quinque,
Olei deſtillati, unde Balſamum denominatur, partem unam:
Probe miſceantur.

Uſu receptum, *quod* BALSAMUM CARYOPHYLLORUM Pulvere Caryophyllorum, BALSAMUM CINNAMOMI Bolo Armena, BALSAMUM LAVENDULÆ Cœruleo montano, BALSAMUM MAJORANÆ Herbæ Majoranæ, BALSAMUM RUTÆ Viridi Æris tingantur.

Balſama ſimplicia à viribus Oleorum unde denominantur, dijudicanda eſſe facile patet.

BALSAMA SULPHURIS.

BALSAMUM SULPHURIS CRASSUM *Edimburgenſium.*

℞. Sulphuris citrini partem unam,

Olei unguinoſi, unde denominatur, partes ſex:
In vaſe terreo amplo, ſub perpetua agitatione coquantur, usque dum Sulphur calore liquatum, ſubiiſſe oleum pateat ex colore, odore, ſatisque magna intumeſcentia. Oleum quoddam deſtillatum ſi recipiendum eſt, decem ejus adhibentur partes, ſolutioque fit in Cucurbita vitrea ope Balnei Arenæ.

Ex Oleo quocunque deſtillato ſurgit BALSAMUM SULPHURIS ANTIMONIALE *Hoffmanni*, ſi quidem iſti Oleo admiſcueris Hepar Antimonii ex aqua oriundum, cum Reguli Antimonii ſimplicis Scoriis cocta. Pro BALSAMO SULPHURIS *Rulandi* jam cum quodam Oleo unguinoſo paratum recipere, jam eidem inſuper octavam Olei Terebenthinæ partem adjicere ſolent.

Monui in Inſtitution. Chemiæ ad Experimentum XV. prudentiores Medicos à nauſeoſis his Medicamentis & acribus abſtinere. Præcipuæ eorum vires ab Oleo pendent ad eorum præparationem adhibito. Quæ Olea unguinoſa receperunt, mitiora quidem ſunt Oleorum odoratorum ope paratis, ſed ne hæc quidem acritudine carent, quippe Oleum quodque mitiſſimum alias, ubi ſub præparatione incaluerit, evadet acre.

BALSAMUM TRANQUILLANS *Pariſienſium.*

℞. Foliorum recentium Strammonei,
Solani nigri,
Phytolaccæ,
Belladonnæ,
Mandragoræ,
Hyoſcyami ana Uncias quatuor:
Papaveris ſativi Uncias octo.
Perſicariæ Unciam unam,
Bufonum viventium N°. quinque:
Inciſa coquantur cum
Olei Olivarum Unciis ſexaginta,

ad conſumtionem humiditatis; Oleo per colum trajecto Addantur

Summitatum recentium Rorismarini,
Salviæ,
Ruthæ,
Hyſſopi,
Lavendulæ,
Thymi,
Majoranæ,
Coſti hortenſis,
Menthæ;
Hyperici ana Uncia una,
Abſynthii Unciæ duæ,
Florum recentium Sambuci Uncia una:

Digerantur in vaſe clauſo leni calore per quatuordecim dies, colatum Oleum elapſis aliquot diebus à fæcibus, quas deponit, decantetur, & uſui ſervetur.

Hoc Oleum, improprie ſane Balſamum dictum, exterius fricando, inungendo adhibitum, permulcendis & conſopiendis ſævis Arthriticorum, Iſchiadicorum & Rheumaticorum doloribus egregie valet.

BALSAMUM TRAUMATICUM *Edinburgenſe.*

Videatur Balſamum Commendatoris de Perne.

BALSAMUM TRAUMATICUM *Londinenſe.*

Videatur Balſamum Commendatoris de Perne.

BALSAMUM VIRIDE Du Clos, ſive *Metenſium*, ſive de Feuillet.

℞. Viridis Æris Uncias tres,
Vitrioli albi Unciam unam ſemis:
Pulveriſata ſubigantur in mortario cum
Oleorum Lini,
Olivarum ana Unciis ſex,

Olei Laurini Uncia una:
Addantur
Terebinthinæ Unciæ duæ,
Calefiat mortarium, omnia, ut exacte coëant, agitentur, tunc adjiciantur
Aloës pulveriſatæ Drachmæ duæ:
Oleorum deſtillatorum Juniperi Unciam ſemis,
Caryophyllorum Drachma una:
Optime mixta aſſerventur & tempore uſus denuo agitentur, ut quæ ſubſederunt inſidentibus remiſceantur.

Adhibetur ad Ulcera detergenda & ad conſumendam Carnem Fungoſam.

BALSAMUM VITÆ *Funni.*

℞. Salis Tartari Unciam unam ſemis:
Diſſolvatur in
Aquæ fontanæ Unciis viginti quatuor:
Addantur
Olei Terebinthinæ Unciæ tres,
Saponis Veneti pulveriſati Unciæ duæ:
Probe mixtis adjiciantur
Spiritus Juniperi Unciæ duæ,
Olei Culilabani Unciæ tres:
Miſceantur.

Hoc Balſamo membra Arthritica, Rheumatica, Paralytica, & quæ Sugillationes habent, efficaciſſime fricari Auctor contendit.

BALSAMUM VITÆ *Hoffmanni.*

℞. Oleorum deſtillatorum Lavendulæ,
Majoranæ,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Cardamomi ana Scrupulum unum,
Macis Scrupulos duos,
Cinnamomi Scrupulum unum,

Oleorum deſtillatorum Rutæ,
Succini,
Balſami Peruviani ana Scrupulum ſemis,
Quintæ Eſſentiæ Citri Scrupulum unum:
Probe mixtis ſubigatur
Ambræ Gryſeæ Scrupulus ſemis:
Addantur
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciæ viginti:
Solutio rite parata aſſervetur.

Hoc Balſamum Hoffmannus jam in Notis ad Poterium deſcripſerat, cum autem labente tempore quæſtum ſibi inde comparare conſultum fore crediderit, ejus parandi modum ſibi ſoli notum eſſe divulgavit, & idem quoque ejus diſcipulus Schulz. l. c. p. 54. tradidit. Adhibetur vero hoc medicamentum extus ad Odorandum & partes debilitatas Roborandas, ad Ventriculi affectus, Nauſeam, Ructus, Colicam & Diarrhœam. Interno etiam uſui iisdem in morbis ad Guttas uſque viginti commendatur.

BALSAMUM VITÆ EXTERNUM *Plenckii.*

℞. Saponis ſiccati & in pulverem triti Uncias ſex,
Salis Tartari Unciam unam ſemis,
Olei Terebinthinæ Uncias duodecim:
Miſceantur.

Egregium medicamentum reſolvens contra Tumores Cyſticos, & alios frigidos, Anchyloſes &c. laudatur ſi duodecuplo Aquæ dilutum ſub forma Fomenti vel Stillicidii adhibetur.

BALSAMUM VITÆ *Teichmeieri.*

℞. Quintarum Eſſentiarum Citri Scrupulos quatuor,
Bergamottæ Guttas duodecim,

Oleo-

Oleorum Deſtillatorum Cinnamomi,
Menthæ ana Guttas octodecim,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Meliſſæ Turcicæ,
Macis,
Rorismarini,
Lavendulæ ana Guttas duodecim,
Rutæ,
Salviæ ana Guttas quinque,

Diſſolvantur in
Spiritus Vini alcaliſati loti Unciis ſex:
Colorentur
Radicis Alcannæ ſufficiente quantitate:
Filtrato liquori addatur,
Eſſenriæ Ambræ Drachma ſemis.

Ex quo inſignis, quem ſibi ſuo BALSAMO VITÆ *comparaverat* HOFFMANNUS, *innotuit quæſtus, alii quoque Medici, eadem ſpe ducti, ad idem negotium frequentes ſe applicuerunt. Hinc diſſolutis in Alcohole aut Liquore Anodyno fragrantibus Oleis multa deinceps atque varia concinnata videmus* BALSAMA VITÆ, *ſive quæ Principium Vitæ reſtaurent medicamina, nomine & genera diverſa, viribus congruga.*

BALSAMUM VULNERARIUM *Edimburgenſium.*

Videatur Balſamum Commendatoris.

BALSAMUM VULNERARIUM *Londinenſium.*

Videatur Balſamum Commendatoris.

BALSAMUM VULNERARIUM *MINDERERI.*

Videatur Balſamum Arcæi.

BALSAMUM VULNERARIUM *Stahlii.*

℞. Eſſentiæ Succini Uncias duas,
Myrrhæ Unciam unam,
Olei Terebinthinæ Unciam ſemis:
Miſceantur & loco calido in vaſe clauſo Digerantur.
Ad Vulnera & Ulcera partium Exſanguium adhibetur.

BEZOARDICUM JOVIALE.

Videatur Antihecticum Poterii.

BEZOARDICUM MARTIALE, PULVIS CACHECTICUS *Ludovici*, SPECIFICUM STOMACHICUM *Poterii.*

℞. Limaturæ Martis Uncias ſex,
Antimonii crudi Uncias ſex:
Mixta fluant in Crucibulo, effundantur, reducantur in pulverem, & detonentur cum
Nitri crudi Unciis ſex & triginta:
Calx probe edulcorata ſervetur uſui.
Huic Calci vires Roborantes, Acidum Abſorbentes, & Tranſpirationem promoventes adſcribuntur. Ad viginti quinque Grana adhibetur.

BEZOARDICUM MINERALE MOEBII.

℞. Mercurii Vitæ partem unam,
Nitri crudi partes tres:
Miſceantur, Detonentur in Crucibulo candente, committantur Aquæ, pulvis ſubſidens bene edulcoratus ſervetur.
Oſtendi in Inſtit. Chem. p. 272 hanc Calcem ab Antimonio Diaphoretico nequaquam differre.

BOLI ARMENÆ PRÆPARATIO.

Bolus Armena pulveriſata cum Aqua agitetur; Aqua turbida à ſpiſſo, quod fundum tenet, leniter defundatur; Aqua denuo affun-

affundatur, quæ pauliſper agitata priori addatur, atque hic actus usque repetatur dum in Aqua cum Bolo agitata parum vel nihil amplius turbidi appareat; Pulvis ita elutriatus exſiccetur.

BOLUS ANTHELMINTICUS PURGANS *Nouffer.*

℞. Panaceæ Mercurialis,
Diacrydii præparati ana Grana decem,
Gummi Guttæ Grana ſex:
Pulveriſata redigantur cum
Confectionis de Hyacintho quantitate, quæ ſufficiat, in Bolum.
Specifice ad expellendam è corpore Tæniam laudatur.

BOLI LITHONTRIPTICI Roséen.

℞. Saponis Alicantini Uncias octo,
Teſtarum Ovorum calcinatarum,
Fructuum Cynosbati uſtorum ana Unciam unam,
Salis Tartari Drachmam unam:
Mixta efformentur cum Spiritu Vini in Bolos ſexaginta.
Eorum quatuor in diem ſumantur.

BOLI IN QUARTANA *Richard.*

℞. Corticis Chinæ tenerrime pulveriſati Drachmas ſex,
Scillæ præparatæ Scrupulos duos,
Kermes mineralis Grana ſex,
Spiritus Salis Ammoniaci Drachmam unam,
Conſervæ Roſarum quantum ſatis:
Miſceantur & formentur Boli duodecim.
Quater de die per æqua intervalla ſingulatim ſumantur.

BOLI VERMIFUGI *Richard.*

℞. Pulverum Radicum Filicis Unciam ſemis,
Rhei electi Drachmas duas,

Pulverum Seminis Cinæ Unciam ſemis,
Mercurii dulcis Drachmam unam :
Miſceantur & Syrupi Abſynthii qua ſufficit quantitate cogantur in Bolos duodecim.

Per ſingulos dies tres eorum ſumantur.

BUTYRUM CACAO *Hombergii.*

℞. Nuces Cacao :

Torreantur in ſartagine ferrea, ut à Cortice poſſint nudari, decorticatæ contundantur in pulverem, qui committatur ſacco linteo inter preli laminas probe calefactas collocando. Oleum inde obtentum leni calore liquatum detineatur, usque dum fæces depoſuerit, à quibus defuſum aſſervetur.

Ad uſum tam internum quam externum Spermati Ceti ſubſtituitur, cui ſuavitate & gratia præſtat.

BUTYRUM VEL UNGUENTUM MAJORANÆ *Kalde.*

℞. Herbæ recentis Majoranæ,
Butyri recentis ana partes æquales:
Leni igne coquantur usque dum aliquot guttæ igni inſtillatæ ſine ſtrepitu deflagrent, tum linteo commiſſa ſubjiciantur prelo.

In Narium infantum obſtructione à Muco viſcido oriunda expetitur, quo ſcopo radici & alis Naſi illinitur.

BUTYRUM RUBRUM.

Videatur Unguentum rubrum Potabile.

BUTYRUM VIRIDE.

Videatur Unguentum Viride Potabile.

CANDELÆ vel CEREOLI CHIRURGICÆ *Goulard.*

Ceræ liquatæ
Adjiciatur
Extractum Saturni ;

Maſſæ liquidæ immittatur tenue linteum, ope Spathæ illa ſupra hoc extendatur, paratus hac ratione Sparadrapus in lingulam latæ baſeos & verticis acutiſſimi diſſecetur, mediantibus digitis convolvatur, & inter duos aſſeres ſive lapides politos lævigetur, craſſities his cereolis ea detur, quæ cavo Urethræ reſpondet; varia eorum longitudo eſt, maxima novem pollices æquat, triplex eorum genus Illuſtris RICHARD præſcribit, primum $\frac{1}{32}$ Extracti Saturni recipit, ſecundum $\frac{1}{8}$, tertium $\frac{1}{4}$.

Hi Cereoli Oleo illiti inſeruntur Urethræ ad illum uſque locum ubi anguſtata eſt; quæ quidem anguſtia quo gravior quoque magis calloſa eſt, eo major Extracti Saturni quantitas ad inſtruendam candelam recipitur; cum ſenſibiliores per morbum Urethræ rigidiores candelas ægrius admittant, GOULARD ingredientibus recenſitis $\frac{1}{12}$ Axungiæ Vervecinæ & totidem Olei Amygdalarum adjici jubet.

CANDELÆ CHIRURGICÆ MERCURIALES *PLENCKII.*

℞. Ceræ flavæ Uncias ſex;
Liquatis addantur
  Extracti Saturni Uncia dimidia,
  Mercurii dulcis Drachmæ duæ:
Formentur inde Cereoli ratione modo dicta.

Has Candelas maxime ad revocandam Gonorrhæam ſuppreſſam commendant.

CANDELÆ FUMALES *JUNCKEN correctæ.*

℞. Benzoës electæ Uncias octo,
  Styracis Calamitæ Unciam unam ſemis,
  Ladani,
  Olibani,
  Maſtychis,
  Caryophyllorum ana Drachmam unam ſemis,
  Carbonum Tiliæ Uncias ſex & triginta:
Pulveriſata redigantur cum

Mucilaginis Tragacanthæ quantitate ſufficiente in maſſam, ex qua formentur parvi coni, quorum baſes in tres pedes figurantur.

Vires ex nomine patent.

CASSIA cum MANNA *Richard.*

℞. Medullæ Caſſiæ Unciam ſemis,
Salis vegetabilis Drachmam unam ſemis,
Mannæ Uncias duas:
Diſſolvantur in
Aquæ fontanæ Unciis quinque.
Colatura exhibeatur pro una doſi, tanquam lene Laxans.

CASSIA PRO CLYSTERIBUS *Val. Cordi.*

℞. Foliorum Betæ,
Malvæ,
Mercurialis,
Parietariæ,
Violariæ,
Florum Violarum ana Manipulum unum.
Inciſa coquantur cum
Aquæ Unciis triginta
Ad Uncias viginti, colatura diſcoquatur cum
Medullæ Caſſiæ quantitate ſufficiente ad Conſiſtentiam Mellis, cui Uncias duodecim æquanti addantur
Sacchari Thomæi Unciæ octodecim.
Coquantur ad Conſiſtentiam Electuarii.
Movendæ Alvi gratia Clyſteribus adjicitur ab Uncia una ad duas.

CASSIA EXTRACTA.

Videatur Pulpa Caſſiæ.

CATAPLASMA ANODYNUM. *Richard.*

℞. Foliorum Althææ Manipulos quatuor,

Foliorum Papaveris ſativi Manipulum unum,
Hyoſcyami Manipulum ſemis:
Craſſe contuſa coquantur cum
Lactis quantitate ſufficiente ad conſiſtentiam Pultis;
Adjiciantur
Olei Lini Unciæ duæ,
Farinæ Seminis Lini Uncia una:
Miſceantur probe.
Vires ex nomine patent.

CATAPLASMA ANTISEPTICUM *Plenckii.*

℞. Pulveris Antiſeptici partes quatuor,
Spiritus Vini Camphorati partes duas,
Aceti Vini quantum ſatis ad parandum Cataplaſma.
Ad Gangrænam humidam & Tabum putridum commendatur.

CATAPLASMA EX BRYONIA *Plenckii.*

℞. Radicum Bryoniæ Uncias tres,
Florum Sambuci Unciam unam,
Herbæ Cicutæ Uncias duas:
Pulveriſata coquantur cum
Aceti quantitate ſufficiente ad conſiſtentiam Pultis, cui addantur
Pulveris Gummi Ammoniaci Uncia ſemis,
Salis Ammoniaci Drachmæ duæ.
Egregium Remedium eſſe dicitur, ad reſolvendos Scirrhos, Scrophulas, Strumas induratas & Tumores Articulares commendabile.

CATAPLASMA EMOLLIENS *Plenckii.*

℞. Micæ Panis Siliginei Lacti imbutæ Uncias ſex,
Vitellorum Ovorum Numero tres,
Pulveris Croci Drachmas duas,
Farinæ Seminis Lini quantum ſatis.

Fiat Cataplaſma.

Adhibetur ad emolliendos Tumores inflammatorios nec non ad Suppurationem excitandam.

CATAPLASMA MATURANS *Plenckii.*

℞. Farinæ Seminis Lini Uncias quatuor,
Gummi Galbani Vitello Ovi ſoluti Unciam unam,
Pulpæ Ceparum ſub cineribus aſſatarum Drachmas duas,
Fermenti Panis Uncias duas,
Unguenti Baſilici Unciam unam,
Olei Liliorum alborum quantum ſatis:
Fiat Cataplaſma.

Vires nomen indicat.

CATAPLASMA MATURANS SAPONACEUM *Richard.*

℞. Cataplaſmatis de Mica panis Uncias ſedecim.
Saponis raſi Uncias duas:
Probe miſceantur.

Cum antecedente collatum minus quidem efficax eſt, ſed minores quoque dolores excitat.

CATAPLASMA DE MICA PANIS *Richard.*

℞. Micæ Panis Siliginei Uncias ſedecim,
Pulverum Florum Meliloti,
Sambuci ana Drachmas duas,
Coquantur cum
Lactis Unciis octo & quadraginta,
Ad conſiſtentiam Pultis.

Relaxandi & Maturandi ſcopo adhibetur.

CATAPLASMA POMACEUM *Plenckii.*

℞. Pulpæ Pomorum Uncias duodecim,
Camphoræ,
Pulveris Croci ana Scrupulum unum:
Miſceantur

Medica-

Medicamentum ad omnem Oculorum Inflammationem peridoneum; ad Vulnus Corneæ poſt Cataractæ operationem deligandum multum laudatur.

CATAPLASMA RESOLVENS *Plenckii.*

℞. Farinarum Reſolventium quantum vis,
Aquæ Vegeto-mineralis octuplum:
Coquantur ad conſiſtentiam Pultis.

Tumores inflammatorios egregie diſcutere dicitur.

CATAPLASMA RESOLVENS ad SCIRRHOS *Plenckii.*

℞. Seminis Lini,
Herbæ Cicutæ ana partes æquales;
Craſſo modo contuſa coquantur in
Lactis octuplo
Ad conſiſtentiam Pultis.

Tumores inflammatorios valide diſſolvere dicitur.

CATHOLICUM.

Videatur Electuarium Catholicum.

CAUSTICUM ANTIMONIALE.

Videatur Butyrum Antimonii.

CAUSTICUM COMMUNE *Geber*, POTENTIALE. LAPIS CAUSTICUS.

℞. Cinerum Clavellatorum partem unam,
Calcis vivæ partes quatuor:
Coquantur cum
Aquæ vigecuplo

Per aliquot horas: trajiciatur liquor per filtrum, filtratus evaporetur in vaſe vitreo ad ſiccitatem, fundatur leni calore & effundatur in modulum, quo ad præparationem Lapidis Infernalis uti ſolent.

Inſervit ad excitandos Fonticulos & ad auferendas Excreſcentias præternaturales.

CAUSTICUM LUNARE.

Videatur Lapis Infernalis.

CAUSTICUM COMMUNE MITIUS *Edimburgenſium.* CAUSTICUM POTENTIALE, VEL COMMUNE *Suecorum.*

℞. Cauſticum commune *Geber.*
Diſſolvatur in
Aquæ triplo,
Adjiciatur ſenſim
Calcis vivæ quantum ſatis, ut omnis liquor abſorbeatur, & Paſta ſurgat in vaſe obturato aſſervanda.
Vires nomen indicat.

CERA ARBOREA.

℞. Ceræ,
Reſinæ ana Uncias ſedecim,
Terebinthinæ Uncias ſex:
Fundantur leni igne.
Arborum Vulneribus obducitur.

CERA CITRINA.

Videatur Emplaſtrum Citrinum.

CERA AD CRINES *Wallbaum.*

℞. Ceræ albæ,
Unguenti Pomati ana partes æquales:
Leni calore liquata fundantur in Magdaleones.
Adhibetur ad uſus Coſmeticos.

CERA VIRIDIS *Kalde.*

℞. Ceræ Citrinæ Uncias tres & triginta,
Reſinæ,
Terebinthinæ ana Uncias duodecim:
Mixtis & liquatis adjiciantur
Viridis Æris probe triti Unciæ duæ.
Contra Clavos pedum feliciter adhibetur.

CERATUM COSMETICUM, POMADE EN CREME *Baumé.*

℞. Ceræ albæ,
Spermatis Ceti ana Unciam dimidiam,
Olei Amygdalarum dulcium Unciam unam:
Leni calore liquata agitentur uſque dum refriguerint:
Tunc ſenſim affundantur
Aquæ Roſarum Drachmæ ſex,
Sub perpetua agitatione reliquæ maſſæ commiſcendæ.
Adhibetur Coſmetico ſcopo ad Cutim mollem reddendam & lævem.

CERATUM DETERGENS *Falckii.*

℞. Ceræ albæ Uncias quatuor,
Olei Olivarum Uncias ſex:
Liquefactis admiſceantur
Mercurii dulcis Unciæ duæ,
Præcipitati rubri Uncia ſemis:
Sacchari Saturni Uncia una:
Singula prius in tenerrimum pollinem lævigata,
Olei deſtillati Lavendulæ Drachma ſemis:
Effundantur in capſulas chartaceas quadratas, & dum refriguerint in quadrata ſecentur.
Ad Ulcera Venerea Detergenda adhibetur.

CERATUM AD LABIA *Argentoratenſium* correctum.

℞. Succi Uvarum,
Pomorum ana Uncias duodecim,
Butyri recentis Uncias duas & triginta:
Coquantur lento igne ad conſumtionem humiditatis, per linteum trajectis addantur
Ceræ albæ Unciæ ſedecim,
Spermatis Ceti Uncia una:
Leni calore liquentur, ſub perpetua agitatione refrigeratis immiſceatur

Olei deſtillati Lavendulæ Drachma una.

Non modo ad Fiſſuras labiorum & Papillæ cum ſucceſſu adhibetur, ſed egregie quoque contra Impetiginem facit. Quibus in hoc medicamento arridet rubedo, commendanda Radix Alkannæ.

CERATUM REFRIGERANS Galeni AMYGDALINUM *Pariſienſium*, EMPLASTRUM ad FONTICULOS.

℞. Ceræ albæ Uncias duas,
Olei Amygdalarum Uncias octo:

Liquentur leni igne, & continuo agitentur, uſque dum refriguerint, tunc ſenſim admiſceantur

Aquæ Roſarum Unciæ ſex.

Qui in hoc Cerato deſideratur color albus, ut obtineatur, Oleo, quod Galenus præcipit, Rosarum ſubſtituimus Oleum Amygdalarum. Partibus, Inflammatione aut Impetigine laborantibus, pariter ac ab acribus Humoribus defendendis inungitur; contra Fiſſuras quoque cum ſucceſſu adhibetur, quin & deligandis Fonticulis uſum ſuum præſtat.

CERATUM SATURNINUM *Goulard.*

℞. Ceræ albæ Uncias octo,
Olei Amygdalarum Uncias octodecim:

Leni igne liquatis addantur

Extracti Saturni Unciæ quatuor:

Sub perpetua agitatione refrigeratis admiſceatur:

Camphoræ, parum Olei Amygdalarum diſſolutæ, Drachma una.

Ad Ulcera Calloſa, Fiſtuloſa Scrophuloſa & Venerea, nec non ad Impetiginem laudatur.

CEREOLI.

Videantur Candelæ.

CERUSSA ANTIMONII *Barchusen.*

℞. Reguli Antimonii partem unam,

Nitri partes tres:

Mixta in pulverem redacta Detonentur, Calx edulcorata aſſervetur.

Plane non differt ab Antimonio Diaphoretico.

CHALYBS PRÆPARATUS.

Limatura Chalybis in mortario ferreo piſtilli ferrei ope reducatur in tenerrimum pollinem; per cribrum ſericeum trajectus, aſſervetur in vitro probe clauſo.

Vires Æthiopis Martialis exſerit.

CHOCOLATA.

℞. Nucum Cacao *Caraques* leviter toſtarum Uncias ſedecim:

In pulverem redactæ committantur mortario ferreo, prunis ſuper impoſito & ſub gradu caloris eo, quem manus ſuſtineat, agitentur piſtillo, uſque dum in paſtam abierint; adjiciantur ſub agitatione, neque remiſſo calore continuanda:

Pulveris Sacchari Unciæ duodecim:

Ubi nulli ulterius grumuli in Maſſa obſervantur,

Addatur

Vanillæ, cum Sacchari Drachmis tribus in pulverem tritæ, Drachma una.

Exacte mixta Paſta committitur modulis parallelogrammis ferreis Stanno obductis.

Chocolata, quæ nulla Aromata recipit, *Chocolade de Santé* appellatur.

Rarius hodie in Pharmacopoliis Chocolata paratur, quippe, occupatis in ea conficienda propriis Artificibus, relinquitur proprio pro paranda Paſta inſtrumentorum apparatu inſtructis. Varia his Vanillæ adjiciendæ ratio eſt. Si Scrupulum unum ad Libram recipiunt, Chocolatam à *Une Vanille*, ſi duos à *Deux Vanilles* &c, denominare ſolent.

Paſtam quoque ex America mittere ſolent, aſt vero, utpote non raro ex minus bonis Nucibus paratæ, præferenda fere videtur ea quam ſibi Artifices ipſi parant.

Vires Chocolatæ tribuuntur Nutrientes, Corroborantes & Demulcentes. Patent hæ vires Chocolatæ ex Nucleis unde conficitur, quippe quibus præter mite Oleum ope Sacchari in Aqua ſuſpendendum, Adſtringentis & Aromatici quid inhæret; Uncia una cum menſtrui Aquoſi Unciis ſex pro doſi exhiberi ſolet.

CINERES.

Videatur Sal per incinerationem paratus.

CINERES CLAVELLATI DEPURATI.

Cineres clavellati diſſolvantur aqua frigida, ſolutio filtrata inſpiſſetur.

Cineres clavellati, cum non ſolum ab omnibus ſordibus ſed à Tartaro quoque Vitriolato, qui ipſis crebro immixtus eſt, liberentur, adhibentur ubicunque indicatio Alcali fixum adhiberi jubet. Cum autem Cineres clavellati non raro Salem communem contineant, ad uſus Chemicos iſta depuratio non ſufficit.

CINNABARIS ANTIMONII.

Videatur Antimonii Cinnabaris.

CINNABARIS CREMOR *Jungkenii.*

Cinnabaris ſupra Porphyriten lævigata coquatur cum Aqua in vaſe terreo, quæ inde ſuperficiei aquæ ſupernatant cuticulæ colligantur, exſiccentur & in pulverem terantur.

Obtinetur hac ratione Cinnabaris admodum tenera, illisque maxime commendabilis, qui ex principiis mechanicis, quomodo Sanguinem ſubire poſſit, explicare conantur.

CINNABARIS FACTITIA *Geber.*

℞. Florum Sulphuris partem unam:
Fundantur in vaſe terreo, & ipſi ſub perpetua ope piſtilli ferrei agitatione adjiciantur
Mercurii vivi partes ſeptem.

Ubi omnia in pulverem tenerrimum abierint, hic committatur Cucurbitæ & Sublimetur; prima ſub Sublimatione ſi non omnis pulchre ſplendet & cohæret pulveriſata,

Sublimetur denuo; rite Sublimata ſupra Porphyriten in tenerrimum pulverem trita aſſervetur.

Neutiquam à Cinnabari reliqua differt.

CINNABARIS NATIVA PRÆPARATA.

Cinnabaris in pulverem trita ex Cucurbita Sublimatur, ut ab omnibus heterogeneis liberetur, Sublimata ſupra Porphyriten lævigatur.

De ejus viribus jam ſermo fuit.

CLARETA LIQUEURS.

Parantur ſive ex partibus Vegetabilium cum Vino infuſis, quibus Spiritus Vini quarta ratione Vini pars, & tertia Sacchari adjicitur, ſive ex Succis Fructuum, quibus æquæ partes ſpiritus Vini & duæ trientes Sacchari commiſcentur, ſive ex Vegetalibus cum Spiritu Vini maceratis, quibus octava pars aquæ ratione Spiritus Vini additur, Spiritus calore Balnei Mariæ inde evocatur & Syrupo, qui Saccharum in pari cum Spiritu ratione habet, commiſcetur; ſive ex partibus anaticis Aquæ deſtiliatæ odoratæ & Spiritus Vini, quibus mixtis eorum ponderis quarta pars Sacchari & Olei cujusdam deſtillati aliquot guttæ adjiciuntur; ita CLARETUM ANISI, CINNAMOMI, MENTHÆ, PIPERIDITIS, quod EAU DE CHASSEURS appellatur &c. parari poſſunt.

Claretum quovis modo paratum per Filtrum trajicitur.

Clareta vix ſcopo medicato exhibentur, potius voluptatis gratia bibuntur: eorum ope Digeſtio omnino poteſt juvari, ſi Ventriculo cibo repleto committuntur.

Ut plurimum proprium Artificum genus circa eorum præparationem occupatum eſt; uſitatiſſimorum parandi rationem ex Cl. MACHY *Art du Deſtillateur Liquoriſte* exhibeo.

CLARETUM EAU DIVINE.

Videatur Aqua divina.

CLARETUM BARBADENSE.

℞. Flavedinem pomorum Citri Numero ſex.

Cinnamomi Uncias duas:
Inciſa & contuſa infundantur per ſex dies cum
Spiritus Vini Unciis ducentis quinquaginta ſex, addantur
Aquæ Unciæ triginta duæ:
Ex Veſica inde deſtillentur Unciæ ducentæ ſexaginta quatuor, quibus commiſceantur
Aquæ Unciæ ſexaginta quatuor,
Sacchari Unciæ centum viginti octo:
Relinquantur per quatuordecim dies & filtrentur.

Si Unciæ Spiritus modo centum viginti & octo Deſtillatione eliciuntur, & Sacchari Unciis octo & quadraginta in Aquæ Unciis centum octo & viginti diſſolutis, edulcorantur, Liquor Cremor Barbadensis dicitur.

CLARETUM CACAO.

℞. Nucum Cacao decorticatarum & toſtarum Uncias ſedecim,
Cinnamomi Unciam unam,
Vaniglia Drachmas duas,
Caryophyllorum Drachmam unam,
Contuſa infundantur per octiduum in
Spiritus Vini Unciis centum octo & viginti:
Filtratis addatur
Spiritus paratus ex
Nucum Cacao decorticatarum & toſtarum Unciis duabus & triginta,
Cinnamomi Uncia una,
Contuſis per ſex dies, infuſis cum
Spiritus Vini Unciis centum viginti & octo
& unde Deſtillationis ope Spiritus Unciæ ſexaginta & quatuor erant elicitæ:

Adjiciantur Sacchari Unciæ quatuor & ſexaginta diſſolutæ in centum viginti & octo Unciis Aquæ;

Elapſis quatuordecim diebus Liquor filtretur.

CLA-

CLARETUM CAFFÉE.

Paratur ut antecedens, præterquam quod Nucibus Cacao ſubſtituantur Nuces Caffée, & Aromata, Vaniglia excepta, omittantur.

CLARETUM CORONARIUM EAU *de Bouquet.*

℞. Caryophyllorum Drachmam unam,
Ligni Rhodii Drachmas duas:
Inciſa & contuſa infundantur per octiduum cum
Spiritus Vini Unciis centum viginti & octo:
Deſtillando inde elicitis ſex & nonaginta Unciis Spiritus addantur
Olei Jaſmini Scrupulus unus,
Vanillæ contuſæ Scrupulus dimidius,
Radicis Ireos Florentinæ contuſæ Drachmæ duæ,
Sacchari Unciæ triginta duæ, in totidem Unciis Aquæ ſolutæ,
Ambræ gryſeæ, Saccharo tritæ, Granum unum:
Elapſis octo diebus filtrentur.

CLARETUM FLORUM AURANTIORUM, HUILE DE FLEURS D'ORANGE *dictum.*

℞. Florum Aurantiorum Uncias ſedecim:
Infundantur per menſem cum
Spiritus Vini Unciis ſex & quinquaginta:
Coletur liquor valida expreſſione, adjiciantur
Sacchari Unciæ quadraginta diſſolutæ in
Aquæ Unciis octo & viginti:
Elapſis quatuordecim diebus filtretur.

CLARETUM FRUCTUUM.

℞. Ceraſorum dulcium maturorum partes triginta,
Ribeſiorum partes duodecim,
Ruborum Idæorum partes ſex:
Contundantur & infundantur per menſem cum

Spiritus Vini pari quantitate:
Succi ope preli expreſſi Unciis quingentis & duodecim addantur
Caryophyllorum contuſorum numero quadraginta octo:
Vaniglia Siliqua una,
Sacchari Unciæ nonaginta ſex:
Elapſo menſe Liquor filtretur.

CLARETUM DE *GARUS*.

Videatur Elixir de Garus.

CLARETUM NUCLEORUM.

℞. Nucleorum Perſicorum numero centum:
Integri infundantur per menſem cum
Spiritus Vini Unciis duabus & triginta:
Addantur
Vanigliæ, Saccharo tritæ, Grana ſex,
Sacchari Unciæ octo,
Poſt diem decimum quartum Liquor filtretur.

CLARETUM, HUILE DE VENUS *dictum*.

℞. Seminum Carvi Drachmas decem,
Dauci Drachmas quinque,
Macis Scrupulos quinque:
Contuſa infundantur per quatriduum in
Spiritus Vini trecentis & viginti Unciis:
Addantur
Sacchari Unciæ ducentæ & quadraginta,
Aquæ Unciæ centum & viginti,
Croci quantum ſatis ad colorandum:
Filtrentur.

CLARETUM EX SEMINIBUS CARMINATIVIS, ROSSOLIS DE SIX GRAINS *Pariſienſium*.

℞. Seminum Aniſi,

Seminum Anethi,
Fœniculi,
Coriandri,
Carvi,
Dauci Cretici ana Unciam unam:
Contuſa infundantur per menſem cum
Spiritus Vini Unciis ducentis & triginta:
Addantur
Sacchari,
Aquæ ana Unciæ quadraginta:
Filtrentur.

Hoc Claretum ſe non tam ſaporis ſuavitate, quam virtute Carmiuativa commendat.

CLYSMA CARMINATIVUM *Richard.*

℞. Baccarum Juniperi,
Seminum Aniſi,
Cumini ana Drachmas duas:
Contuſa coquantur in Aquæ Unciis ſedecim ad remanentiam
Unciarum duodecim, quibus diſſolvatur
Saponis Veneti Uncia dimidia.

CLYSMA COMMUNE *Londinenſium.*

℞. Herbæ Malvæ Unciam unam,
Florum Chamomillæ,
Seminis Fœniculi ana Unciam dimidiam:
Inciſa & contuſa coquantur cum
Aquæ Unciis duodecim:
Colentur.

Effectus Carminativos edit.

CLYSMA EMOLLIENS *Plenckii.*

℞. Lactis Vaccini,
Olei Lini ana Uncias quatuor:
Miſceantur.

In Teneſmo, Inflammatione Inteſtinorum, Uteri ac Veſicæ cum ſucceſſu injicitur.

CLYSMA LENIENS *Richard.*

℞. Seminis Lini Unciam dimidiam:
Contuſæ & in Aquæ Unciis decem ad Uncias ſex decoctæ addantur
Olei Lini Unciæ duæ.

CLYSMA NUTRIENS *Plenckii.*

℞. Juſculi Carnis Bovinæ.
Lactis Vaccini ana Uncias tres,
Gelatinæ Cornu Cervi Unciam unam:
Miſceantur.

Injicitur Nutrimenti loco quibus Deglutiendi impedita facultas eſt.

CLYSMA OPIATUM *Plenckii.*

℞. Seminis Lini contuſi Unciam unam:
Infundatur per horam cum
Aquæ fervidæ Unciis ſex:
Colatura diſſolvantur
Extracti Opii Grana duo.

Scopo Anodyno & Antiſpaſmodico injicitur.

CLYSMA SIMPLEX *Richard.*

℞. Foliorum Malvæ Manipulum unum:
Inciſus coquatur Aquæ Unciis ſedecim ad Uncias duodecim:
Colatis diſſolvantur
Saponis Veneti Drachmæ duæ.

Adhibetur ad reſerandam Alvum.

CLYSMA AD SOPOROSOS AFFECTUS *Richard.*

℞. Foliorum Sennæ,
Salis communis ana Unciam ſemis:

Inciſa cum Aquæ Unciis ſedecim ad Uncias duodecim decoquantur:
Colaturæ addantur
Vini Emetici turbidi Unciæ duæ.

CLYSMA TEREBINTHINATUM *Plenckii*.

℞. Terebinthinæ Unciam dimidiam:
Diſſolvatur Vitello ovi:
Addantur
Decocti Emollientis Unciæ decem,
Olei Lini Uncia una:
Miſceantur.
Contra Aſcarides & Vlcera Inteſtinorum injicitur.

COLLUTORIUM ANTISCORBUTICUM *Plenckii*.

℞. Aquæ Cochleariæ,
Tincturæ Laccæ ana Uncias duas,
Spiritus Cochleariæ Unciam unam:
Miſceantur.
Adhibetur ad Stomacacen & Aphthas Scorbuticas curandas.

COLLUTORIUM GINGIVALE, EAU DE MADAME DE LA VRILLIERE *Beaumé*.

℞. Herbarum recentium Naſturtii Aquatici Uncias ſex,
Cochleariæ Uncias octo,
Flavedinis Corticum Citri Unciam unam ſemis,
Cinnamomi Uncias duas,
Caryophyllorum Drachmas ſex,
Florum Roſarum rubrarum Unciam unam:
Inciſa, contuſa infundantur per viginti quatuor horas cum
Spiritus Vini rectificati Unciis octo & quadraginta:
Deſtillentur ſecundum artem.
Hoc Spiritu æquis partibus Aquæ Cochleariæ mixto Palatum colluitur.

COLLUTORIUM ODONTALGICUM *Plenckii.*

℞. Radicis Pyrethri Drachmas duas,
Salis Ammoniaci Drachmam unam,
Extracti Opii Grana duo,
Aceti,
Aquæ deſtillatæ Lavendulæ ana Uncias duas:
Inciſa & trita infundantur calide per aliquot horas:
Colatura ſervetur.

Hujus Collutorii Cochlear unum crebrius de die Ore clauſo contentum Odontalgiæ carioſæ & rheumaticæ remedium eſſe dicitur haud ſpernendum.

COLLYRIUM ADSTRINGENS *Richard.*

℞. Trochiſcorum alborum Rhases Drachmam unam,
Vitrioli albi Drachmam ſemis,
Sacchari Saturni Scrupulum ſemis,
Aquæ Roſarum Uncias quatuor.

Ad Ophthalmiam humidam & Epiphoram adhibetur.

COLLYRIUM *Lanfranci.*

℞. Auri pigmenti Drachmas duas,
Viridis Æris Drachmam unam,
Myrrhæ,
Aloës ana Scrupulos duos:
Probe tritis ſenſim commiſceantur
Vini albi Unciæ ſedecim,
Aquarum Plantaginis,
Roſarum ana Unciæ tres:
Miſceantur.

Rariſſime ad morbos Oculorum adhibetur, Ulcera Oris Venerea una aut altera ejus Gutta haud inepte tinguntur, injiciendo quoque contra Ulcera Venerea aliarum partium adhibetur.

COLLYRIUM RESOLVENS *Richard.*

℞. Sacchari Saturni,
Salis Ammoniaci depurati ana Grana tria,
Aquæ fontanæ Uncias duodecim:
Diſſolvantur
Laudatur contra Ophthalmiam Scorbuticam.

COLLYRIUM ROBORANS *Richard.*

℞. Aquæ Roſarum Uncias quatuor,
Vini Emetici Unciam ſemis,
Balſami Fioraventi Drachmas duas:
Miſceantur.
Conducit ad curandam Ophthalmiam ſeroſam.

COLLYRIUM SAPPHYRINUM.

Videatur Aqua Ophthalmica cœrulea.

CONCHÆ CITRATÆ *Ratisbonenſium.*

Conchis bene ablutis & in pulverem redactis affundatur iterum iterumque Succus Citri, uſque dum ex affuſo nulla amplius ſurgat effervefcentia. Inde nata paſta teratur in pulverem.

Quid vero, quod hac ratione & Conchæ & Succus Citri reddantur inertes? Ego certe, quam ob cauſam Medicorum nonnulli has Conchas Diureticas eſſe voluerint, non video?

CONCHÆ PRÆPARATÆ.

Teſtæ Concharum abluantur primo multum diluto Lixivio vulgari dein aqua ſimplici, uſque dum hæc cum illis aliquantisper agitata non amplius turbetur; Conchæ ablutæ exſiccentur, in pulverem terantur, ſupra Porphyriten lævigentur aqua. Ex pulpa inde orta, per infundibulum pennæ ope premenda, efformentur pyramidulæ.

CONDITA.

Cortices aut *Radices* recentes mundantur, Aqua fontana per biduum macerantur, coquuntur uſque dum molleſcant, defunditur inde aqua ad uſum mox dicendum aſſervanda; ipſæ denuo aqua abluuntur, utque humor inde ſecedat ſuper inverſum cribrum ponuntur; commiſſis deinde vaſi figulino ſuperfunditur eorum ponderis Sacchari duplum cum Aqua, in qua fuerant decoctæ, ad leviorem conſiſtentiam coctum & deſpumatum; elapſis aliquot diebus eximuntur Vegetabilia condienda, magis inſpiſſatur Syrupus, & frigidus illis denuo adjicitur, quæ operatio poſt aliquot dies denuo repetitur.

Drupæ immaturæ acu perforatæ, in Aqua frigida, per ſex vel octo dies ſingulos mutanda, macerantur; quo facto ad mollitiem coquuntur; & cocto Saccharo committuntur.

Poma vix matura, demto cortice & exciſis ſeminibus, absque prævia maceratione ad mollitiem coquuntur & adjiciuntur Saccharo, antequam iſtud ad conſiſtentiam pervenerit, ut cum eodem adhuc aliquot ebullitiones ſuſtineant.

Baccæ committuntur æquis partibus Sacchari ad conſiſtentiam tabulandi cocti, hoc cum inde diluatur, continuanda eſt coctio uſque dum Saccharo conſiſtentia Tabulandi ſit reſtituta.

In Sacchari coctura parandis Conditis inſtituenda cavendum, ne ulla reſideat ſpuma neque vas, cui Conditum committitur, niſi elapſis aliquot diebus, tegatur.

Hoc Præparatorum genus, ab Arabibus ad nos perlatum, cum hodie rarius ad uſus medicatos recipiatur, Condita ut plurimum ex Officinis Cupedinariorum petuntur.

CONFECTIO ALKERMES *Mesve correcta.*

℞. Succi pomorum recentiorum Uncias ſedecim:
Sacchari albi Uncias triginta,

Diſſo-

Diſſolutis & Clarificatis addantur

Succi granorum Kermes Monſpelienſis Unciæ ſedecim,
Pulveris Cinnamomi Uncia ſemis,
Coccionellæ Drachmæ tres,
Foliorum Auri numero quinquaginta:

Agitentur Spatula lignea in vaſe lapideo ad Auri foliati comminutionem.

Si COMPLETA deſideratur, addantur

Ambræ gryſeæ, Saccharo tritæ, Scrupulus unus,
Moſchi, Saccharo triti, Grana decem.

Ab Arabibus etiam nimis laudatum Medicamentum, ſcopo Analeptico inſervit. Datur ad Drachmam unam. Lapidem Lazuli, cum aliis inertibus, quæ in Veterum occurrunt Compoſitionibus, expunxi, non quod cum TRILLERO *& multis aliis Auctoribus irritationem Primarum Viarum inde metuam, ſed quia ejus vires in ea, qua hanc Confectionem ingredi ſolet, ratione, omnino nullæ ſunt, & quia non raro ipſi Lapidem Armenum, veram utique Cupri glebam, ſolent ſubſtituere. Doſis Confectionis Alkermes una Drachma abſolvitur.*

Completa plane non differt ratione virium à CONFECTIONE ALKERMES REGIA CHARAS.

CONFECTIO ANISI LAXATIVA *Jungken.*

℞. Seminis Aniſi probe purgati Uncias tres,

Immittantur Aheno latiori fundo inſtructo; tepefactis adjiciantur

Sacchari ad conſiſtentiam Tabulandi cocti Unciæ viginti quatuor

Ea lege, ut primum ejus aliquot cochlearia Semini ſuperfundantur, & dein inſpergatur Pulvis ex

Reſinæ Jalappæ, nucleis Pineis probe tritæ, Drachmis tribus cum dimidia

Pulveris Cinnamomi Drachmis duabus

paratus; agitentur probe uſque dum ſiccæ appareant; denuo

aliquot cochlearia adjiciantur & agitentur & hæc repetantur uſque dum omne Saccharum adhibitum fuerit.

Hac ratione omnes Confectiones Siccæ parantur, quæ autem hodie ut plurimum à Cupedinariis petuntur.

Olim Confectio Aniſi laxativa multo in uſu erat, hodie cum reliquis Purgantibus Reſinoſis rarius uſurpatur. Pueris atque illis qui alia medicamenta Laxantia reformidant, inſervire poteſt. Uncia una octo circiter Grana Reſinæ habet.

CONFECTIO CINNAMOMI REGIA *MYNSICHTI.*

℞. Chocolatæ Uncias quatuor,
Nucum Indicarum Conditarum Numero tres:
Probe contuſis addantur
Confectionis Alkermes Uncia una,
Olei Cinnamomi Drachma ſemis,
Syrupi Cinnamomi Unciæ ſex:
Probe omnia miſceantur.

Analepticum gratiſſimum egregiumquæ Stomachicum hæc Confectio præbet; datur ad Drachmam unam pro Doſi.

CONFECTIO HAMECH *Rhazes* correcta.

℞. Radicum Polypodii Drachmas octodecim,
Prunorum dulcium,
Paſſularum ana Uncias octo,
Myrobalanorum citrinarum Uncias ſex,
Herbarum Abſynthii vulgaris Unciam dimidiam,
Thymi Unciam unam,
Cuſcutæ Uncias duas,
Rhabarbari Uncias duas cum dimidia,
Foliorum Sennæ Unciam unam,
Colocynthidis à Seminibus purgatæ,
Agarici albi ana Drachmas octodecim,
Florum Roſarum rubrarum,
Seminum Aniſi,

Seminum Fœniculi ana Drachmas ſex,
Violarum Uncias duas:
Inciſa & contuſa macerentur per horas viginti quatuor cum
Seri Lactis Vaccini Ducentis octoginta octo Unciis:
Deinde bulliant per horam; fiat colatura ſub valida expreſſione; reſiduum bulliat cum
Aquæ ducentis & ſexaginta Unciis
per ſemi horam; decoctum fortiter exprimatur & priori adjiciatur; omnis liquor poſtquam per viginti quatuor horas repoſitus fuerit, decantetur à fæcibus, quas depoſuit, & blando calore vaporet ad conſumtionem tertiæ partis; ipſi addantur
Sacchari Unciæ octodecim,
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi tenuioris, in quo diſſolvantur
Mannæ Unciæ duæ,
Pulpæ Caſſiæ Unciæ quatuor,
Tamarindorum Unciæ quinque:
His refrigeratis, addatur & probe immiſceatur Pulvis conſtans ex
Diacrydii Uncia una ſemis,
Myrobalanorum Drachmis octodecim,
Rhabarbari Drachmis tribus,
Seminis Aniſi,
Spicæ Nardi ana Drachmis duabus.

Schulz l. c. eam Plantis Pedum impoſitam ad reſerandam Alvum commendat. Ego inconcinnam compoſitionem omiſiſſem, niſi conſtaret, illam vel hodie adhuc ad Unciam unam usque morbis Cutaneis & Venereis laborantibus exhiberi, Clysmatibus quoque ubi Alvus pertinaciter clauſa eſt adhiberi.

CONFECTIO DE HYACINTHO *Avicennæ à Pariſienſibus* correcta.

℞. Pulveris Croci Unciam ſemis,
Syrupi Citri è toto Uncias duas & triginta:

Probe mixtis addantur
Lapidum Hyacinthi præparatorum Uncia ſemis,
Oculorum Cancrorum præparatorum,
Pulverum Terræ ſigillatæ ana Unciæ tres,
Cinnamomi Uncia una,
Dictamni Cretici,
Santali Citrini ana Drachmæ tres,
Myrrhæ electæ Drachmæ duæ:
Miſceantur.

Huic medicamento olim ob Gemmas, quarum plures recipiebat, vires Cordiales maxime adſcribebantur, cum autem Gemmas inertes eſſe conſtet, non niſi Lapis Hyacinthi, à quo denominationem accepit, retinetur. Ita correctum in nimiis Hæmorrhagiis & aliis Fluxionibus moderandis ad Drachmam integram cum fructu exhibetur.

CONFECTIO DE REBECHA *Renodæi.*

Videantur Trochiſci Becchici albi.

CONFECTIO UNIVERSALIS.

Videatur Electuarium Catholicum duplicatum.

CONSERVÆ.

Sunt Vegetabilia, quæ non exſiccata, ope Sacchari à corruptione defenduntur, & ita absque ulla principiorum jactura conſervantur. Hoc ſcopo hæ ſubſtantiæ ope piſtilli lignei in mortario lapideo comminuuntur in pulpam tenerrimam, cui duplum Sacchari adjicitur & tundendo cum eis miſcetur exactiſſime.

Conſervæ ex Fructibus parantur, horum pulpam per cribrum trajiciendo & cum Saccharo miſcendo. Medicamenta, quæ ex Vegetabilibus ſiccis ope Aquæ & Sacchari parantur, non Conſervæ ſunt, ſed Electuaria. Si Conſervarum Unciis duodecim adjiciuntur Drachmæ duæ Spiritus Vitrioli, appellantur VITRIOLATÆ.

CONSERVA SPAGYRICA *Emmerici* VISCERALIS *Argentoratenſium* correcta.

℞. Salis Abſynthii Uncias tres cum Drachmis ſex,
Cinnamomi Drachmas duas,
Macis,
Caryophyllorum,
Zinziberis ana Drachmam unam,
Tartari Vitriolati Unciam unam & Drachmas ſex,
Sacchari albi Uncias octo:
In tenuiſſimum Pulverem redactis addantur
Conſervarum Roſarum rubrarum Unciæ ſedecim,
Tunicæ Unciæ octo,
Spiritus Vitrioli Drachmæ duæ,
Oleorum deſtillatorum Aniſi,
Citri ana Drachma una,
Fœniculi Drachma ſemis,
Cinnamomi Scrupulus unus,
Menthæ Guttæ quatuor:
Miſceantur optime.

Laudatur ad Viſcera roboranda eorumque Obſtructiones reſerandas. Datur ad Drachmam unam.

CORALLIA PRÆPARATA.

Parantur ſine prævia ablutione, in modum Concharum.

CORNU CERVI AURATUM *Noricorum.*

℞. Croci Solis *Noricorum* Scrupulos quatuor,
Cornu Cervi philoſophice præparati Unciam unam:
Miſceantur.

Medicamentum in Variolis, Morbillis, Febribusque malignis Sudoriferum eſſe & Cordiale præſtare dicitur; cum autem

utrumque ejus ingrediens iners ſit, quid inde ſit ſperandum, facile patet.

CORNU CERVI PHILOSOPHICE SEU SINE IGNE PARATUM *Auguſtanorum.*

Cornu Cervi apices coquuntur cum Aqua, uſque dum molleſcant, eximitur inde cultri ope medulla, ſeparatur externus nigricans cortex, ſiccantur & in Pulverem reducuntur.

Quivis videt Cornu Cervi hac ratione maxima portione ſuæ Gelatinæ, unde omnis ejus vis medicata pendet, privatum iners omnino evaſurum.

CORNU CERVI USTUM *Galeni.*

Cornua Cervina, in fruſta diſſecta, inter medios carbones candentes detinentur uſque dum tota alba evadant, nec in diffractis ulterius aliquid nigri appareat.

Fruſtra ab inerti terra aliquid medicati expectatur, nec Aqua cum eo cocta plures quam ex Silice recipiet virtutes.

CORNU CERVI USTUM PRÆPARATUM.

Paratur in modum Coralliorum præparatorum.

Ad Polienda Metalla maxime adhibetur.

CORNUUM PRÆPARATIO.

Lima in ſcobem reducuntur, quæ in tenuiſſimum Pulverem, per linteum tenue trajiciendum, reducitur.

COSMETICUM CLAVII.

Videatur Magiſterium Marcaſitæ.

CREMOR TARTARI.

Conficitur ex Cryſtallis Tartari in Pulverem redigendis.

CROCUS ANTIMONII.

Videatur Crocus Metallorum.

CROCUS MARTIS ADSTRINGENS.

Hoc nomine *Würtenbergenſibus* & *Brunſvicenſibus* venit Vitriolum ad rubedinem calcinatum; *Pariſienſibus* & *Argentoratenſibus* Limatura Martis calcinata.

Ad Uſum internum non adhibetur, ſed Emplaſtris Exſiccantibus & Adſtringentibus additur.

CROCUS MARTIS APERITIVUS.

Hoc nomine venit ſive ſecundum Zwoelffer Ferrum ex Vitriolo dejectum & præcipitatum, quod minus bene calcinari jubent, ſive præeunte Lemery Rubigo Lota.

Calcibus evidenter Adſtringentibus minus bene vires Aperientes adſcribuntur.

CROCUS MARTIS APERITIVUS ANTIMONIATUS *Stahlii.*

Scoriæ Reguli Antimonii Martialis reponantur in cellam uſque dum in pulverem dilabantur; hic Pulvis agitetur cum Aqua, quæ inde turbida poſt aliquam moram defundatur; affundatur pulveri nova Aqua, agitata denuo decantetur & hæc continuentur, uſque dum nova affuſa Aqua inde ulterius parum aut plane non turbetur; hæ aquæ turbidæ inter ſe confuſæ reponantur in quietem, Pulvis inde ſecedens Detonetur cum Nitri triplo, & edulcoratus aſſervetur.

Hoc Medicamentum in Hæmorrhagiis Uteri, Hæmorrhoidum nimio Fluxu, Diarrhæa, Febribus intermittentibus, laudabilem & præſentaneam ſæpe operam navare Stahlius *teſtatur; ſe ipſum in Lochialibus Puerperarum turbis, Spaſticis etiam, nec non in Atrophicis Puerorum affectibus perſrequenter Croco hoc uſum eſſe affirmat, quin ipſi Cortici peruviano longiſſime præfe-*

rendum ducit. Ultra Grana ſex ejus Doſin non extendendam volunt.

CROCUS METALLORUM *Quercetani.* CROCUS ANTIMONII.

Eſt Hepar Antimonii Aqua fervida edulcoratum.

Vehemens Emeticum nunquam in ſubſtantia præbendum. Grana tria vel quatuor per noctem in Vini Unciis duabus infuſa Vinum virtute Emetica imbuunt. Veterinarii ad Equos Purgandos pro una doſi ad Unciam ſemis imo ad Drachmas ſex devorandum exhibent.

CROCUS SOLIS *Noricorum.*

℞. Nitri depurati Uncias decem,
Aluminis Uncias octo,
Salis communis Uncias quinque,
Foliorum Auri Unciam ſemis:

Mixta terantur uſque dum Aurum diſparuerit; diſſolvantur Aqua fervida; ſolutioni adjiciatur Oleum Tartari per deliquium; Aurum inde dejectum Aqua fervida probe edulcoretur, & dein in Crucibulo calcinetur, uſque dum colorem violaceum induerit.

Vires Cordiales & Bezoardicas, quas olim huic Calci affinxerunt; nullas eſſe, hodie uberrime eſt evictum.

CRYSTALLI LUNÆ.

Videatur Lapis Infernalis.

CRYSTALLUM MINERALE.

Videatur Lapis Prunellæ.

CRYSTALLUS MONTANA PRÆPARATA.

Fragmenta Cryſtalli montanæ ignita Aqua extinguantur, reducantur in Pulverem, & tractentur ut ſub Coralliis dictum fuit.

CUPRUM ANTIMONIATUM.

Videatur Specificum Antepilepticum *Weismann.*

DECO-

DECOCTUM ALBUM *Sydenhami* correctum.

℞. Raſuræ Cornu Cervi,
Micæ Panis Tritici albiſſimi ana Unciam ſemis:
Coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis triginta ſex,
Ad reſiduas Uncias quatuor & viginti:
Colatura diſſolvantur
Gummi Arabici Drachma una ſemis,
Sacchari Drachmæ duæ.
In Febribus ad Æſtum Sitimque refrenandam laudatur.

DECOCTUM AMARUM *Pariſienſium.*

℞. Radicis Gentianæ Drachmas duas:
Bulliant per horæ ſemiquadrantem in
Aquæ communis Unciis octo & quadraginta:
Tum addantur
Summitatum Centaurei minoris,
Herbarum Cardui benedicti,
Scordii,
Flavedinis Corticum Citri recentis ana Drachmæ duæ,
Infundantur in vaſe tecto uſque dum Decoctum frigidum evaſerit, quod deinde decantetur.
Bibitur per Cyathos pro roborandis Primis Viis & reſerandis Viſceribus Abdominalibus.

DECOCTUM ANTIPSORICUM *Suecorum.*

℞. Raſuræ Lignorum Guajaci ſeſqui Unciam,
Juniperi Unciam unam,
Radicis Chinæ conſciſſæ Unciam ſemis:
Immittantur in
Aquæ fontanæ Uncias ſeptuaginta duas:
Addantur
Argenti vivi,
Antimonii contuſi ana Unciæ ſex:

Sacculo linteo incluſa coquantur ad dimidium; ſub finem Addatur

Radicis Liquiritiæ Uncia ſemis:

Cum ſemel adhuc ebulliverint, colentur.

Pro Sanguine depurando, in morbis Scabioſis & Venereis conducit.

DECOCTUM ANTISCORBUTICUM *Richard.*

℞. Radicum Raphani ruſticani Uncias duas:

Coquantur per horæ quadrantem ex

Aquæ Unciis octoginta:

Tunc addantur

Herbarum recentium Beccabungæ,

Naſturtii aquatici,

Cochleariæ,

Acetoſæ ana Pugilli duo,

Paululum coquantur, colentur & addantur

Aceti Unciæ quatuor.

Exhibetur per Cyathos.

DECOCTUM ANTIVENEREUM *Ulyſſiponenſe.*

℞. Lignorum Santali albi,

rubri ana Uncias tres,

Rhodii,

Guajaci,

Saſſafras ana Unciam unam,

Radicis Sarſaparillæ Uncias tres,

Antimonii Uncias duas,

Corticum Mezeræi Unciam dimidiam:

Inciſa & contuſa infundantur per nycthemerum cum

Aquæ fontanæ bullientis Unciis centum & viginti:

Coquantur deinde ad dimidium, ſub finem adjiciatur

Radicis Liquiritiæ Uncia dimidia:

Colentur.

Multum tam ad Luem Veneream curandam, quam ad auferenda mala, quæ curam Mercurialem excipere ſolent, laudatur. Ejus Unciæ octodecim ad quadraginta octo uſque de die exhibentur.

DECOCTUM ANTIVENEREUM LAXANS *Pariſienſium.*

℞. Raſuræ Ligni Guajaci,
Radicum Sarſaparillæ,
Chinæ ana Drachmas duas,
Antimonii Unciam unam:
Inciſa & contuſa coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis duabus & triginta
Ad remanentiam Unciarum quatuor & viginti:
Tum addantur
Radicum Polypodii Uncia ſemis,
Rhabarbari electi Drachma ſemis,
Liquiritiæ,
Foliorum Sennæ ſine ſtipitibus
Ligni Saſſafras ana Drachma una,
Salis Tartari Grana quatuor,
Seminis Coriandri Drachma dimidia:
Inciſa & contuſa infundantur per noctem, mane ſemel bulliant & deinde colentur

Hoc Decoctum uſui Mercurii interponitur, integra Doſis de die hauritur, augendæ etiam apud robuſtiores ſunt Purgantium rationes.

DECOCTUM AVENACEUM *Loweri.*

℞. Avenæ excorticatæ Uncias tres,
Ligni Santali rubri inciſi Drachmas duas:
Coquantur cum
Aquæ fontanæ Unciis duabus & ſeptuaginta
Ad trientis conſumtionem, Colaturæ addantur
Nitri depurati Drachmæ duæ,
Sacchari albi Uncia una.

Humores diluit, Æſtum temperat, pro Potu ordinario aſſumi poteſt.

DECOCTUM CHINÆ RADICIS *Suecorum.*

℞. Radicis Chinæ,
Paſſularum minorum ana Unciam unam:
Inciſa coquantur ex

Aquæ fontanæ Unciis duabus & ſeptuaginta:
Ad conſumtionem quadrantis. Colentur

Ad Sanguinem temperandum aliquot ejus Cyathi hauriuntur de die.

DECOCTUM CITRI *Mynsichti.*

℞. Malorum Citri Numero quinque,
In taleolos tenues & rotundos ſecta coquantur
Aquæ fontanæ Unciis duabus & ſeptuaginta
Ad conſumtionem trientis:
Colatura diſſolvantur
Sacchari albiſſimi Unciæ quatuor.

Decoctum gratiſſimum in omni Febrium genere, nec non in morbis Bilioſis pro Potu ordinario bibitur.

Si loco Aquæ Decoctum Hordei aut Cornu Cervi recipitur, ſurgit DECOCTUM HORDEI aut CORNU CERVI CITRATUM.

DECOCTUM COMMUNE, sive PTISANA COMMUNIS *Pariſienſium.*

℞. Hordei depurati Uncias duas,
Radicis Graminis inciſæ Unciam unam:
Coquantur ex
Aquæ fontanæ centum octo & viginti Unciis
Ad reſiduas Uncias ſex & nonaginta:
Sub finem cocturæ addatur
Radicis Liquiritiæ inciſæ Uncia ſemis:
Coletur.

DECOCTUM DIURETICUM *Richard.*

℞. Radicum Petroſelini,
Fœniculi ana Unciam unam,
Seminum Dauci ſylveſtris,
Fructuum Alkekengi ana Unciam ſemis:
Inciſa & contuſa coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis ſexaginta,
Ad reſiduas Uncias octo & quadraginta:

Sub finem addantur
Herbæ Parietariæ Manipulus unus,
Paſſularum majorum inciſarum Uncia ſemis:
Colatura diſſolvantur
Nitri depurati Drachmæ duæ.

DECOCTUM FEBRIFUGUM *Richard.*

℞. Corticis Chinæ electi Uncias duas:
Coquantur per dimidiam horam cum
Aquæ Unciis ſex & nonaginta:
Colatura diſſolvatur
Nitri depurati Drachma una.
Quater de die exhibetur Cyathus ad pellendam Febrem.

DECOCTUM seu APOZEMA FEBRIFUGUM LAXANS *Richard.*

℞. Corticis Chinæ electi & craſſe contuſi Uncias duas:
Coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis nonaginta ſex,
Ad reſiduas Uncias quatuor & ſeptuaginta:
Sub finem addantur
Herbarum recentium Cichorii ſylveſtris,
Endiviæ ana Pugilli duo,
Foliorum Sennæ Uncia dimidia:
Colaturæ adjiciantur
Salis mirabilis Glauberi Uncia ſemis,
Syrupi Cichorei cum Rhabarbaro Unciæ duæ.
Priori ſubſtituitur, ubi ſuſpicio eſt, Viſcera Abdominalia non omnino eſſe libera.

DECOCTUM AD FUNGOS ARTICULORUM *Heiſteri.*

℞. Lithargyrii Uncias ſex,
Boli Armenæ Unciam unam,
Maſtyches,
Myrrhæ ana Unciam dimidiam,
Aceti Uncias quatuor & viginti:

Mixta coquantur leni igne per dimidiam horam.
Applicatur ſub forma Fomenti.

DECOCTUM HORDEI CITRATUM.

Videatur Decoctum Citri.

DECOCTUM HORDEI *Suecorum.*

℞. Hordei integri Uncias tres,
Radicum Graminis conciſarum Unciam unam,
Aquæ fontanæ Uncias centum & viginti:
Coquantur ad Uncias uſque nonaginta ſex:
Colaturæ ſi addantur Oxymellis ſimplicis Unciæ quatuor, ACIDULATUM dicitur.

In Febribus, Hæmorrhagiis, Fluxibus Alvi, Morbis bilioſis &c. in Potus ordinarii vicem cum ſummo ſucceſſu bibitur.

DECOCTUM IPECACUANHÆ *Piſonis.*

℞. Radicis Ipecacuanhæ craſſe contuſæ Drachmas duas:
Decoquantur lento igne ex
Aquæ fontanæ Unciis quatuor
Ad trientis conſumtionem:
Coletur.
Reſiduum rurſus coquatur ex
Aquæ Unciis quatuor; ut antecedens coletur.
Denuo decoquatur reſiduum, modo dicta ratione.

Decocta ſingula dentur pro Doſi Dyſentericis tribus diebus continuis.

DECOCTUM LAPATHI *Richard.*

℞. Radicum Lapathi acuti Uncias duas,
Enulæ Campanæ,
Baccarum Juniperi ana Unciam ſemis:
Inciſa & contuſa coquantur ex
Aquæ Unciis duabus & ſeptuaginta
Ad dodrantis evaporationem:
Sub finem addatur

Herbæ Fumariæ inciſæ Manipulus unus:
Colentur.

In morbis Cutaneis ad Sanguinem depurandum per Cyathos exhibetur.

DECOCTUM LIGNORUM *Brunſvicenſium.*

℞. Raſuræ Ligni Guajaci
Juniperi,
Radicum Bardanæ ana Unciam unam ſemis,
Scrophulariæ,
Stipitum Dulcamaræ,
Herbæ Saponariæ cum toto ana Unciam ſemis:
Inciſa coquantur cum
Aquæ fontanæ Unciis centum & quadraginta quatuor ad dimidias:
Sub finem coctionis addantur:
Raſuræ Ligni Saſſafras Uncia ſemis,
Radicis Liquiritiæ inciſæ,
Seminis Aniſi contuſi ana Drachmæ duæ. Colentur.

Ad Sanguinem depurandum aliquot Cyathi de die bibuntur.

DECOCTUM PECTORALE *Pariſienſium.*

℞. Oryzæ mundatæ Unciam unam:
Coquatur cum
Aquæ fontanæ centum viginti octo Unciis ad crepaturam Oryzæ:
Cum hoc Decocto infundantur per horæ quadrantem
Radicum Liquiritiæ inciſæ,
Altheæ inciſæ ana Uncia ſemis,
Herbæ Capillorum Veneris Canadenſis conſciſſæ,
Florum Farfaræ ana Drachmæ duæ,
Papaveris Rhæados inciſorum Drachma una.

Liquor decantatus in affectibus Pectoris ſpaſticis ex vaſculis infuſo Theæ dicatis aliquoties de die hauritur.

DECOCTUM SUDORIFERUM *Richard.*

℞. Ligni Guajaci Uncias duas:
Radicum Sarſaparillæ,

Radicum Chinæ ana Unciam ſemis,
Antimonii crudi Uncias duas:
Inciſa & contuſa macerentur per nycthemerum in
Aquæ calidæ Unciis ſex & nonaginta,
Bulliant in vaſe obturato horæ unius ſpatio, tunc adjiciantur
Raſuræ Ligni Saſſafras Uncia una,
Radicum Caryophyllatæ inciſarum Uncia ſemis,
Baccarum Juniperi contuſarum Drachmæ duæ:
Bulliant adhuc per horæ quadrantem, deinde colentur.

In Affectibus Venereis, Catarrhalibus & Cutaneis aliquot ejus Cyathi hauriuntur.

Si ſub finem coctionis adjicitur Foliorum Sennæ inciſorum Uncia una, ſurgit DECOCTUM SUDORIFICUM LAXANS. Ejusdem conferantur Species pro Decoctis.

DENTIUM PRÆPARATIO.

Eodem modo quo Coralliorum præparatio inſtituitur.

DIACRYDIUM, DACRYDIUM.

Eſt Scammoneum uſui interno adaptatum. Veteres illud ex Decocto Glycyrhyzæ vel Infuſo Roſarum ſuſpendere, ortam inde Emulſionem ad formam Extracti evaporare, vel in pulverem redactum vaporibus Sulphuris exponere ſoliti, corrigi his rationibus ejus virulentiam putarunt. Hinc DIACRYDIUM GLYZYRHIZATUM, ROSATUM, SULPHURATUM præſcripſerunt. Verum enim vero omnes has ita dictas correctiones inanes eſſe experientia docuit. Itaque hodie ſub nomine DIACRYDII non niſi Scammoneum in pulverem tritum proſtat, quod uſus tempore cum Nucleis Pineis teritur.

DIACODION *Montani.*

Videatur Syrupus Diacodii,

DIACYDONIUM AROMATICUM *Mesue* correctum.

℞. Succi Cydonoriorum Uncias centum quadraginta & quatuor,
Sacchari albi Uncias duas & ſeptuaginta:

Coquan-

Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi tenuioris, cui Clarificato & adhuc tepenti adjiciantur
Pulverum Nucum Moſchatarum,
Cinnamomi ana Unciæ quatuor.
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Galangæ ana Unciæ duæ,
Nardi Celticæ,
Piperis nigri,
Macis,
Zedoariæ,
Cubebarum,
Cardamomi minoris ana Uncia una:
Probe miſceantur.

Exhibetur ad roborandum Ventriculum & ſiſtendos Alvi fluxus, nec non Vomitus.

DIACYDONIUM JALAPPINUM.

℞. Diacydonii ſimplicis Uncias duas & triginta,
Reſinæ Jalappæ, Nucleis Pineis tritæ, Uncias duas:
Diu inter ſe invicem agitentur, ut æqualiter Reſina per omne volumen Diacydonii diſpergatur.

Optime Reſina Jalappæ Scammoneo, quod VALERIUS CORDUS *præſcribit, ſubſtituitur. Hoc medicamento olim Noſtrates loco Purgantis polychreſti utebantur; aqua ſolutum infantibus æque ac adultis exhibetur.*

Uncia ſemis Reſinæ Grana quindecim vehit.

DIACYDONIUM LUCIDUM JALAPPINUM.

Diacydonii ſimplicis ad conſiſtentiam cocti & adhuc tepentis Unciis quatuor & ſexaginta commiſcentur
Reſinæ Jalappæ in Spiritus Vini Rectificati Unciis duodecim diſſolutæ Unciæ quatuor:
Effundatur in modulos & refrigeratum committatur ſcatulis.

Olim per ſe deglutiendum eadem ac antecedens doſi exhibebatur; hodie merito eviluit, cum oculis quidem neutiquam autem linguæ gratum ſit. Hic quoque melius Reſina Jalappæ, quam Scammoneum, quod WELSCHIUS *præcipit, recipitur.*

DIACYDONIUM SIMPLEX LUCIDUM *GALENI* VEL GELATINA CYDONIORUM.

℞. Cydoniorum, unde lintei ope omne tomentum ablatum fuit, Uncias centum viginti & octo:

Scindantur in taleolas & omnia Semina inde auferantur; coquantur ex Aqua uſque dum emollita fuerint, committantur cum Aqua ſacco, & valde exprimantur;

In Liquore expreſſo diſſolvantur

Sacchari Unciæ ſex & nonaginta,

Clarificentur aliquot Albuminibus Ovorum; Liquor clarificatus leni calore evaporetur, uſque dum aliquot ejus Guttæ diſco frigido inſtillatæ in modum Gelatinæ conſiſtant, tunc committatur ollis, non niſi Gelatina refrigerata operiendis.

Et Guſtus voluptati & roborando Ventriculo & cohibendis Alvi fluxibus inſervit.

DIAPHORETICUM JOVIALE.

Videatur Antihecticum POTERII.

DIAPHORETICUM SEU BEZOARDICUM MARTIALE.

Videatur Bezoardicum Martiale.

DIGESTIVUM LIQUEFACTUM *PLENCK.*

℞. Terebinthinæ claræ Uncias duas:

Subigantur

Vitelli Ovorum Uncia una:

Addantur

Mellis Unciæ duæ,

Aquæ fontanæ Unciæ quatuor,
Spiritus Vini Unciæ ſex:
Miſceantur.

Calide injectum in Vulnera profunda, anguſta, ſinuoſa & ſclopetaria Suppurationem movet & detergit.

EBUR USTUM ALBUM SEU SPODIUM *Valerii Cordi.*

Ebur in tenues lamellas diſſectum igne aperto calcinetur ad albedinem; Calcinatum reducatur in pulverem ſuper Marmore lævigandum.

Cum Cornu Cervi uſto Præparato convenit.

EBUR USTUM NIGRUM.

Fragmentis Eboris repletur olla, quæ operculo, Limi ope, probe tegitur & fornaci figuli per omne tempus, quo vaſa Argillacea uruntur, committitur; uſtum in modum antecedentis lævigatur.

Artifices eo ad tingendas varias ſubſtantias utuntur.

ECLEGMA.

Videatur Loch.

ELÆOSACCHARA.

Parantur cujuscunque Olei deſtillati Guttas decem cum Uncia una pulveris Sacchari albiſſimi probe terendo.

Uſus demum tempore parentur.

ELÆOSACCHARA AURANTIORUM vel CITRI, ESSENTIÆ SICCÆ *Brunſvicenſium.*

Optime parantur, dum Poma Aurantiorum vel Citri Saccharo albiſſimo affricantur, cui quod inde abhæret madidum abraditur.

Integerrimum, quod horum Pomorum Corticum cellulis continetur, Oleum, cum hac ratione Saccharum ſubeat, præferenda

hæc operatio priori videtur, cum Deſtillatio his oleis ſemper aliquid ſuavitatis adimat.

ELÆOSACCHARUM MYRRHÆ *Hoffmanni.*

℞. Extracti Myrrhæ aquoſi Drachmam unam,
Pulveris Sacchari albiſſimi Unciam unam:
Miſceantur probe.

Improprie hoc Medicamentum Elæoſaccharum vocari, nemo non videt.

ELATERIUM *Hippocratis.*

Cucumeres Aſinini, antequam penitus maturuerint, collecti in taleolas ſcindantur, rejiciantur, quæ ipſis inhærent, Semina, contundantur in mortario lapideo, committantur ſacco, valide exprimantur, Succus expreſſus leni calore uſque ad conſiſtentiam Extracti evaporet.

Hoc Medicamentum Humores præcipue Seroſos violenter per Alvum educit, in Hydrope aliis Purgantibus ad Grana tria vel quatuor additur. Hippocratem, Galenum alioſque Veteres Medicos deficientibus quippe tunc mitioribus Purgantibus frequenter eodem uſos eſſe conſtat, ſed noſtra ætate in tanta meliorum & tutiorum Catharticorum copia, anceps hoc & violentum Remedium rarius in uſum trahitur.

ELECTUARIUM ANTHELMINTICUM *Heisteri.*

℞. Mercurii vivi Unciam ſemis:
Probe teratur cum
Gummi Arabici Uncia una:
Affundendo paulatim Aquam fontanam, uſque dum Mucilago ſurrexerit, in qua nulli ulterius Mercurii globuli appareant, Tunc addantur
Corticis Chinæ tenuiſſime pulveriſati Uncia una,

Syrupi Menthæ quantum ſatis ad conſiſtentiam Electuarii mollis.

Exhibetur aliquoties de die Doſis, quæ Avellanam æquat. Vires ex nomine patent.

ELECTUARIUM ANTIFEBRILE *Trilleri.*

℞. Pulverum Corticis Chinæ optimi Unciam unam,
Florum Chamomillæ vulgaris Drachmas duas,
Nitri depurati,
Diaphoretici Martialis ana Drachmam unam,
Syrupi Corticum Aurantiorum quantum ſatis:
Miſceantur in Electuarium:

Aſſeverat Trillerus hoc perquam eximium Electuarium Antipyreticum jam per annos plus minus quadraginta ſemper votis ſuis & expectationi ita reſpondiſſe, ut ſexcenti pene ægroti omnis generis Febribus Intermittentibus conflictati ipſius ſingulari virtute priſtinæ ſanitati integræ & perfectæ tandem ſint reſtituti, ſibimet ipſi totique ſuæ familiæ imo ſæpius tenerrimæ ætati adeo feliciter aliquoties obtigiſſe, ut etiam in Febribus pertinaciſſimis & juſto longiore circuitu inordinate nonnunquam reverſis hoc remedium auxilium tulerit præſentiſſimum & præſtantiſſimum; hinc ſe ejus laudes ſingulari Carmine Euchariſtico celebraſſe, quod exſtat in Poematum ſuorum Phyſico-Ethicorum T. III. p. 280.

ELECTUARIUM e BACCIS LAURI *Rhazes.*

℞. Baccarum Lauri Unciam unam ſemis,
Radicis Calami Aromatici Drachmas duas,
Herbarum Rutæ,
Menthæ,
Origani,
Seminum Ammeos
Cumini,
Nigellæ,

Seminum Liguſtici,
Carvi,
Dauci,
Piperis nigri,
longi,
Caſtorei ana Drachmas duas,
Sagapeni Unciam ſemis,
Opoponacis Drachmas tres:
Omnia trita excipiantur,
Mellis deſpumati Unciis quatuordecim.
Adjicitur Clyſmatibus ad Unciam unam pro Doſi.

ELECTUARIUM CATHOLICUM *Præpositi.*

℞. Radicis Polypodii Uncias ſex:
Coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis octo & quadraginta
Ad conſumtionem quartæ partis:
In Colatura diſſolvantur
Pulparum Caſſiæ,
Tamarindorum ana Unciæ quatuor,
Sacchari Unciæ octo & quadraginta:
Coquantur lento igne ad conſiſtentiam Mellis, tum addantur ſenſim
Pulverum Radicum Polypodii,
Rhabarbari veri ana Unciæ duæ,
Liquiritiæ Drachmæ duæ,
Foliorum Sennæ Unciæ quatuor,
Florum Violarum,
Seminis Aniſi ana Unciæ duæ:
Miſceantur.
Blande Alvum laxat ad Unciam unam exhibitum. Admiſcetur etiam Clysmatibus.

ELECTUARIUM CATHOLICUM pro CLYSTERIBUS *Vernii correctum.*

℞. Radicum Polypodii Uncias ſex,

Herbarum Malvæ,
Mercurialis,
Parietariæ,
Violariæ ana Manipulos duos:
Inciſa coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis centum quadraginta & quatuor,
Ad tertiæ partis conſumtionem; Colatura diſſolvantur
Mellis Unciæ ſex & nonaginta:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, quo diſſolvantur,
Pulpæ Prunorum Unciæ quatuor & viginti:
Addantur ſenſim
Pulverum Radicum Polypodii,
Rhabarbari ana Unciæ quatuor,
Liquiritiæ Uncia ſemis,
Foliorum Sennæ Unciæ octo,
Florum Violarum Unciæ quatuor,
Seminum Fœniculi,
Quatuor Frigidorum majorum ana Uncia una,
Aniſi Unciæ quatuor:
Miſceantur.
Immiſcetur ad Uncias duas uſque Clysmatibus Laxantibus.

ELECTUARIUM CATHOLICUM DUPLICATUM RHABARBARO SEU CONFECTIO UNIVERSALIS *LEMERY* correcta.

℞. Radicis Polypodii inciſæ Uncias octo:
Coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis ſex & nonaginta ad dimidiæ partis conſumtionem:
Colatura Emulgeantur
Seminum quatuor Frigidorum majorum ana Uncia ſemis,
Violarum Unciæ duæ:
Denuo colatis diſſolvantur

Sacchari albi Unciæ octo & quadraginta:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, cui addantur ſenſim
Pulparum Caſſiæ,
Tamarindorum,
Pulverum Rhabarbari electi,
Foliorum Sennæ mundatorum ana Unciæ quatuor,
Seminis Aniſi Unciæ duæ,
Glycyrrhizæ Uncia una:
Probe miſceantur.

Scopo Eccoprotico ad Unciam unam pro Doſi exhibetur, commendabatur olim præcipue Fluxibus Alvi laborantibus.

ELECTUARIUM CHALYBEATUM *BARZONII.*

℞. Alcoholis Limaturæ Martis Uncias ſeptem,
Specierum Aromaticarum Roſatarum,
Pulverum Cinnamomi,
Nucum Moſchatarum ana Drachmas ſex,
Rhabarbari Unciam ſemis,
Sacchari ad conſiſtentiam tabulandi cocti,
Mellis deſpumati ana Uncias duodecim,
Miſceantur.

Hoc Medicamentum ad Menſium retentionem & ad Cachexiam ad Drachmam unam, quæ Martis Granis duodecim conſtat, præſcribitur.

ELECTUARIUM DENTIFRICIUM.

Videatur Electuarium Gingivale.

ELECTUARIUM DIASATYRIUM *NICOLAI* correctum.

℞. Radicum Satyrii recentium Uncias quatuor:
Minutim inciſæ contundantur cum

Saccha-

Sacchari ad conſiſtentiam Tabulandi cocti Unciis duodecim: per ſetaceum trajectæ probe contundantur cum
Nucis Indicæ conditæ,
Zinziberis conditi,
Pinearum,
Piſtaciorum ana Uncia una:
Probe comminutis addantur
Pulverum Caryophyllorum aromaticorum,
Cinnamomi,
Stincorum marinorum ana Uncia ſemis,
Brodii Zinziberis conditi quantum ſatis ad conſiſtentiam Electuarii.

Analepticas & Roborantes vires huic Electuario nemo denegabit, ſed fruſtra inde expectatur, ut Venerem languentem excitet & Semen augeat.

ELECTUARIUM DIASCORDIUM *Fracastorii.*

℞. Radicum Biſtortæ,
Tormentillæ,
Gentianæ ana Unciam ſemis,
Zinziberis Drachmas duas,
Herbarum Dictamni Cretici Unciam ſemis,
Scordii Unciam unam,
Seminis Acetoſæ Drachmam unam ſemis,
Cinnamomi,
Caſſiæ ligneæ ana Unciam ſemis,
Piperis longi Drachmas duas,
Boli Armenæ Unciam unam ſemis,
Terræ Lemniæ Unciam ſemis,
Gummi Arabici,
Galbani,
Styracis ana Unciam ſemis:
Probe pulveriſatis & mixtis addantur:

Conſervæ Roſarum Unciæ duodecim,
Mellis Unciæ triginta,
Opii, in Vini Hiſpanici Unciis tribus ſoluti, Drachma una ſemis:

Optime omnia miſceantur.

Sudoriſera, Alexipharmaca, Anodyna & Styptica virtute commendatur, hinc ad Diarrhœam & Dyſenteriam quoque ſiſtendam laudatur. Datur ad Drachmas duas vel tres. Uncia integra duo circiter Grana Opii vehit.

ELECTUARIUM DIASCORDIUM *Suecorum* CONFECTIO JAPONICA *vulgo*.

℞. Terræ Japonicæ Uncias tres,
Herbæ Scordii,
Fabarum Pechurim,
Radicis Tormentillæ ana Uncias duas:

Probe pulveriſatis addantur
Opii, in Vino Hiſpanico diſſoluti, Drachma una ſemis,
Syrupi Roſarum Unciæ viginti octo:

Probe miſceantur.

In ſopiendis Alvi fluxibus, antecedente potentius operatur, Uncia una tria Grana Opii fere habet.

ELECTUARIUM DIATRAGACANTHÆ.

℞. Aquarum Pæoniæ Uncias duas;
Menthæ,
Meliſſæ,
Syrupi Papaveris Rhœados,
Pulverum Sacchari ana Unciam unam,
Gummi Tragacanthæ electæ Drahmas duas:

Miſceantur.

Hanc Pulticulam mulierculæ Argentoratenſes infantibus pro ſopiendis Torminibus ſolent exhibere.

ELECTUARIUM GINGIVALE vel DENTIFRICIUM *Argentoratenſium.*

℞. Lapidis Pumicis præparati,
Cremoris Tartari ana Unciam ſemis,
Aluminis uſti Scrupulos quatuor,
Coralliorum rubrorum præparatorum Drachmas tres,
Myrrhæ electæ Drachmam unam:
In tenerrimum pulverem tritis commiſceatur
Pulveris Coccionellæ Drachma una, probe trita cum
Salis Tartari Scrupulo uno:
Omnia excipiantur
Mellis Roſarum Unciis duabus:
Addantur
Quintæ Eſſentiæ Citri Guttæ decem:
Miſceantur.
Vires ex Denominatione patent.

ELECTUARIUM ad GINGIVAS *Trilleri.*

℞. Radicum Tormentillæ Drachmam unam ſemis,
Caryophyllatæ Drachmam unam,
Ireos Florentinæ Drachmam ſemis,
Herbarum Salviæ,
Abrotani,
Rutæ,
Florum Aquilegiæ,
Roſarum rubrarum,
Balauſtiorum ana Drachmam unam,
Seminum Cochleariæ,
Aquilegiæ ana Drachmam unam ſemis,
Mumiæ veræ,
Myrrhæ electæ ana Drachmam unam,
Gummi Maſtychis,
Laccæ ana Drachmas duas,

Sanguinis Draconis Drachmam unam ſemis,
Aluminis uſti Drachmam ſemis:
Probe pulveriſata excipiantur
Mellis Roſati quantitate ſufficiente.

Teſtatur Venerandus Auctor, ſe hoc Electuario Ulotico ſeu Epulotico ſæpius inſigni cum ſucceſſu olim uſum eſſe in Dentibus vacillantibus & malefidis firmandis, Gingivis tabeſcentibus ac cruentis conſolidandis & ſanandis, fœdis oris Ulceribus Abſtergendis, Halitu denique fœtido corrigendo & purificando.

ELECTUARIUM *Hamech.*

Videatur Confectio Hamech.

ELECTUARIUM HIERA PICRA *Andromachi.*

℞. Pulverum Aloës Uncias quatuor,
Croci,
Cinnamomi,
Spicæ Indicæ,
Aſari,
Ligni Aloes ana Drachmas ſex,
Mellis Uncias viginti:
Miſceantur probe.

Multus eſt Galenus circa hoc medicamentum, quod hinc quoque vulgo ab ipſo ſolet denominari, & circa rationem Aloës pro varia indicatione mutandam. Hodie vero ejus uſus nullus eſt, niſi ad Clyſteres, quibus ad Drachmas ſex commiſcetur.

ELECTUARIUM HYDRAGOGUM seu PURGANS *Auſtriacorum* correctum.

℞. Rob Ebuli,
Juniperi ana Uncias duas,
Syrupi de Spina Cervi Unciam unam,
Pulverum Reſinæ Jalappæ, Pineis tritæ, ſeſqui drachmam,
Tartari vitriolati Drachmas ſex:
Miſceantur exactiſſime.

Alvum valide ducit, aquas Hydropicorum evocat. Uncia una ad quindecim Grana Reſinæ Jalappæ vehit. Uncia ſemis ad Drachmas ſex poteſt pro doſi dari.

ELECTUARIUM PRO INFANTIBUS *Danorum.*

℞. Magneſiæ albæ Drachmas ſex,
Pulverum Seminis Aniſi Semunciam,
Croci Drachmam unam,
Syrupi Cichorei cum Rhabarbaro quantum ſufficit pro formando Electuario.

Infantibus ob Tormina ejulantibus exhibetur. Doſis eſt parvum Cochlear.

ELECTUARIUM JOVIALE AD TAENIAS *Brunſvicenſium.*

℞. Stanni puriſſimi,
Mercurii vivi ana Unciam unam:
Fiat ſecundum artem Amalgama, cui commiſceatur
Concharum præparatarum Uncia una:
Exactiſſime mixtis addantur
Conſervæ Abſynthii Unciæ tres,
Syrupi Menthæ quantum ſatis formando Electuario.

Vermibus laborantibus bis de die exhibentur, Electuarii Drachmæ duæ,

ELECTUARIUM LENITIVUM SIVE TAMARINDORUM *Auſtriacorum.*

℞. Pulpæ Tamarindorum,
Prunorum ana Uncias octodecim,
Rob Sambuci Uncias duodecim,
Pulveris Foliorum Sennæ Uncias ſex,
Cremoris Tartari Uncias quatuor,
Mellis quantum ſatis, ut fiat Electuarium.

Omnino præferendum ſequenti, cui virtutibus par, ſed concinnitate ſuperius eſt.

ELECTUARIUM LENITIVUM *Florenzolæ.*

℞. Radicum Polypodii Uncias duas,
Glyzyrrhizæ Unciam ſemis,
Herbarum Adianthi nigri,
Mercurialis ana Unciam unam,
Florum Violarum Unciam ſemis,
Hordei decorticati,
Paſſularum minorum ana Uncias duas,
Jujubarum,
Sebeſten ana Unciam unam:
Inciſa & contuſa coquantur in
Aquæ fontanæ Unciis triginta, ad Uncias duodecim reſiduas:
Colentur & addantur
Pulpæ Caſſiæ,
Prunorum,
Tamarindorum,
Sacchari albi,
Conſervæ Violarum ana Unciæ ſex,
Pulveris Foliorum Sennæ Unciæ tres ſemis:
Miſceantur exacte.

Refert Trillerus, hoc Electuarium, licet rarus ejus hodie, nec niſi in Enematibus uſus ſit, blande tamen Alvum ducere, Bilem educere, inque affectibus Renum cum ſucceſſu dari poſſe.

ELECTUARIUM LENITIVUM cum SULPHURE ad MORBOS PSORICOS *Richard.*

℞. Electuarii Lenitivi *Florenzolæ* Uncias quatuor,
Florum Sulphuris Unciam unam:
Miſceantur.

Vires ex nomine patent. Doſis eſt ad Unciam dimidiam aliquoties interdiu iteranda.

ELECTUARIUM SEU PULTICULA DE MANNA *Wurtembergenſium.*

℞. Mannæ electæ,
Sacchari albiſſimi ana Uncias duas:
Diſſolvantur in
Aquæ Roſarum Unciis duabus:
Colatis addantur
Pulveris Radicis Iridis Florentinæ Drachma una,
Olei Amygdalarum dulcium Uncia ſemis:
Probe miſceantur.

Alvum leniter lavat. Tenellis & inprimis recens natis ad Meconium & humores educendos datur.

ELECTUARIUM MITHRIDATICUM, ANTIDOTUS MITHRIDATICA *DAMOCRATIS.*

℞. Myrrhæ electæ,
Croci,
Agarici,
Zinziberis,
Cinnamomi,
Nardi Indicæ,
Olibani,
Seminum Thlaſpi ana Uncias decem,
Dauci Uncias ſeptem,
Fœniculi,
Aniſi,
Petroſelini ana Uncias quinque,
Seſeli,
Hyperici ana Uncias duas ſemis,
Herbarum Schœnanthi Uncias octo,
Polii,
Scordii ana Uncias ſeptem,
Radicum Coſti,
Gentianæ ana Uncias octo,

Calami Aromatici,
Aſari,
Valerianæ ana Uncias tres,
Mei Uncias duas ſemis,
Styracis,
Piperis longi ana Uncias octo,
Albi Uncias ſeptem,
Caſtorei Uncias duas ſemis,
Succorum Acaciæ,
Hypociſtidis,
Foliorum Malabathri ana Uncias octo,
Carpobalſami Uncias ſeptem,
Gummi Arabici,
Opii,
Cardamomi,
Florum Roſarum rubrarum ana Uncias quinque,
Trochiſcorum Cypheos Uncias ſeptem:
Probe in pulverem redactis & mixtis admiſceantur
Galbani,
Opoponacis ana Unciæ octo:
Bdellii Unciæ quinque,
Sagapeni Unciæ tres,
Vini Hiſpanici Unciis octo & quadraginta diluta,
Probe ſubacta excipiantur
Mellis octingentis & ſexaginta Unciis, prius exacte tritis cum
Opobalſami,
Terebinthinæ ana Unciis octo:
Omnia miſceantur exacte.

Hanc compoſitionem ex GALENO *de Antidotis L. II. C. 2. deſumſi. Abſurdiſſimum medicamentum retinendum eſt ob auctoritatem, quam ipſi antiquitas conciliavit, ideoque cur mutari debeat, non video.*

ELE-

ELECTUARIUM MUNDIFICANS *Werlhoffii.*

℞. Radicum Sarſaparillæ Uncias tres,
Rhabarbari Drachmas duas,
Ligni Guajaci Unciam unam,
Corticis Ligni Saſſafras Drachmam unam,
Foliorum Sennæ ſelectiſſimorum Unciam unam,
Seminis Aniſi Drachmam unam:
Probe pulveriſata miſceantur cum
Mellis Unciis duodecim.

In varia Humorum acrimonia aliquot ejus Drachmæ aliquoties de die, dari poſſunt.

ELECTUARIUM PRO PECORIBUS *Danorum.*
THERIACA DIATESSERON *Avicennæ.*

℞. Radicum Gentianæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Baccarum Lauri,
Myrrhæ ana Uncias duas:
In pulverem redactis admiſceantur
Mellis deſpumati Unciæ quatuor & viginti.

Vires ex nomine patent.

ELECTUARIUM PECTORALE LAXATIVUM *Argentoratenſ.* correctum.

℞. Loch ſani & experti Uncias duas,
Syrupi Papaveris Rhœados Drachmas ſex,
Reſinæ Jalappæ, Pineis tritæ, ſeſqui drachmam:
Probe miſceantur.

Infantibus affectibus Mucoſis laborantibus Purgandi præcipue ſcopo exhibetur. Drachma una quatuor fere Grana Reſinæ Jalappæ vehit.

ELECTUARIUM PHILONIUM ROMANUM *Avicennæ.*

℞. Radicum Pyrethri,
Zedoariæ,

Radicum Doronici,
Florum Balauſtiorum ana Unciam unam,
Piperis albi,
Seminis Hyoſcyami albi ana Uncias viginti,
Opii Uncias decem,
Euphorbii,
Caſtorei,
Margaritarum ana Unciam unam,
Croci Uncias quinque:
In pulverem redacta exacte miſceantur cum
Mellis Unciis trecentis.

A PHILONE, Medico Romano, denominatum hoc Medicamentum volunt. Diverſum omnino ab Antidoto cognomine à GALENO de Compoſ. Medicam. ſecundum locos L. IX. cap. 4. prolata, ut reliqua hujus commatis medicamenta Sudorem movet, Dolores ſopit, Somnum conciliat. Uncia una ſesqui Granum circiter Opii vehit.

ELECTUARIUM PURGANS *RICHARD.*

℞. Diagrydii Unciam dimidiam,
Pulveris Radicis Jalappæ Uncias quatuor:
Probe terantur cum Amygdalarum dulcium N°. viginti, tunc addantur
Pulverum Foliorum Sennæ Unciæ duæ,
Seminis Aniſi,
Cremoris Tartari ana Uncia una,
Pulparum Prunorum Unciæ ſedecim,
Tamarindorum Unciæ octo:
Miſceantur exactiſſime.

Ubi valide Purgandum eſt, aut aqua Hydropicorum educenda, ad Drachmas ſex uſque, quæ Grana circiter quinque Diagrydii & quadraginta quinque Radicis Jalappæ vehunt, in aqua diſſolutum exhiberi poteſt.

ELECTUARIUM REQUIES *Nicolai.*

℞. Radicis Mandragoræ,
Florum Roſarum,
Violarum,
Seminum Hyoſcyami,
Papaveris,
Endiviæ,
Lactucæ,
Portulacæ,
Pſyllii,
Opii,
Nucum Moſchatarum,
Cinnamomi,
Zinziberis ana Unciam unam ſemis,
Lignorum Santali albi
Rubri,
Spodii,
Tragacanthæ ana Drachmas ſex,
Sacchari candi Unciam unam:
Omnia in pulverem redacta excipiantur
Julepi Roſarum Unciis viginti quatuor.

Idem de hcc ac de Mithridatico judicium ferendum eſt. Deſcriptionem ex NICOLAO MYREPSO de Antidotis Sect. I. cap. 205 exhibeo. Peſſime mulierculæ hujus generis medicamentis ad conciliandum infantibus Somnum utuntur; nimis crebro lethales & noxii inde excitati effectus fuerunt obſervati. Uncia una ad undecim Grana Opii habet.

ELECTUARIUM RESUMTIVUM *Wurtembergenſium.*

℞. Radicum Glycyrrhizæ,
Herbarum Hederæ terreſtris,
Veronicæ ana Unciam ſemis:
Inciſa infundantur in
Aquæ ferventis Unciis ſexaginta:

Macerentur per noctem, mane colentur & in colatura coquantur

Radicum Farfaræ recentium, minutim inciſarum,
Paſſularum minorum ana Unciæ ſedecim:

Emollita trajiciantur per ſetaceum; cum decocto defuſo Emulgeantur

Amygdalarum Unciæ ſeptem:

Emulſione diluatur Pulpa per ſetaceum trajecta & addantur

Sacchari albi Unciæ triginta duæ:

Coquantur leni igne ad conſiſtentiam Pulpæ, addantur

Flavedo Citri à tribus pomis recentibus deraſa,
Pulverum Cinnamomi Uncia ſemis,
Caryophyllorum Aromaticorum Drachmæ tres:

Omnia probe miſceantur.

Hoc Electuarium Hecticis, Tabidis nec non Tuſſi acri & ſicca laborantibus commendatur. Ejus Uncia ſemis bis vel ter de die aſſumitur.

ELECTUARIUM AD STOMACACEN *Kleinii.*

℞. Pulverum Radicis Ireos Florentinæ,
Sanguinis Draconis ana Drachmas tres,
Aluminis crudi Drachmas duas,
Myrrhæ electæ,
Maſtychis electæ ana Drachmam unam,
Syrupi Balſamici quantum ſatis ad Electuarium.

Vires ex nomine patent.

ELECTUARIUM TAMARINDORUM.

Videatur Electuarium Lenitivum.

ELECTUARIUM THERIACA *Andromachi.*

℞. Radicum Ireos florentinæ,
Liquiritiæ ana Uncias duodecim,
Coſti,
Rhapontici,
Pentaphylli ana Uncias ſex,
Mei,

Radicum Rhei,
Gentianæ ana Uncias quatuor,
Ariſtolochiæ Uncias duas,
Herbarum Scordii Uncias duodecim,
Schœnanthi,
Marrubii,
Dictamni Cretici,
Calaminthæ ana Uncias ſex,
Polii,
Chamæpiteos,
Chamædryos ana Uncias quatuor,
Foliorum Malabathri Uncias quatuor,
Florum Roſarum rubrarum Uncias duodecim,
Stœchados Uncias ſex,
Hyperici Uncias quatuor,
Centaurei minoris Uncias duas,
Croci Uncias ſex,
Carpobalſami Uncias quatuor,
Cinnamomi Uncias duodecim,
Caſiæ ligneæ,
Spicæ Indicæ ana Uncias ſex,
Lecticæ Uncias quatuor,
Piperis longi Uncias viginti quatuor,
Nigri,
Zinziberis ana Uncias ſex,
Cardamomi Uncias quatuor,
Agarici,
Seminum Napi ana Uncias duodecim,
Petroſelini Macedonici Uncias ſex,
Aniſi,
Fœniculi,
Naſturtii,
Seſeleos,
Thlaſpi,

Seminum Amomi,
Ammeos ana Uncias quatuor,
Dauci Uncias duas,
Opii Uncias viginti quatuor,
Opobalſami Uncias duodecim,
Myrrhæ,
Olibani,
Terebinthinæ ana Uncias ſex,
Styracis,
Gummi Arabici,
Sagapeni ana Uncias quatuor,
Aſphalti,
Opoponacis,
Galbani ana Uncias duas,
Succi Acaciæ,
Hypociſtidis ana Uncias quatuor,
Caſtorei Uncias duas,
Terræ Lemniæ,
Vitrioli calcinati ana Uncias quatuor,
Trochiſcorum Scillinorum Uncias quadraginta octo,
Viperinorum,
Hedycheri ana Uncias viginti quatuor:
Balſama, Reſinæ & Gummi Reſinæ ſubigantur
Vini generoſi quantitate ſufficiente,
Ut in formam pultis abeant:
Omnia excipiantur
Mellis optimi Unciis nongentis & ſexaginta,

Theriacam aliquam in limine ædis Æſculapii verſibus lapidi inſcriptam tribus ante æram noſtram Seculis jam uſitatam refert Plinius *L. XX. Cap. 24.*

Compoſitionem, quam vulgo ſolent præſcribere, ſi quidem retinendi mens eſt, cur à præſcriptione quam Galenus *nobis reliquit, recedamus, non perſpicio. Itaque ſecundum hunc Auctorem de* Theriaca ad Pisonem *Cap. II. eam hic appono.*

Si quod aliud hoc certe medicamentum diverſiſſima judicia eſt expertum; mihi quidem licet inconcinnam omnino hanc compoſitionem lubentiſſime largiar, reprehendendi omnino videantur, qui Theriacam tantum non pro medicamento univerſali & Antidoto Catholica venditant, male quoque me habeat iſte faſtus, quo variis in locis publica auctoritate præparatur, aut certe præparari jubetur, neutiquam tamen perſpicio, cur in illam multi adeo invehant, cum ejus compoſitio non magis abſurda ſit, quam innumeræ aliæ, quas à Veteribus accepimus. Roborandi ſcopo nec non fine Sopiendi tam extus quam intus datur. Uncia una Drachmam unam circiter Opii vehit, quæ ratio in Præſcriptionibus, quæ vulgo proſtant, multo minor eſſe ſolet.

ELIXIRIA.

Canones.

I. Mittamus hyperbolicam, quam Alchymici voci *Elixir* tribuerunt, ſignificationem. Officinæ hac voce denotant medicamentum, quod ut plurimum infuſione paratur, eamque extrahendorum quantitatem recipit, aut ea admittit vel ingredientia vel Menſtrua, quibus ſpiſſior redditur conſiſtentia, quam ea eſt qua Eſſentiæ vel Tincturæ gaudent.

II. Ingredientia ſicca comminuuntur in craſſum pulverem; eis ſuperfunditur Menſtruum ad eminentiam unius duorumve digitorum; digeſtio, quæ, cum Vinum pro Menſtruo aſſumatur, debet eſſe frigida, per duos vel tres dies continuatur; liquor filtratus aſſervatur.

III. Pro Menſtruo ſive Vinum & quidem vel Hungaricum vel Hiſpanicum ſive Spiritus Vini adhibetur, rariſſime Aqua.

IV. Infuſiones cum Spiritu Vini inſtituuntur in Cucurbitis Alembico & Excipulo inſtructis; mane & veſpera agitantur; Spiritus qui deſtillavit, reliquo affunditur.

V. Interdum etiam Solutiones Extractorum Elixiria dicuntur.

ELIXIR ACIDUM *Dippelii*.

Videatur Aqua Rabelii. Idem dicitur à Brunſvicenſibus

ELIXIR ACIDUM *Halleri.*

Dum pares ingredientium partes recipiuntur.

ELIXIR ALOES SAPONACEUM *Suecorum*, ELIXIR PROPRIETATIS *Stahlii.*

℞. Aloes Succotrinæ,
Myrrhæ ana Unciam unam:
In pulverem tenuiſſimum tritis affundantur
Bilis bovinæ recentis Unciæ duæ:
Mixtis exacte & leniter ſiccatis denuoque tritis addantur
Terræ foliatæ Tartari Uncia una,
Croci Uncia dimidia,
Spiritus Vini rectificati Unciæ duodecim:
Digerantur leni calore per biduum & filtrentur.

Egregias vires Reſolventes continet. Salutifere dabitur in Obſtructionibus abdominalibus, ſed ab eodem ſibi caveant Hæmorrhoidibus obnoxii. Doſis eſt ad parvum uſque Cochlear.

ELIXIR AMARUM *Hiærne.*

℞. Radicum Zedoariæ Drachmam unam,
Rhabarbari Drachmas duas,
Gentianæ Unciam ſemis,
Croci orientalis Drachmam ſemis,
Aloës Hepaticæ Unciam unam,
Myrrhæ Unciam ſemis,
Agarici Drachmam unam:
Theriacæ *Andromachi* Drachmas duas:
Spiritus Vini Unciis triginta ſex,
Incisa infundantur cum
Per aliquot dies in Balneo Mariæ poſtea filtrentur.
Laudatur maxime contra Tæniam.

ELIXIR

ELIXIR ANTHELMINTICUM *Suecorum* ESSENTIA CATHOLICA PURGANS *Rothii.*

℞. Radicum Jalappæ Uncias quatuor,
Seminum Carthami Uncias duas,
Scammonei Unciam ſemis,
Gummi Guttæ Drachmas duas,
Inciſis, contuſis, in pulverem tritis affundantur,
Spiritus Vini rectificati Unciæ viginti quatuor,
Per quatriduum Digeſta fortiter per colum exprimantur, Liquor deinde filtretur.

Valide Alvus inde ducitur, cum autem citra Ventris dolores vires ſuas exſerere vix poſſit, & periculoſæ ſemper ſint ſolutiones reſinarum in Spiritu Vini, eo quod hæ ab humoribus Primarum Viarum facile dejiciantur & plicis illarum adhærendo Hypercatharſes excitent; ego quidem hujus medicamenti uſum commendare non audeo. Doſis ad Drachmas duas præſcribitur.

ELIXIR ANTHARTHRITICUM *Caribæum.*

℞. Gummi Guajaci Uncias duas.
Taffia Uncias nonaginta ſex,
Digerantur leni calore per octiduum, Liquor filtretur.

Egregii inde effectus in Arthritide inveterata fuerunt obſervati. Omni mane Cochlear unum hauritur.

ELIXIR ANTICOLICUM CROCATUM.

Videatur Elixir de Garus.

ELIXIR ANTIPODAGRICUM *Guldenklée.*

℞. Radicum Artemiſiæ Uncias duas,
Rhapontici Moſcovitici,
Ariſtolochiæ rotundæ ana Unciam unam,
Herbæ Chamædryos,
Florum Centaurii minoris,
Hyperici ana Drachmas quinque,

Seminis Petroſelini Macedonici Drachmas ſex,
Inciſa & contuſa infundantur cum
Spiritus Vini Tartariſati Unciis viginti quatuor:
Digerantur per aliquot dies, ita obtenta Tinctura filtretur, & Abſtracta inde Libra una Spiritus Vini, concentretur.

ELIXIR ANTISCORBUTICUM AMARUM *Brandeburgenſium* correctum.

℞. Radicum Enulæ Drachmas duas,
Filicis Unciam ſemis,
Herbæ Abſynthii Drachmas tres,
Corticum Aurantiorum immaturorum Drachmas duas,
Tamariſci Drachmas ſex,
Inciſis affundantur:
Succorum expreſſorum Beccabungæ,
Borraginis,
Bugloſſi,
Cochleariæ,
Fumariæ,
Naſturtii aquatici ana Drachmæ duæ,
Spirituum Cochleariæ,
Naſturtii ana Unciæ quatuor,
Digerantur per aliquot dies & exprimantur.
Vires ex nomine patent; Doſis ad ſexaginta Guttas extenditur.

ELIXIR ANTIVENEREUM *Viennenſium.*

℞. Balſamorum Copaivæ Unciam unam,
Peruviani Unciam ſemis,
Reſinæ Guajaci Drachmas duas,
Olei deſtillati Ligni Saſſafras Drachmam ſemis,
Salis Tartari Drachmas duas,
Mixta diſſolvantur in
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciis ſex,
Filtrata aſſerventur.

Hujus Medicamenti uſus, in morbis Venereis, ſi Gonorrhæam excipias, nullus omnino mihi videtur, quin & in ipſa Gonorrhæa nonniſi cautiſſime erit adminiſtrandum, nec doſis ultra triginta Guttas extendenda.

ELIXIR APERITIVUM *Clauderi.*

℞. Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ ana Uncias duas,
Croci orientalis Unciam unam,
Groſſe contuſis affundantur:
Salis Tartari Unciæ duæ, diſſolutæ
Aquarum Florum Sambuci,
Cochleariæ,
Naſturtii ana Unciis decem,
Per duodecim horas Digeſta filtrentur.

Contra morbos Putridos & ad Alvi Menſiumque reſerationem laudatur a Claudero, ad Obſtructiones quoque Viſcerum reſerandas, Hypochondriacis præterea & Scorbuticis commendari ſolet.

ELIXIR AURIFICUM *Rotrou.*

Eſt Tinctura Antimonii Tartariſata.

ELIXIR BALSAMICUM *Hoffmanni.*

℞. Radicis Zedoariæ Drachmas tres,
Herbæ Scordii Manipulos tres,
Florum Centaurii minoris Manipulum unum,
Myrrhæ electæ Unciam ſemis,
Ligni Aloës Drachmam unam ſemis,
Corticum Aurantiorum Unciam unam,
Croci Drachmam unam,
Nucis Moſchatæ Drachmas tres,
Succini Drachmas tres:
Inciſa, contuſa, mixta Digerantur:
Spiritus Vini Tartariſati Unciis quadraginta octo:
Filtratis addantur:
Spiritus Salis Ammoniaci Uncia una,

Oleorum Cardamomi,
Caryophyllorum ana Guttæ decem:
Miſceatur.

Laudatur ab egregio Auctore in notis ad Poterii *Obſerv. Cent. II. cap. 39. ad Lævitatem Inteſtinorum.*

ELIXIR BALSAMICUM PECTORALE *Pharmacopœæ Edinburgenſis* Veteris.

℞. Balſamorum Tolutani Uncias duas,
Peruviani Unciam unam,
Florum Benzoes,
Croci Anglici ana Unciam ſemis,
Spiritus Vini Rectificati Uncias viginti quatuor,
Digerantur per triduum & filtrentur.

Hoc Elixir tam ad internos quam externos uſus commendare & doſin ad quadraginta Guttas extendere ſolent.

ELIXIR BALSAMICUM TEMPERATUM *Hoffmanni.*

℞. Corticum Aurantiorum recentium Unciam unam,
Salis Tartari Drachmas duas,
Vini Tockavienſis vel Canarienſis Uncias duodecim:
Digerantur per biduum.
Tinctura decantata diſſolvantur
Extractorum Gentianæ,
Centaurii minoris,
Cardui Benedicti ana Drachmæ duæ:
Filtrentur per filtrum tectum.

Hujus medicamenti ab hæredibus Hoffmanni *in arcanis habiti, (teſte* Buchner *ad Prælect.* Schulz *in Diſpenſ. Brandeb.) diverſæ ob id ipſum in Diſpenſatoriis proſtant deſcriptiones. Trado hic, quod ipſe Auctor in Med. Conſult. P. III. Dec. 2. Caſ. IX præſcribit, Medicamentum, ad reſtituendas vires Primarum viarum commendabile. Ejus Cochlear unum ante vel poſt prandium dari jubet.*

ELIXIR BALSAMICUM *Werlhofii.*

℞. Radicum Coſti Drachmas duas,

Corticis Chinæ electi Unciam ſemis,
Croci orientalis Drachmam unam,
Corticum Aurantiorum recentium Unciam ſemis,
Myrrhæ electæ Drachmas duas,
Salis Tartari Unciam ſemis:
Inciſis & contuſis affundantur
Vini Canarienſis Unciæ duodecim:
Digerantur per triduum, decantetur Tinctura, in qua diſſolvantur
Extractorum Cardui benedicti,
Centaurii minoris ana Drachmæ duæ,
Filtrentur per filtrum tectum,
Cum priori tam viribus quam modo utendi convenit.

ELIXIR CITRI PURGANS *Pharmacopœæ Argentoratenſis* Veteris.

℞. Flavedinis Corticum Citri recentium Unciam unam ſemis,
Spiritus Vini rectificati Uncias ſex:
Infundantur per horas viginti quatuor,
In Spiritu decantato diſſolvatur
Reſinæ Jalappæ Uncia una:
Filtrentur.

Hoc Medicamentum improprie ſane & ipſum Elixir nuncupatum ſpe eſt valde ambigua; quippe ab humoribus Primarum Viarum facile præcipitata inde Reſina, plicisque Ventriculi vel Inteſtinorum adhæreſcens acerrima Tormina & vehementem ſolet excitare Hypercatharſin. Conferantur quæ ad Elixir Anthelminticum ſunt annotata. Prudenti igitur conſilio in nova Editione eſt omiſſum. Interim vulgus vel nimium ei aſſuetus crebro adhuc eo utitur. Ad Drachmam unam vel Scrupulos quatuor, qualicunque Syrupo edulcoratum, exhibetur. Drachma una continet Reſinæ Grana decem.

ELIXIR CITRI *Sennerti.*

℞. Flavedinis Corticum Citri recentium Uncias octodecim,
Spiritus Vini ſimplicis Uncias ſeptuaginta duas:

Per aliquot dies Macerata Deſtillentur uſque dum Phlegma apparuerit, tunc addantur

Succi Citri recentis Unciæ novem,
Sacchari albiſſimi in Aquæ Roſarum Unciis novem diſſoluti Unciæ quinque:

Filtrentur.

Hoc præparatum nomine tantum Elixir re vera Claretum eſſe nemo non videt.

ELIXIR DE *GARUS*.

℞. Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Nucum Moſchatarum ana Scrupulum unum,
Myrrhæ electæ Unciam dimidiam,
Aloës Hepaticæ Unciam unam,
Spiritus Vini Uncias quadraginta octo,
Aquæ fontanæ Uncias duodecim:

Deſtillentur inde Unciæ quadraginta octo:
Spiritui deſtillalato addantur:

Syrupi Capillorum Veneris Unciæ quadraginta octo,
Aquæ Florum Aurantiorum Unciæ quatuor,

Reponantur uſque dum Liquor clarus evaſerit.

Hoc Claretum juvandæ Digeſtionis cauſa ad Cochlear unum pro doſi datur.

ELIXIR JUNIPERINUM SEU MALVATICUM JUNIPERINUM *Argentoratenſium.*

℞. Rob Juniperi Uncias quatuor:
Diluantur
Vini Malvatici Unciis duodecim:
Colentur per linteum.

Scopo Carminativo & Diuretico ad Cochlear unum pro doſi exhibetur.

ELIXIR PECTORALE *RINGELMANNI* vulgo REGIS DANIÆ.

℞. Succi Liquiritiæ Uncias ſex:

Diſſolvantur in
Aquæ Fœniculi Unciis duodecim:
Filtrentur; & addantur
Spiritus Salis Ammoniaci Aniſati Unciæ triginta ſex,
Egregium ſane Medicamentum in morbis Pectoris pituitoſis, Datur ad parvum Cochlear pro doſi.

ELIXIR PECTORALE *Wedelii.*

℞. Radicum Enulæ,
Althææ,
Ireos Florentinæ,
Squillæ præparatæ ana Unciam unam,
Liquiritiæ Unciam dimidiam,
Ligni Santali rubri Unciam unam,
Herbæ Roris Solis Unciam unam ſemis,
Benzoës Drachmas ſex,
Myrrhæ,
Seminis Aniſi ana Unciam ſemis,
Gummi Ammoniaci Drachmas duas,
Croci Drachmas tres:
Inciſa, contuſa Digerantur cum
Spiritus Vini Unciis quatuor & viginti:
Filtrentur.
Spirituoſa in Pectoris affectibus eſſe periculoſa, cum noſtra ætate nemo ſanus dubitet, minime mirum eſt, hoc Medicamentum Reſolvendi gratia creberrime olim adhibitum ſenſim eviluſcere.

ELIXIR POLYCHRESTUM *Halenſium.*

℞. Extracti Panchymagogi Unciam unam:
Diſſolvatur
Spiritus Vini rectificati Unciis ſex,
Vitrioli Drachmis tribus:
Filtrentur.
Suum Elixir Polychreſtum nunquam publici juris fecerunt Halenſes. Quod hic ſecundum Trillerum *exhibeo, ad centum*

uſque Guttas commendatur ſcopo Purgandi. Drachma una novem circiter Grana Extracti Panchymagogi continet. Purgantia reſinoſa in Spiritu Vini diſſoluta uſque quaque diſplicent.

ELIXIR PROPRIETATIS ALBUM *Helmontii.*

℞. Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ,
Croci orientalis ana Unciam unam:
Inciſis, contuſis affundantur
Aquæ Cinnamomi Unciæ duodecim:
Digerantur calore fortiore per aliquot dies, omnisque dein liquor Deſtillatione eliciatur.

Hoc Medicamentum ab Helmontio Alchemico ſtylo deſcriptum. Licet multum ab Auctore ſuo laudetur, noſtris tamen temporibus cum Humores vehementer commoveat, in Febribus, ad quas ejus uſus ſpeciatim ſpectabat, vix adhiberi ſolet.

ELIXIR PROPRIETATIS SINE ACIDO *le Mort*, SIVE DULCE.

℞. Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ,
Croci Orientalis ana Unciam unam:
Pulveriſata redigantur cum
Olei Tartari per Deliquium quantitate ſufficiente in Conſiſtentiam pultis, cui addantur
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciæ ſedecim:
Digerantur per aliquot dies & filtrentur.

Efficax remedium in morbis Ventriculi a cauſa frigida oriundis, ad Alvum ſtimulandam promovendamque Digeſtionem. Cavendum tamen, ne nimius ejus uſus Sanguinem exagitet. Doſis ad Guttas ſexaginta exhibetur.

ELIXIR PROPRIETATIS *Paracelsi.*
ELIXIR ALOETICUM *Suecorum.*

℞. Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ,
Croci ana Unciam unam:

Affun-

Affundantur in pulverem redactis,
Spiritus Vitrioli Unciæ duæ,
Vini rectificati Unciæ quatuordecim,
Poſt Digeſtionem per triduum filtrentur:

Hoc medicamentum more ſuo thraſonico deſcribit PARACELSUS *Antidox. L. VIII. Menſtruum cum reticuerit, varii circa illud indicandum varie fuerunt occupati,* BOERHAVE *Acetum præcipit, vulgo ſolent* CROLLIUM *ſequi, qui Oleum Sulphuris & Spiritum Vini præſcribit. Qui* PARACELSO *fidem adhibent, tantum non miracula inde expectant & immortalitatem. Doleo etiam* BOERHAVIUM *magnifice nimis de eodem ſentire; Ventriculum roborare, Digeſtionem juvare, Vermes necare, Menſes & Hæmorrhoides movere obſervatum ferunt, ſed probe omnino notandum, ejus uſu Sanguinem, illum maxime, qui per vaſa Hæmorrhoidalia movetur, exagitari.*

ELIXIR PROPRIETATIS RHABARBARINUM *Kalde.*

℞. Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ ana Unciam unam,
Rhabarbari electi Unciam unam ſemis,
Croci,
Salis Tartari ana Drachmas duas:
Pulveriſata digerantur cum
Vini Malvatici Unciis duodecim:
Colentur.

Scopo Purgandi & Hepar reſerandi etiam reliquis præferendum eſſe putatur.

ELIXIR STOMACHICUM SIVE TINCTURA AMARA *Edinburgenſium.*

℞. Radicis Gentianæ Uncias duas,
Flavedinis Corticum Aurantiorum Unciam unam,
Canellæ albæ Unciam ſemis,
Coccionellæ Drachmam ſemis,
Inciſa, contuſa Infundantur per quatriduum cum

Spiritus Vini Unciis viginti quatuor:
Filtrentur.

Vires ex titulo patent. Ad aliquot parva cochlearia pro doſi datur.

TINCTURA AMARA LONDINENSIUM in eo differt, quod loco Canellæ albæ Cardamomum minus recipiat, & Coccionellam omittat.

ELIXIR STOMACHICUM *Rosenstein*.

℞. Corticum Aurantiorum recentium ſeſqui Unciam:
Contundantur in pultem, digerantur cum
Vini Hiſpanici Unciis quatuor & viginti:
Colatura diſſolvatur
Extracti Gentianæ Uncia una:
Filtrentur.

Datur Cochlear unum cum Aqua Cinnamomi,

ELIXIR STOMACHICUM *Stougthon*.

℞. Radicum Gentianæ Drachmas ſex,
Rhabarbari Semunciam,
Herbarum Abſynthii,
Chamædryos,
Flavedinis Corticum Aurantiorum ana Drachmas ſex,
Corticum Caſcarillæ,
Aloës Succotrinæ ana Drachmam unam:
Inciſa, contuſa infundantur in
Spiritus Vini rectificati Unciis viginti & quatuor:
Filtrentur.

Ad Vitia Digeſtionis, quibus Obſtructiones Hepatis junctæ ſunt, laudatur. Doſis eſt ad Guttas viginti.

ELIXIR UTERINUM *Crollii* correctum.

℞. Caſtorei Uncias tres,
Croci Unciam unam,
Herbæ Artemiſiæ Uncias ſex,
Terræ foliatæ Tartari Unciam dimidiam:

Inciſa Digerantur per quatriduum
Spiritus Vini Unciis triginta:
Filtratis addantur
Oleorum Deſtillatorum Angelicæ,
Aniſi,
Succini ana Drachma una:
Miſceantur optime.

Ad malum Hyſtericum, Catamenia reſeranda, Fluorem album curandum olim laudabatur; medicamento multum exæſtuante hodie rarius utimur. Doſis eſt ad Guttas quadraginta.

ELIXIR VISCERALE *Roseen.*

℞. Flavedinis Corticum Aurantiorum Unciam unam,
Rhabarbari veri Drachmas decem,
Terræ foliatæ Tartari Uncias duas:
Inciſa, trita infundantur per quatriduum frigide in vaſe probe clauſo cum
Vini albi generoſi Unciis ſedecim:
In Colatura diſſolvantur:
Extractorum Centaurii minoris Uncia una,
Caſcarillæ Uncia ſemis,
Oleorum Deſtillatorum Chamomillæ,
Millefolii ana Scrupulus unus:
Filtrentur.

In impedita Digeſtione & aliis morbis a vitio ſuccorum Chylopoieticorum natis magno cum ſucceſſu adhibetur. Doſis eſt Cochlear parvum.

ELIXIR VITÆ *Matthioli* correctum.

℞. Radicum Galangæ minoris,
Zinziberis,
Zedoariæ ana Unciam ſemis,
Calami Aromatici,
Herbarum Majoranæ,
Menthæ,

Herbarum Thymi,
Serpilli,
Rorismarini,
Salviæ,
Florum Roſarum pallidarum ana Drachmas duas,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana Drachmam unam,
Cinnamomi acuti Unciam unam ſemis,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Macis ana Unciam dimidiam,
Cubebarum,
Lignorum Santali citrini,
Aloës,
Cardamomi minoris ana Drachmas duas,
Corticum Citri recentium Unciam unam ſemis:
Inciſa & contuſa Digerantur per triduum cum
Spiritus Vini rectificati Unciis ſeptuaginta duabus:
Addantur:
Aquæ fontanæ Unciæ viginti duæ:
Deſtillentur lento igne Unciæ circiter octoginta.

Matthioli deſcriptio, quæ occurrit in Comment. in Dioſcorid L. V. Cap. 7. in compendium redacta, prouti vulgo in Diſpenſatoriis legitur, hic exhibetur. Cuilibet patet, Spiritum aromaticum admodum incongrue nomine Elixir inſigniri, & hoc medicamentum potius Aquis Cephalicis, quibus ſibi ſuperioribus ſeculis multum placuerant medici homines eſſe, adſcribendum. Sed in ipſo quoque ſuo Elixir laudando nimius eſt, Thraſonemque agit Auctor l. c. Scopo Roborandi poteſt ad Cochlear unum exhiberi. Qui potu ſpirituoſo delectantur, blandimentum inde ſuæ gulæ parare ſolent. Quantitati hic præſcriptæ adjici ſolet.
Ambræ gryſeæ,
Moſchi ana Scrupulus unus:
Quo facto ELIXIRIUM VITÆ *Matthioli* COMPLETUM *cognominatur.*

ELIXIR VITRIOLI *Mynsichti* correctum.

℞. Radicum Galangæ minoris Unciam unam ſemis,
Calami Aromatici Unciam unam,
Herbarum Menthæ criſpæ,
Salviæ ana Unciam dimidiam,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Zinziberis ana Drachmas tres,
Nucum Moſchatarum,
Cubebarum,
Corticum Citri ana Drachmas duas:
Inciſa, contuſa infundantur per octiduum cum
Olei Vitrioli Unciis tribus &
Alcoholis Vini Unciis viginti quatuor:
Liquore colato diſſolvantur
Sacchari albiſſimi Unciæ quatuor:
Filtrentur.

Peſſime præeunte Mynsichto Diſpenſatoria vulgo jubent digeſtionem per aliquod tempus ſolo Acido Vitriolico inſtitui, quo omnes partes oleoſæ penitus comburerentur. Trillerus huic medicamento Stomachico egregias tribuit virtutes, Frigidis præſertim Pituitoſis & Flatuoſis convenire appetitumque excitare docet. Egregius Haen in Rat. Med. T. XII. Cap. VI §. V. plures profert obſervationes, quibus hoc medicamentum cum magno ſucceſſu contra Phthiſin Pulmonalem fuiſſe adhibitum probatur. Doſis eſt ad Guttas quadraginta.

ELIXIR VITRIOLI ACIDUM *Edinburgenſium.*

℞. Spiritus Vini rectificati Uncias duodecim,
Olei Vitrioli Uncias tres:
Miſceantur ſecundum artem, & Digerantur per triduum:
Tunc addantur
Cinnamomi Drachmæ ſex,

Zinziberis Uncia ſemis,
Herbæ Menthæ Piperitidis Drachmæ duæ:
Digerantur per ſex dies & Filtrentur.

Egregium Medicamentum Stomachicum, quod & in morbis Putridis cum ſucceſſu dari poterit. Doſis eſt ad guttas duodecim.

ELIXIR VITRIOLI DULCE *Edinburgenſium.*

℞. Cinnamomi Drachmas ſex,
Seminum Cardamomi minoris Unciam unam,
Angelicæ Drachmas tres,
Piperis longi Drachmas duas,
Liquoris Anodyni Mineralis Hoffmanni Uncias quatuor & viginti:
Contuſa Macerentur per octiduum, dein Filtrentur.

Stomacho roborando & pellendæ inprimis Colicæ flatulentæ egregie inſervit; Doſis ad Guttas uſque viginti augeri poteſt.

EMPLASTRA.

Canones.

I. Emplaſtrum eſt medicamentum externum, digitis non adhæreſcens, calore emolliendum & ductile, corporibus, quibus applicatur, ſe agglutinans.

II. Ubi vehiculum, cujus miniſterio applicatur, eodem utrinque illinitur, dicitur *Sparadrapum*, *Tela Emplaſtica.* In formam vero cylindraceam ita convolutum Emplaſtrum ut ejus ſuperficies tota lævis, eaque craſſitie ſit, ut Urethræ immitti poſſit, *Cereolus*, *Candeola*, *Bougie* appellatur.

III. Diſtinctio inter Emplastra & Cerata a recentioribus merito negligitur. Aluta Emplaſtro obducta Capitique impoſita *Peau divine* dicitur.

IV. Conſiſtentia ſpiſſa Emplaſtris Reſinarum aut Ceræ ope datur, quæ cum ipſis colliquefiant. Nimiæ ſiccitati Terebinthina præcipue cavendum. Quibus applicantur partibus, ut tenacius adhæreant, Pice obtinetur.

V. Reſinæ & Gummi Reſinæ cum Terebinthina colliquantur, Oleis commiſcentur, eisque deinde reliqua ſicca in pulverem redacta adjiciuntur & continua agitatione commiſcentur.

VI. Volatilia non niſi omnibus refrigeratis, admiſcenda.

VII. Calces Saturninæ Olei juſta ratione diſſolutæ, Emplaſtri conſiſtentiam induunt. Requirit autem hæc diſſolutio majorem paulo calorem, qui quo minus excedat Oleumque amburat, affuſa Aqua impediendum eſt. Hæc aqua ebullitionis, quæ durante operatione obſervatur, cauſa eſt, illa evaporata ebullitio ceſſat, tenuioresque vapores exhalant. Quod ſi acciderit, ſedulo cavendum, ne nova aqua affundatur, illa enim ab Oleo fervente in halitus reduceretur, hujuſque partem aliquam ex lebete non ſine magno artificis periculo projiceret; continuatus autem calor, reliquum Oleum nulla aqua temperatum adureret. Itaque per totam operationem pro ea ratione, qua aqua evaporat, nova ſubinde eſt adjicienda. Simul atque omnem in auras abiiſſe ex traditis ſignis apparet, lebes illico ab igne removendus, refrigeratoque demum Oleo nova aqua affundenda eſt. Ipſa etiam materies inter operationem ſpatula lignea continuo agitari debet, ne quid Olei lebetis parietibus accreſcat, inque fundum ne reſideat Calx metallica. In ea ratione, qua Oleum partes metallicas recipit, vapores difficilius transmittuntur, bullæ ſurgunt majores, totaque maſſa valde intumeſcit.

VIII. Emplaſtra poſtquam parata ſunt, ſuper aſſere ope manuum in bacillos formantur, quos *Magdaleones*, ipſum vero hunc laborem *Malaxare* dicunt.

EMPLASTRUM *Abbatis de Grace.*

Videatur Emplaſtrum album coctum.

EMPLASTRUM ADHÆSIVUM *Edinburgenſium* POLYCHRESTUM *Suecorum.*

℞. Emplaſtri Diachyli ſimplicis Uncias duodecim,
Picis Burgundicæ Uncias ſex,

Colliquefiant.

Ad partes continendas nec non ad levia Vulnera a ſordium illapſu defendenda adhibetur. Aequat vires EMPLASTRI STICTICI Plenck.

EMPLASTRUM ALBUM COCTUM *Celsi.*

℞. Ceruſſæ Venetæ Uncias quadraginta,
Olei Olivarum Uncias triginta:
Coquantur ſub perpetua, ope ſpatulæ ligneæ, agitatione, & crebra aquæ affuſione, uſque dum aliquot guttæ aquæ frigidæ inſtillatæ Emplaſtri conſiſtentiam arguant.

Exſiccat, Refrigerat, Diſcutit, ad membra Ambuſta valet, Intertrigines ſanat, Cicatricem inducit. In, Arthritide vero, Eryſipelate, Rhevmatiſmis ne adhibeatur, cautio eſt. Mammis induratis quoque imponitur. Poteſt ſubſtitui EMPLASTRO Abbatis de Grace.

EMPLASTRUM de AMMONIACO *Danorum.*

℞. Ceræ citrinæ,
Reſinæ Pini,
Terebinthinæ ana Uncias quatuor,
Gummi Ammoniaci Uncias octo:
Colliquentur & per ſtupam colentur.

Variis, quæ apud Auctores proſtant, compoſitionibus hanc, ſcilicet ſimpliciorem, præferendam eſſe duxi. Emollit, Diſcutit, Maturat, Reſolvit.

EMPLASTRUM de AMMONIACO cum MERCURIO *Londinenſium.*

℞. Argenti vivi Uncias tres,
Balſami Sulphuris Rulandi Drachmam unam:
Terantur probe uſque dum omnes globuli Mercuriales diſparuerint, dein immiſceantur ſenſim ſub perpetua agitatione
Gummi Ammoniaci Unciæ duodecim, liquatæ.
Terebinthinæ Unciis tribus.

In

In Glandularum indurationibus cum ſucceſſu adhiberi poſſe videtur.

EMPLASTRUM ANGLICUM.
EMPLASTRUM ADHÆSIVUM *Widstoock.*

℞. Ichthyocollæ Uncias duas,
Benzoes,
Styracis electæ ana Drachmam unam,
Spiritus Vini rectificatiſſimi Uncias viginti quatuor,
Immittantur Cucurbitæ & calore detineantur, uſque dum omnia fuerint diſſoluta ſolutioque refrigerata conſiſtentiam gelatinæ induat. Oblinatur penicilli ope ſerico tenſo. Antequam prius fuerit exſiccatum non inducatur alterum ſtratum, eademque ſub cautela fiat ſtratorum iteratio, uſque dum requiſita craſſities ſurrexerit.

Celebratum hoc Emplaſtrum ſub nominibus THE LADY'S BLACK STICKING PLAISTRE, TAFFETAS D'ANGLETERRE, ENGLISCHER TAFFET in creberrimo uſu eſt ad Solidanda leviora Vulnera.

EMPLASTRUM ANODYNUM IN CANCRO *Decker.*

℞. Emplaſtri Diapompholygos Unciam unam,
Fuliginis ſplendentis Scrupulos quatuor,
Opii pulveriſati Drachmam unam,
Salis Volatilis Ammoniaci Scrupulos duos:
Mixta Malaxentur cum
Olei Solani quantitate ſufficiente.
Virtutes ex nomine patent.

EMPLASTRUM ANODYNUM *Wildegansii.*

℞. Emplaſtri Saponati,
Ceræ citrinæ ana Uncias quatuor:
Colliquatis & ſemi refrigeratis addantur
Olei Tartari fœtidi Drachmæ quinque,
Opii in pulverem redacti Uncia ſemis,

Camphoræ Drachmæ tres, diſſolutæ in
Olei Seminis Hyoſcyami Drachmis quinque:
Miſceantur probe.
Ad morbos Articulares commendatur.

EMPLASTRUM ANTAPOPLECTICUM *Hanckenii.*

℞. Olei Nucum Juglandum Uncias duodecim,
Terebinthinæ,
Reſinæ communis ana Uncias quatuor,
Colophonii Uncias duodecim,
Ceræ Citrinæ Uncias ſexaginta quatuor:
Colliquatis addantur
Pulverum Succini,
Tacamahacæ,
Carannæ,
Sandaracæ ana Uncia una ſemis,
Olibani,
Maſtychis,
Storacis,
Benzoes ana Uncia una,
Radicum Cyperi rotundi,
Pyrethri,
Angelicæ,
Iridis Florentinæ ana Uncia ſemis:
Probe mixtis & pene refrigeratis commiſceantur
Axungiæ Caſtorei,
Camphoræ ana Drachmæ duæ,
Oleorum deſtillatorum Macis,
Majoranæ,
Caryophyllorum,
Ligni Rhodii,
Lavendulæ ana Scrupuli duo,
Salviæ,
Rorismarini,
Chamomillæ,
Succini ana Guttæ duodecim:

Mixta efformentur in Emplaſtrum Veſicæ commiſſum aſſervandum.
Applicatur Capiti raſo tam arcendæ quam curandæ Apoplexiæ cauſa.

EMPLASTRUM ATTRAHENS *Londinenſium.*

℞. Reſinæ,
Ceræ ana Uncias ſedecim,
Sevi Ovilli Uncias octo
Liquefiant & per colum trajiciantur.
Ad Suturas ſiccas adhibetur.

EMPLASTRUM E BACCIS LAURI *Mesue correctum.*

℞. Ceræ Citrinæ Uncias octo,
Reſinæ vulgaris,
Olei Laurini,
Terebinthinæ ana Uncias duas:
Liquatis admiſceantur
Pulverum Baccarum Lauri Unciæ quatuor,
Radicum Cyperi rotundi,
Corticis Winterani,
Olibani,
Maſtychis,
Myrrhæ ana Uncia una:
Probe miſceantur.
In Hydrope & affectibus a Flatibus ortis Abdomini, in Cephalalgia Capiti imponitur.

EMPLASTRUM DE BELLADONNA *Brunſvicenſium.*

℞. Succi recentis Foliorum Belladonnæ,
Olei Lini ana Uncias novem:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis, tunc addantur
Ceræ Citrinæ Unciæ ſex,
Terebinthinæ Venetæ Drachmæ ſex:

Liquatis admiſceantur
Pulveris Foliorum Belladonnæ Unciæ duæ.

Teſtantur Brunſvicenſes, hoc Emplaſtrum egregie Emollire ac Dolores ſedare, inprimis ad Mammarum vel Scroti Tumores duros aut Reſolvendos aut ad bonam Suppurationem perducendos cum ſucceſſu in uſum tractum fuiſſe.

EMPLASTRUM DE BETONICA *Zwœlfferi*.

℞. Ceræ flavæ,
Reſinæ Pini,
Terebinthinæ ana Uncias duas:
Liquefactis addantur
Pulverum Betonicæ,
Maſtychis,
Olibani,
Mumiæ ana Uncia una:
Probe miſceantur.

Raſo Capite imponitur ipſius Vulneribus & Contuſionibus, nec non in Cephalalgia & morbis Catarrhalibus, qua efficacia ego non diſquiram; id ſaltem addere non dubito, ad grave Syncipitis Vulnus, cujus S. Pauti in Quadripart. Botanic. p. 223. meminit, ſanandum, hoc Emplaſtrum ne hilum quidem contribuiſſe.

EMPLASTRUM AD BUBONES VENEREOS *Boerhave*.

℞. Florum Sulphuris Uncias duas,
Mercurii vivi Drachmas duas:
Probe terantur uſque dum omnes globuli Mercuriales diſparuerint, tunc addantur
Sacchari Saturni Drachmæ tres,
Mixta ingerantur ſub non intermiſſa agitatione,
Emplaſtrorum de Meliloto,
Cumino,
Galbano,

Emplaſtrorum de Ammoniaco,
Sagapeno ana Unciæ dimidiæ:
Liquando commixtis & ſemirefrigeratis.

Teſtatur TRILLERUS *ſe in pluribus ægrotis expertum eſſe, hujus Emplaſtri ope Bubones Venereos inveteratos, adeoque tenaciſſimos potenter fuiſſe ſolutos & diſſipatos, nec non ingentes Teſticulos Venereos detumuiſſe.*

EMPLASTRUM CAMPHORATUM *Stahlii.*

℞. Olei Olivarum Uncias duodecim,
Minii Uncias octo,
Coquantur ad Conſiſtentiam Emplaſtri, cui refrigerato addantur
Camphoræ, paululum Olei Olivarum diſſolutæ, Unciæ duæ.

Refrigerans, Reſolvens atque Anonydina virtus huic Emplaſtro adſcribitur, Ambuſtis & Excoriatis partibus cum ſucceſſu imponitur: Optime ſubſtituitur EMPLASTRO DOMUS MISERICORDIÆ ET EMPLASTRO DE MINIO.

EMPLASTRUM CATAGMATICUM, SEU AD FRACTURAS *Danorum.*

℞. Colophonii Uncias viginti quatuor,
Terebinthinæ Uncias ſex:
Liquatis adjiciantur
Pulverum Radicum Biſtortæ,
Symphyti,
Tormentillæ ana Unciæ tres:
Probe miſceantur.

Compoſitionem Medicamenti, quod nomini ſuo minime reſpondere inter omnes conſtat, ſimpliciorem, reliquis in Diſpenſatoriis paſſim obviis præferendam eſſe duxi.

EMPLASTRUM CEPHALICUM *Danorum.*

℞. Tacamahacæ,
Carannæ,

Styracis Calamitæ,
Maſtychis ana Unciam unam,
Terebinthinæ Argentoratenſis Drachmas duas,
Leni igne Liquentur, pene refrigeratis addantur
Opii pulveriſati Scrupuli quatuor,
Balſami Peruviani Semuncia,
Olei Succini Drachma una:
Miſceantur probe.

In Capitis doloribus parti affectæ; in Odontalgia Temporibus applicatur. Subſtitui poteſt EMPLASTRO AD DOLORES DENTIUM, ET EMPLASTRO AD TEMPORA.

EMPLASTRUM DE CICUTA CUM GUMMI AMMONIACO *Schrœderi* correctum.

℞. Ceræ flavæ Uncias duodecim,
Olei Hyoſcyami Uncias quatuor:
Colliquatis addantur
Succi Cicutæ inſpiſſati Unciæ ſex,
Gummi Ammoniaci pulveriſati,
Pulveris Cicutæ ana Unciæ octo:
Probe miſceantur.

Ad Scirrhos & præcipue Lienis Hepatisque Tumores enixe commendatur, id quod Schulzius quoque Prælect. in Diſpenſ. Obſervatione probat. EMPLASTRI SPLENETICI vices ſupplet; imponitur quoque Carcinomatibus.

EMPLASTRUM CITRINUM *Auguſtanorum.*

℞. Reſinæ Uncias ſedecim,
Ceræ Citrinæ,
Sevi cervini ana Uncias decem,
Terebinthinæ Uncias tres:
Colliquatis & colatis addantur
Pulveris Curcumæ Drachmæ tres.

Ad Ulcera & Vulnera maturanda valet, imponitur quoque levibus Vulneribus, ab illapſu ſordium tuendis. Vices ſuſtinet EMPLASTRI TETRAPHARMACI.

EMPLASTRUM AD CLAVOS PEDUM *Argentoratenſium.*

℞. Emplaſtri Diachyli Unciam ſemis,
Picis navalis Unciam unam:
Colliquatis addantur
Pulverum Galbani Unciæ duæ,
Viridis Æris,
Salis Ammoniaci ana Scrupuli duo:
Probe miſceantur.

Vires ex nomine patent, vices EMPLASTRI VIRIDIS explet.

EMPLASTRUM COMMUNE *Londinenſium.*

Videatur Emplaſtrum Diachylon.

EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS *Auguſtanorum.*

℞. Ceræ Citrinæ Uncias ſex,
Oleorum Maſtychis,
Cydoniorum,
Terebinthinæ ana Unciam unam:
Colliquatis addantur
Cruſtæ Panis toſtæ, in pulverem tritæ Unciæ duæ,
Pulverum Tacamahacæ Uncia una,
Maſtychis,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Herbæ Menthæ ana Uncia ſemis:
Probe miſceantur & Emplaſtrum aſſervetur Veſicæ incluſum.

Stomachi roborandi gratia, præcipue in Vomitu, regioni Epigaſtricæ imponitur.

EMPLASTRUM DE CUMINO *Londinenſium.*
EMPLASTRUM STOMACHICUM ſive E BACCIS LAURI *Suecorum.*

℞. Ceræ citrinæ,
Emplaſtri Diapalmæ,

Olei Olivarum ana Uncias ſex:
Colliquatis & ſemirefrigeratis addantur
Pulveris Seminis Cumini Unciæ ſex,
Baccarum Lauri Unciæ duæ,
Olei deſtillati Cumini Drachma una.
Probe miſceantur & Emplaſtrum aſſervetur Veſicæ incluſum.

Ad Flatus Diſcutiendos imponitur Umbilico. Laudatur quoque ad Tumores duriores, Mammarum maxime, Reſolvendos.

EMPLASTRUM DEFENSIVUM RUBRUM *Danorum.*

℞. Lithargyrii Uncias duodecim,
Olei Olivarum Uncias viginti quatuor:
Coquantur ad Lithargyrii diſſolutionem; tunc addantur
Ceræ Citrinæ,
Terebinthinæ Venetæ,
Pulveris Olibani ana Unciæ duæ:
Colliquatis admiſceantur
Colcotharis Vitrioli Unciæ tres.

Hoc Emplaſtrorum genere Veteres Affluxum Humorum ad partes conſtringendo Vaſa morari & impedire conati ſunt, ne vitium cuidam parti inhærens ulterius ſe diffundat. Plures horum Emplaſtrorum deſcriptiones proſtant; hodie rarius in uſum trahuntur.

EMPLASTRUM DIABOTANUM *Blondii.*

℞. Radicum & Foliorum Bardanæ,
Petaſitidis,
Calendulæ,
Chamæpiteos,
Leviſtici,
Valerianæ,
Angelicæ,
Enulæ,
Armoraciæ,
Cucumeris ſilveſtris,
Scrophulariæ,

Radi-

Radicum & Foliorum Sedi minoris,
Chelidonii majoris,
minoris,
Gratiolæ ana Uncias ſex:
Inciſa coquantur cum
Aquæ Unciis mille:
Ad dimidias, colatis cum expreſſione addantur
Succorum Cicutæ,
Chelidonii majoris,
Hormini ana Unciæ ſexaginta quatuor,
Sedi minoris Unciæ ſedecim:
Bulliant paululum colentur & evaporentur ad conſiſtentiam Extracti, hujus Extracti Unciis ſedecim commiſceantur
Gummi Galbani,
Ammoniaci,
Opoponacis,
Sagapeni ana Unciæ quatuor,
In Aceto Scillitico diſſoluta & ad conſiſtentiam Extracti evaporata, probe mixta addantur
Lithargyrii Unciis triginta duabus,
Oleorum Olivarum Unciis ſedecim,
Catellorum,
E Mucilaginibus ana Unciis octo:
Secundum artem coctione diſſolutis: adjiciantur deinceps
Florum Sulphuris,
Ceræ Citrinæ,
Storacis liquidæ,
Picis ana Unciæ ſedecim:
Colliquefactis commiſceantur
Pulverum Radicum Ireos Florentinæ,
Cyclaminis,
Ranunculi,
Coronæ Imperialis,
Serpentariæ,
Hellebori albi ana Drachmæ ſex,
Sigilli Salomonis,

Pulverum Radicum Ari ana Uncia una,
Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ,
Clematitidis ana Drachmæ duæ,
Aſari Unciæ tres:

Probe agitentur, uſque dum ſemirefrigeratæ fuerint; tunc adjiciantur

Pulverum Baccarum Lauri,
Florum Meliloti ana Uncia dimidia,
Seminum Angelicæ,
Naſturtii ana Drachmæ ſex,
Cumini Unciæ tres,
Fimi Columbini Uncia una,
Gummi Aſphalti,
Olibani,
Maſtychis ana Unciæ octo,
Tacamahacæ Unciæ duodecim,
Bdellii,
Myrrhæ ana Unciæ tres,
Euphorbii Uncia una:

Agitentur uſque dum omnia refriguerint, tunc immiſceantur adhuc

Camphoræ tritæ Uncia una ſemis,
Oleorum deſtillatorum Caryophyllorum Uncia una,
Philoſophorum Unciæ duæ cum dimidia:

Formentur Magdaleones.

Theriacalis hæc compoſitio olim magni fiebat in Gallia ad Reſolvendos Tumores Glandularum & Viſcerum, hodie evileſcere cœpit.

EMPLASTRUM DIACHALCITEOS.

Videatur Emplaſtrum Diapalmæ.

EMPLASTRUM DIACHYLON CUM GUMMI *Vigonis* correctum.
EMPLASTRUM GUMMOSUM *Suecorum.*

℞. Emplaſtri Diachyli ſimplicis Uncias viginti quatuor,
Ceræ flavæ Uncias quatuor:
Colliquatis addantur
Terebinthinæ Venetæ,
Pulverum Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni ana Uncia una:
Semirefrigeratis immiſceantur:
Pulveris Croci Drachmæ duæ.

Digerendi & Maturandi ſcopo frequenter uſurpatur.

EMPLASTRUM DIACHYLON SIMPLEX *Mesue.*

℞. Mucilaginum Radicis Altheæ,
Seminum Lini,
Fœnugræci ana Uncias duodecim,
Olei Olivarum Uncias triginta ſex:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis, tunc addantur
Lithargyrii Unciæ viginti quatuor:
Coquantur ad conſiſtentiam Emplaſtri.

Proxime ad EMPLASTRUM ADHÆSIVUM *accedit. Londinenſes Mucilagines omittendo, quæ utique hic parum efficaces ſunt,* EMPLASTRUM COMMUNE *parant; neque etiam male ſubſtituitur* EMPLASTRO DE LAPIDE CALAMINARI POMPHILUS *dicto.*

EMPLASTRUM DIAPALMÆ vel DIAPHOENICON *Galeni* correctum, vel DIACHALCITEOS.

℞. Oleorum Palmarum Uncias ſex,
Olivarum Uncias ſexaginta ſex,
Foliorum Quercus tenellorum Uncias octo:

Coquantur ad conſumtionem humiditatis; addantur
  Lithargyrii Unciæ quadraginta octo:
Coquantur ſecundum artem ad conſiſtentiam Emplaſtri, in Aqua, præcavendæ aduſtionis gratia affundenda, diſſolvantur
  Vitrioli albi Unciæ quatuor.

Exſiccantes & Diſcutientes vires edit, Ulceribus imponitur nec non Vulneribus claudendis.

EMPLASTRUM DIAPHORETICUM *MYNSICHTI.*

℞. Ceræ flavæ Uncias undecim,
  Colophonii Uncias quatuor,
  Terebinthinæ Uncias duas:
Colliquatis addantur
  Pulverum Succini Unciæ tres,
    Gummi Bdellii Unciæ quatuor,
      Ammoniaci Unciæ duæ,
      Galbani,
      Sandaracæ ana Uncia una,
      Maſtychis,
      Olibani ana Uncia ſemis:
Probe miſceantur.

Roborandi & Diſcutiendi fine adhibetur, maxime contra Oedemata laudatur; Luxatis imponitur.

EMPLASTRUM DIAPOMPHOLYGOS *NICOLAI.*

℞. Olei Solani Uncias triginta quatuor,
  Ceruſſæ Uncias decem:
Coquantur ſecundum artem ad ſolutionem uſque Ceruſſæ tunc Addantur
  Ceræ Unciæ triginta quatuor,
Colliquatis adjiciantur,
  Plumbi uſti Unciæ ſex,
  Pulverum Pompholygos,
    Olibani ana Unciæ quatuor:
Miſceantur agitando.

Refrigerat, Exſiccat, Diſcutit, Cicatricem inducit. Poteſt EMPLASTRO SATURNINO ſubſtitui.

EMPLASTRUM DIASULPHURIS *RULANDI*.

℞. Balſami Sulphuris RULANDI Uncias ſex,
Ceræ citrinæ Uncias duas,
Colophonii Uncias ſex,
Colliquatis admiſceantur,
Pulveris Myrrhæ Unciæ novem,

Ad Ulcera mundanda & ſolidanda, diſcutiendos Tumores, Strumas maxime haud vulgariter laudatur; in Fiſtula Ductus Salivalis egregias inde vires vidit BUCHNER apud SCHULZ Prælect. in Diſpenſ. 190.

EMPLASTRUM DIVINUM *NICOLAI* correctum.

℞. Lithargyrii Uncias ſedecim,
Olei Olivarum Uncias triginta duas,
Viridis Æris Unciam unam,
Coquantur ſecundum artem ad Diſſolutionem Metallorum, tunc colliquentur cum
Ceræ flavæ Unciis octo;
addantur ſub perpetua agitatione
Pulverum Gummi Galbani,
Myrrhæ,
Bdellii ana Unciæ duæ,
Ammoniaci Unciæ tres,
Olibani,
Opoponacis,
Maſtychis,
Radicis Ariſtolochiæ rotundæ ana Uncia una,
Lapidis Magnetis Uncia una ſemis.

Valentiores quam DIACHYLON cum GUMMI hoc Emplaſtrum edere vires temere creditur. Viride Æris, quod ſexageſimam circiter ejus partem conſtituit, quem effectum edet? & in Magnete tot Oleis & Reſinis obducto, quæ ſpes eſt fore, ut

Tela aut alia fruſta Ferri ex Vulneribus extrahat? Non male ſubſtituitur EMPLASTRO MANUS DEI & EMPLASTRO OPODELDOCH.

EMPLASTRUM AD DOLORES DENTIUM.

Videatur Emplaſtrum Cephalicum.

EMPLASTRUM EPISPASTICUM.

Videatur Emplaſtrum Veſicatorium.

EMPLASTRUM AD FONTICULOS.

Videatur Ceratum Refrigerans Galeni.

EMPLASTRUM FRIGIDUM *RIEDLINI.*

℞. Ceræ Citrinæ Uncias duodecim,
Reſinæ albæ,
Sevi Hircini ana Uncias ſex,
Terebinthinæ Venetæ Uncias quinque,
Emplaſtri Diachyli Uncias ſedecim,
Oleorum Lini Unciam unam ſemis,
Liliorum alborum,
Lumbricorum terreſtrium,
Chamomillæ ana Unciam dimidiam:
Colliquatis addantur
Pulverum Gummi Myrrhæ,
Olibani,
Maſtychis,
Galbani,
Opoponacis, ana Drachmæ duæ,
Florum Sambuci,
Chamomillæ,
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Fœnugræci ana Uncia ſemis,
Fabarum,

Radicum Altheæ,
Symphyti ana Drachmæ duæ,
Curcumæ Drachmæ decem:
Probe agitando miſceantur; refrigeratis immiſceatur,
Olei deſtillati Terebinthinæ Uncia una.

Expertiſſimo quondam noſtratium Chirurgorum hoc Emplaſtrum Digerendi & Reſolvendi ſcopo frequenti in uſu fuit, egregios quoque ejus effectus celebrat VON LINDERN *Venus Spiegel C. 12.*

EMPLASTRUM AD FUNGOS ARTICULORUM *Klein.*

℞. Picis navalis Uncias tres,
Ceræ,
Terebinthinæ Venetæ ana Unciam unam:
Colliquatis addantur ſub perpetua agitatione
Pulverum Radicis Pyrethri,
Salis communis decrepitati,
Gummi Euphorbii ana Unciæ duæ,
Ammoniaci,
Galbani,
Maſtychis,
Olibani ana Uncia una.

Vires ex nomine patent.

EMPLASTRUM AD GANGLIA *Brandeburgenſium.*

℞. Gummi Galbani,
Opoponacis,
Ammoniaci ana Unciam unam ſemis:
Diſſolvantur liquando
Terebinthinæ Venetæ Uncia una ſemis:
Addantur deinceps
Pulverum Sagapeni,
Myrrhæ ana Uncia una ſemis,
Sulphuris vivi,
Vitrioli Romani,
Salis Ammoniaci ana Drachmæ duæ,
Euphorbii Drachma una:

Probe agitando miſceantur, ſemirefrigeratis addantur
Olei Laurini,
Spiritus Vini ana Uncia ſemis:
Continuetur agitatio uſque dum omnia refriguerint.

Teſtatur Buchner *apud* Schulz *in Diſpenſ.* Bassium *obſervaſſe, hoc Emplaſtro Ganglia emolliri, manu Chirurgi poſtea eo facilius diſſipanda:* Klein *Select. Medicam. p.* 77. *vidit Hemicraniam Veneream poſt Antimonii & Mercurii uſum remanentem, tandem hoc Emplaſtro Capiti ſuperimpoſito victam fuiſſe atque diſpulſam.*

EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM *Mynsichti.*

℞. Emplaſtrorum de Meliloto,
Diachylis ſimplicis ana Uncias tres,
Ceræ Citrinæ Uncias duas,
Terebinthinæ Unciam unam,
Pulveris Gummi Galbani Uncias ſex:
Colliquata agitentur donec pene refriguerint:
Deinceps addantur
Pulveris Croci Drachmæ ſex:
Continuetur agitatio, uſque dum omnia in ſpiſſitudinem Emplaſtri coagulaverint.

Tumores duros Reſolvit; cum ſucceſſu imponitur Mammis induratis.

EMPLASTRUM GRISEUM SEU DE LAPIDE CALAMINARI *Wecker.*

℞. Ceræ Uncias tres,
Sevi Cervini Uncias quatuor,
Terebinthinæ ſeſquiunciam:
Colliquatis addantur
Pulverum Lapidis Calaminaris,
Lithargyrii ana Seſquiuncia,
Tutiæ,

Maſty-

Pulverum Maſtychis,
Olibani ana Uncia ſemis:
Agitentur uſque dum ſemirefriguerint, tunc addatur
Camphoræ, pauxillo Olei tritæ, Drachma una,

Eosdem ac EMPLASTRUM DIAPOMPHOLIGOS *mitiores tamen effectus edit.*

EMPLASTRUM AD HERNIAS *ZWŒLFFER.*

℞. Ceræ flavæ Uncias quatuor,
Terebinthinæ Uncias ſex:
Colliquatis addantur
Pulverum Succi Acaciæ,
Hypociſtidis,
Maſtychis,
Myrrhæ,
Olibani,
Radicis Symphyti ana Unciam unam,
Aluminis crudi,
Sanguinis Draconis ana Drachmas ſex,
Nucum Cupreſſi,
Lapidis Hæmatitis,
Seminis Perfoliatæ,
Vitrioli de Cypro ana Unciam ſemis:
Probe miſceantur.

Satis hodie eſt evictum, Annulis contenta Abdominis elabi paſſis robur reddi Adſtringentibus extus applicatis nequaquam poſſe. Prudentes Chirurgi totum negotium Naturæ relinquunt.

EMPLASTRUM DE HYOSCYAMO *LUDOVICI.*

℞. Olei expreſſi Hyoſcyami Uncias ſex,
Succi Hyoſcyami Uncias duodecim:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis; addantur
Ceræ Unciæ quatuordecim,
Terebinthinæ Unciæ duæ:

Liquatis & ſemirefrigeratis admiſceantur demum
Pulveris Herbæ Hyoſcyami Unciæ duæ.

Ad Dolores Rheumaticos & Tumores Glandularum & Viſcerum laudatur. LUDOVICI ejus eximium in Hydrocele effectum vidit. TRILLERUS quoque egregium ejus uſum contra Perniones, Clavos pedum, & Hæmorrhoides cæcas haud ſemel eſt expertus.

EMPLASTRUM INCOGNITUM.

Videatur Emplaſtrum Santalinum.

EMPLASTRUM ISCHIADICUM *Danorum.*

℞. Reſinæ albæ Uncias quatuor,
Terebinthinæ Drachmas ſex:
Colliquatis adjiciatur
Pulveris Euphorbii Drachma una ſemis.

In malo Iſchiadico parti affectæ Reſolvendi cauſa imponitur.

EMPLASTRUM AD LUPIAM *Viennenſium.*

℞. Reſinæ Uncias quatuor,
Terebinthinæ Uncias duas,
Gummi Galbani Unciam unam:
Colliquatis commiſceantur
Farinæ Frumenti,
Pulverum Gallarum Turcicarum,
Viridis Æris ana Uncia una:
Miſceantur probe.

Teſtatur Cl. PLENCK ſe hoc Emplaſtro, ſingulo octiduo renovato, aliquot Lupias in Genu curaſſe.

EMPLASTRUM MAGNETICUM *ANGELI SALÆ* correctum.

℞. Gummi Galbani,
Ammoniaci ana Uncias tres,
Ceræ,

Terebinthinæ ana Uncias quinque:
Colliquatis addantur
Gummi Sagapeni,
Magnetis Arſenicalis ſubtiliſſime triti ana Unciæ tres,
Colcothar Vitrioli,
Olei deſtillati Succini ana Uncia una:
Miſceantur exacte.

Maxime laudatur ad curandos Bubones Peſtilentiales, ſed evictum eſt, Arſenici uſum etiam externum maxime ſuſpectum eſſe.

EMPLASTRUM MAMILLARE.

Videatur Emplaſtrum de Spermate Ceti.

EMPLASTRUM DE MELILOTO.

℞. Florum Meliloti Uncias duodecim,
Sevi bovini Uncias ſedecim,
Coquantur ad conſumtionem humiditatis; colatis addantur
Reſinæ albæ Unciæ viginti quatuor,
Ceræ Unciæ duodecim:
Colliquefiant.

Emplaſtri de Meliloto ANDROMACHI ex Roborantibus maxime & Diſcutientibus compoſiti mentionem facit GALENUS. Ex illo tempore plurimæ Emplaſtri a Meliloto denominati compoſitiones in Diſpenſatoriis occurrunt. Cum hoc Emplaſtrum propter vires Emollientes vulgo commendetur, præſcriptionem Pariſinam exhibeo, quæ neque Aromata, neque Gummi ferulacea vehit. Subſtitui poteſt EMPLASTRO MALACTICO.

EMPLASTRUM MERCURIALE.

Videatur Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio.

EMPLASTRUM DE MINIO *VIGONIS* correctum

℞. Minii Uncias duodecim,
Olei Roſarum Uncias viginti quatuor:
Coquantur ſecundum artem ad diſſolutionem Minii:

Addantur
Ceræ Unciæ tres:
Colliquatis & ſemirefrigeratis commiſceantur
Camphoræ, cum paululo Olei tritæ, Drachmæ duæ.

Laudatur ad Diſſipandas Inflammationes, ideoque Fracturis & Ambuſtis imponitur, nec non Rheumatiſmis. Vices exſequitur EMPLASTRORUM DOMUS MISERICORDIÆ, NORICI, TRIAPHARMACI.

EMPLASTRUM MIRACULOSUM.

Videatur Emplaſtrum Saponatum Barbette.

EMPLASTRUM DE NICOTIANA *le Mort.*

℞. Foliorum Nicotianæ Uncias quatuor,
Olei Olivarum Uncias duodecim,
Vini rubri Uncias quinque:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis:
Expreſſis addantur:
Ceræ,
Colophonii ana Unciæ duodecim,
Colliquatis & colatis admiſceantur demum
Pulverum Gummi Tacamahacæ,
Elemi,
Myrrhæ,
Aloës ana Uncia una,
Olei deſtillati Tabaci Unciæ duæ:
Miſceantur.

Spleniticis commendatur: Trillerus Abdomini impoſitum reſerare Alvum expertus docet.

EMPLASTRUM NIGRUM *Bechholzii.*

℞. Cinerum Clavellatorum Uncias quatuor,
Salis Ammoniaci Unciam unam,
Olei Terebinthinæ Uncias octo:
Digerantur per menſem in Cucurbita:

Tunc addantur
Florum Sulphuris Drachmæ ſex:
Digerantur denuo per menſem; dein admiſceantur
Ceræ flavæ Unciis duodecim,
Colophonii Unciis quatuor,
Terebinthinæ Drachmis ſex,
Pulverum Gummi Ammoniaci,
Bdellii,
Galbani,
Sagapeni ana Drachmis ſeptem;
Myrrhæ,
Olibani ana Drachmis ſex:
Colliquatis & ſemirefrigeratis adjiciatur tandem,
Camphoræ, pauxillo Olei ſolutæ, Uncia ſemis.

Partibus Gangrænoſis in Sphacelum properantibus imponitur. Mortuæ ſeparationem a viva parte feliciſſime inde ſecundari aſſeverant.

EMPLASTRUM NORICUM.

Videatur Emplaſtrum de Minio.

EMPLASTRUM OPODELDOCH *PARACELSI.*

Videatur Emplaſtrum Divinum.

EMPLASTRUM OXYCROCEUM *NICOLAI.*

℞. Ceræ Uncias ſedecim,
Picis,
Colophonii ana Uncias duodecim,
Terebinthinæ Uncias quatuor:
Colliquatis & colatis addantur
Pulverum Gummi Galbani,
Ammoniaci,
Myrrhæ,
Olibani,
Maſtychis ana Unciæ quatuor:

Agitentur & ſemirefrigeratis addatur
Pulveris Croci Uncia una.

In Luxationibus vim Reſolvendi nec non Paregoricam habet admodum efficacem. SCHULZ *l. c. egregium ejus effectum refert.*

EMPLASTRUM POLYCHRESTUM *HOFFMANNI.*

Videatur Emplaſtrum Saponatum BARBETTE.

EMPLASTRUM DE RANIS *VIGONIS.*

℞. Olei Olivarum,
Lithargyrii ana Uncias duodecim:
Coquantur ſecundum artem ad diſſolutionem Lithargyrii:
Affundatur durante coctione Decoctum ex
Ranarum viventium Numero decem,
Lumbricorum terreſtrium viventium Unciis quatuor,
Herbarum Schœnanthi,
Matricariæ,
Florum Stoechados Arabicæ ana Uncia dimidia,
Radicum Enulæ,
Ebuli ana Unciis tribus,
Vini albi Unciis viginti quatuor,
Aceti Vini Unciis octodecim:
Ad dimidias coctis & colatis; addantur
Terebinthinæ,
Ceræ ana Unciæ duæ:
Colliquatis ſuperingerantur,
Pulveris Olibani Drachmæ ſex,
Euphorbii Drachmæ quinque:
Agitatis & ſemirefrigeratis tandem addantur
Olei Laurini Unciæ duæ,
Styracis liquidæ,
Pulveris Croci ana Uncia ſemis:
Miſceantur.

Commendatur ad Emolliendos Tumores frigidos.

Ejus Unciis duodecim ſi addideris Unciam unam Mercurii habebis.

EMPLASTRUM DE RANIS CUM MERCURIO.

Quod cum ſummo ſucceſſu non modo Tumoribus Venereis, ſed & quibuscunque Glandulis induratis imponitur. Pro varia indicatione Medici duplum, triplum, imo quadruplum rationis Mercurii hic notati ſolent recipere. Optime aliis EMPLASTRIS MERCURIALIBUS *ſubſtituitur.*

EMPLASTRUM SANTALINUM VEL INCOGNITUM *Auguſtanorum.*

℞. Ceræ,
Reſinæ ana Uncias quatuor:
Colliquata colentur, eisque addantur
Pulverum Gummi Olibani,
Maſtychis,
Myrrhæ,
Aluminis ana Drachma una ſemis,
Ligni Santali rubri Uncia una ſemis:
Semirefrigeratis commiſceantur
Pulveris Croci Drachmæ duæ.

Fruſtra hoc Emplaſtrum ad reſerendas Hepatis Obſtructiones, contra quas olim commendabatur, adhiberi facile patet. Ad Luxationes & Sugillationes vulgo in uſum trahi ſolet, ſed hoc quoque reſpectu EMPLASTRUM OXYCROCEUM *ipſi merito præfertur.*

EMPLASTRUM SAPONATUM *BARBETTE VEL TACHENII VEL* SATURNINUM *DIGBY.*

℞. Olei Roſarum Uncias duodecim,
Minii,
Ceruſſæ ana Uncias ſex:
Coquantur ſecundum artem ad conſiſtentiam:
Tunc addantur
Saponis Veneti raſi Unciæ quatuor:
Agitentur uſque dum pene refriguerint, tunc ipſis adhuc immiſceatur
Camphoræ, paululo Olei diſſolutæ, Uncia dimidia.

Commendatur ad leniendos Dolores Rheumaticos & Arthriticos, Tumores frigidos quoque Reſolvere dicitur. Subſtituitur EMPLASTRO MIRACULOSO ET POLYCHRESTO HOFFMANNI.

EMPLASTRUM SATURNINUM *GOULARD.*

℞. Ceræ Citrinæ Uncias novem,
Olei Olivarum Uncias octo:
Liquatis immiſceantur
Extracti Saturni Uncia ſemis,
Camphoræ Grana decem.

Inungitur alutæ, qua Membra Rheumatica involvuntur.

EMPLASTRUM SATURNINUM *MYNSICHTI.*

Videatur Emplaſtrum Diapompholygos.

EMPLASTRUM DE SPERMATE CETI *MYNSICHTI.* EMPLASTRUM FILII *ZACHARIÆ.*

℞. Gummi Galbani,
Terebinthinæ ana Unciam unam:
Leni igne liquentur & colentur:
Cum colatis colliquentur
Ceræ albæ Unciæ quatuor,
Spermatis Ceti Unciæ duæ,
Olei Amygdalarum dulcium Uncia ſemis.

Non modo Mammarum Tumoribus medetur, ſed & Contuſis & Sugillatis ſalubriter imponi poteſt.

EMPLASTRUM DE SPERMATE RANARUM *Noricorum* correctum.

℞. Olei Spermatis Ranarum Uncias ſexaginta,
Ceruſſæ Uncias octoginta:
Coquantur ſecundum artem, aquam ipſis affundendo, in qua diſſoluta ſint,
Aluminis Unciæ ſex,

Ubi

Ubi ad conſiſtentiam Emplaſtri coagulaverint, removeantur ab igne & ſemirefrigeratis commiſceantur
Camphoræ, paulo Olei ſolutæ, Unciæ duæ:
Vires Emplastri Albi Cocti *æquiparat, quin & eodem ad Diſcutiendas Inflammationes efficacius eſt.*

EMPLASTRUM SPLENITICUM.

Videatur Emplaſtrum de Cicuta.

EMPLASTRUM STICTICUM *Crollii* correctum.

℞. Lithargyrii,
Minii,
Oleorum Lini,
Olivarum ana Uncias duodecim:
Coquantur ſecundum artem ad conſiſtentiam Emplaſtri;
In aqua, quæ ſub coctione adjicitur, diſſolvantur
Vitrioli albi Unciæ quatuor:
Coctis colliquentur
Colophonii,
Ceræ ana Unciæ viginti quatuor,
Terebinthinæ Unciæ duodecim,
Colatis addantur
Pulverum Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Bdellii,
Myrrhæ,
Aloes Hepaticæ,
Mumiæ,
Radicis Ariſtolochiæ longæ,
Sanguinis Draconis,
Lapidis Hæmatitæ ana Unciæ duæ,
Olei Laurini Unciæ duodecim:
Probe miſceantur.
Ad Ulcera vetuſta æque ac ad recentia Vulnera olim adhibebatur, hodie fere obſoleſcit.

EMPLASTRUM STICTICUM *Plenck*

Videatur Emplaſtrum Adhæſivum.

EMPLASTRUM DE TACAMAHACA *Schrœderi.* correctum.

℞. Ceræ Uncias octo,
Terebinthinæ Unciam unam:
Colliquatis & ſemirefrigeratis commiſceantur
Pulveris Tacamahacæ Unciæ quatuor,
Balſami Peruviani,
Oleorum deſtillatorum Menthæ ana Drachmæ duæ;
Caryophyllorum Drachma una.

In Vomitu, Diarrhœa & Flatibus regioni Epigaſtricæ imponitur.

EMPLASTRUM AD TEMPORA.

Videatur Emplaſtrum Cephalicum.

EMPLASTRUM TRIAPHARMACUM *Mesuæ.*

Videatur Emplaſtrum de Minio.

EMPLASTRUM VESICATORIUM *Hoffmanni.*

℞. Emplaſtri de Meliloto Uncias tres:
Liquatis commiſceantur
Pulveris Cantharidum Uncia una ſemis,
Camphoræ, paulo, Olei ſolutæ Drachmæ duæ.

Ex innumeris, quæ proſtant, hujus Emplaſtri præſcriptionibus, ſimpliciorem reliquis prætuli. Ubi cum delicatioribus & ſenſibilioribus res eſt, ratio Emplaſtri de Meliloto augetur.

EMPLASTRUM VIRIDE *Oribasii* correctum.

Videatur Emplaſtrum ad Clavos pedum.

EMULSIONES.

Canones.

I. Nuclei cortice privati contunduntur & agitantur cum aqua,

ſenſim ſenſimque affundenda; agitatis demum parata Emulſio colando depuratur.

II. Ubi Emulſiones Spuriæ parandæ ſunt, ſubſtantia ex aqua ſuſpendenda ſuo teritur ſapone, donec tota ſit per iſtum diffuſa. Aqua guttatim adjicitur, uſque dum omnem maſſam receperit.

III. Emulſiones cum ætatem non ferant, tunc demum parandæ ſunt, cum in uſum ſunt recipiendæ.

EMULSIO ARABICA *Fuller* correcta.

℞. Amygdalarum dulcium Unciam unam:
Amararum Drachmam unam,
Pulveris Gummi Arabici Unciam ſemis,
Redigantur in Emulſionem cum
Aquæ Unciis viginti quatuor:
Colaturæ addantur
Syrupi Althææ Unciæ tres.
Commendatur præcipue contra Ardorem Urinæ.

EMULSIO BALSAMICA *Fuller* correcta.

℞. Balſami Tolutani Drachmas tres,
de Meccha guttas octo:
Terantur cum
Amygdalarum dulcium excorticatarum Uncia dimidia:
Probe ſubactis adjiciantur
Decocti Hordei Unciæ octodecim,
Sacchari albi Drachmæ ſex.

Obſervat Triller hanc Emulſionem apte Phtiſicis præſcribi, inde Acre demulceri, Putredinem deleri, Tubercula diſcuti.

EMULSIO CAMPHORATA *Richard.*

Videatur Emulſio ſimplex.

EMULSIO NITRATA *Richard.*

Videatur Emulſio ſimplex.

EMULSIO SIMPLEX *Richard.*

℞. Amygdalarum dulcium Numero ſedecim,
Seminum quatuor frigidorum majorum Unciam ſemis:
Fiat ſecundum artem Emulſio cum
Ptiſanæ communis Unciis octodecim:
Addatur
Sacchari albi Uncia una.

Refrigerandi, Demulcendi, Sopiendi ſcopo exhibetur. Ejus Unciis ſex ſi addideris Camphoræ Grana duo, ſurget EMULSIO CAMPHORATA, NITRATA autem, Nitri depurati Granis ſex adjectis.

EMULSIO VIOLATA *Mynsichti.*

℞. Amygdalarum dulcium Unciam unam,
Seminum Violarum Drachmas duas,
Papaveris albi Drachmam unam,
Aquarum Violarum Uncias ſex,
Nymphææ,
Lactucæ ana Uncias tres:
Miſceantur & fiat lege artis Emulſio, edulcoranda
Julepi Violati Uncia una.

Vi Refrigerante & Sopiente vulgo commendatur, quam quidem vim cum reliquis Emulſionibus veris communem habet.

ENS VENERIS *Boyle.*

Videantur Flores Salis Ammoniaci Martiales.

ESSENTIÆ.

Canones.

I. Eſſentia dicitur Spiritus Vini ſubſtantiis Animalibus vel Vegetabilibus digeſtus atque tinctus.

II. Patet hinc ad Eſſentias illas modo ſubſtantias recipiendas eſſe, quarum vis medicata pendet a principiis Spiritu Vini diſſolubilibus.

III. Eſſentiarum vires compoſitæ ſunt ex Extrahendorum & Spiritus Vini viribus.

IV. Eſſentiæ ſimplices recepto Spiritu abſtractitio loco Spiritus Vini ſimplicis ut plurimum evadunt efficaciores.

V. Ad parandam Eſſentiam ſimplicem Extrahendo comminuto cucurbitæque immiſſo affundatur Spiritus Vini; inſtituatur per aliquot dies Digeſtio in Balneo arenæ; mane & veſpera agitetur Eſſentia.

VI. Herbis triplum, Radicibus & Corticibus quintuplum, Gummi reſinis, Reſinis, Succis Animalium inſpiſſatis ſextuplum Spiritus Vini recipitur.

VII. Spiritus Vini, quo minus eſt rectificatus, eo plures recipit partes gummoſas.

VIII. Ope Alcali, Extrahendis adjiciendi, Eſſentiam obtineri efficaciorem frequens opinio eſt, quæ maxime circa Eſſentias ex Animalibus verſari ſolet.

IX. Eſſentias, quæ Alcali continent extus ad Vulnera aut Ulcera adhiberi non poſſe, notum jam eſt ex Chirurgicis.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA *Stahlii.*

℞. Radicum Angelicæ,
Imperatoriæ,
Helenii ana Unciam unam,
Carlinæ Unciam ſemis,
Vincetoxici,
Pimpinellæ albæ ana Unciam unam ſemis,
Herbæ Scordii Uncias ſex:
Inciſa infundantur per noctem cum
Spiritus Vini rectificati Unciis viginti quatuor:
Filtrentur.

Illa ætate, qua morbos Exanthematicos Calidis tractare mos erat, hæc Eſſentia in frequenti uſu fuit, hodie meliora edocti Medici homines, quæcunque Sanguinem exagitant, in morbis Febrilibus prorſus exulare jubent. In affectibus Catarrhalibus Phlegmaticorum poterit forſan conducere. Datur ad quadraginta Guttas.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA TEMPERATA *Stahlii.*

℞. Eſſentiarum Vincetoxici,

Eſſentiarum Pimpinellæ albæ ana Unciam unam,
Scordii Uncias duas:
Miſceantur.

Minus quidem quam antecedens exagitat Sanguinem, ſed eadem cautio in qualicunque Febrium genere adhiberi debet.

ESSENTIA AMARA *Trilleri.*

℞. Radicum Gentianæ,
Caryophyllatæ ana Unciam unam,
Corticum Auranriorùm viridium,
Herbarum Abſynthii,
Fumariæ,
Cardui benedicti,
Trifolii fibrini,
Millefolii,
Florum Chamomillæ,
Summitatum Centaurii minoris ana Unciam ſemis:
Inciſa Digerantur
Spiritus Vini rectificati Unciis quatuor & viginti:
Filtrentur

Plures Eſſentias amaras ad imitationem ejus, quæ Halæ præparata, auctoritate Sectæ Stahlianæ in magna fama fuerat, Medici Germani præſcripſerunt. Earum omnium vices, quæ hic exhibetur, ſuſtinet. Teſte Auctore vires habet Stomachicas, Carminativas, Anthelminticas, & in vitiis Syſtematis Biliarii, Chloroſi, Fluore albo, in Febribus quoque intermittentibus conducit. Doſis eſt ad triginta Guttas.

ESSENTIA AMBRAE *Hoffmanni.*

℞. Ambræ Gryſeæ,
Salis Alcali ana Drachmas duas:
Probe trita immittantur Cucurbitæ, affundanturque
Spiritus Roſarum Tartariſati Unciæ octo:
Coquantur uſque dum Ambra ſit diſſoluta.

Inter Medicamenta Nervos roborantia ab Hoffmanno Obſ. Chym. 18. L. I. cum laude refertur. Datur ad triginta Guttas.

ESSENTIA AMBRÆ SICCA *Auguſtanorum* correcta.

℞. Ambræ Gryſeæ Drachmam unam,
Sacchari albiſſimi Unciam unam:
Miſceantur terendo in pulverem.

Medicamentum incongrue Eſſentia denominatum vires Ambræ habet. Doſis eſt ad ſeſquidrachmam.

ESSENTIA ANODYNA *Edinburgenſium.*

℞. Extracti Opii Aquoſi Unciam unam;
Diſſolvatur
Aquæ Cinnamomi Unciis novem:
Filtretur.

Vires Opii habet. Doſis ad Guttas quindecim.

ESSENTIA ANTIMONII *Huxhami.*

Videatur Aqua Benedicta.

ESSENTIA BALSAMICA *Gmelini* correcta.

℞. Spiritus Salis Ammoniaci Vinoſi Uncias duodecim,
Oleorum deſtillatorum Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ ana Scrupulum unum,
Caryophyllorum Scrupulum dimidium,
Quintæ Eſſentiæ Corticum Aurantiorum,
Citri ana Drachmas duas:
Miſceantur.

Hanc ſolutionem, quæ vel ex tempore parari poteſt, longe prolixiori apparatui, quem Diſpenſatorium Wurtembergenſe præſcribit, præferendam eſſe duxi. Conducit ad vitia Digeſtionis, quæ a debilitate vel obſtructione Viſcerum Chylopoieticorum oriuntur. Doſis eſt ad triginta Guttas.

ESSENTIA BEZOARDICA *Halenſium.*

℞. Radicum Angelicæ,
Imperatoriæ,

Radicum Pimpinellæ albæ,
Carlinæ,
Helenii,
Vincetoxici,
Dictamni albi,
Contrayervæ,
Valerianæ ana Unciam unam:
Inciſa infundantur per triduum cum
Spiritus Vini rectificati Unciis viginti:
Expreſſa filtrentur.

Quæ de Eſſentia Alexipharmaca dicta ſunt, huc quoque pertinent.

ESSENTIA CALAMI COMPOSITA *Stahlii.*

℞. Radicis Calami Aromatici,
Seminis Coriandri ana Uncias duas:
Inciſa & contuſa infundantur cum
Spiritus Vini rectificati Unciis viginti quatuor:
Filtrentur.

Stomachico & Carminativo Scopo ad Guttas triginta exhibetur.

ESSENTIA CAMPHORÆ *Quercetani.*

Videatur Spiritus Vini Camphoratus.

ESSENTIA CARMINATIVA *Trilleri.*

℞. Herbarum Millefolii,
Menthæ,
Meliſſæ,
Rorismarini,
Salviæ,
Florum Chamomillæ vulgaris,
Romanæ ana Unciam ſemis,
Flavedinis Corticum Aurantiorum Uncias tres,
Cardamomi excorticati ana Uncias duas,

Semi-

Seminum Fœniculi Unciam unam,
Carvi,
Cumini ana Unciam ſemis:
Inciſa & contuſa infundantur cum
Spiritus Vini Unciis quadraginta octo:
Filtrentur.

Dicit Auctor, hanc Eſſentiam ſuaviſſimam ac jucundiſſimam eximiæ virtutis eſſe in omnibus morbis Ventriculi & Inteſtinorum a cauſa præſertim frigida ac Flatibus exitum fruſtra molientibus obortis. Doſis antecedentium.

ESSENTIA CARMINATIVA *Wedelii.*

℞. Radicum Zedoariæ Uncias quatuor,
Carlinæ,
Calami Aromatici,
Galangæ ana Uncias duas,
Florum Chamomillæ Romanæ,
Seminum Aniſi,
Carvi ana Unciam unam,
Caryophyllorum Aromaticorum,
Baccarum Lauri ana Drachmas ſex,
Macis Unciam ſemis,
Corticum Aurantiorum Drachmas duas:
Inciſa & contuſa infundantur cum
Spiritus Corticum Citri Unciis ſex & quinquaginta,
Nitri Unciis tribus:
Filtrentur.

Multum olim inter Germanos celebratum Medicamentum, eo quod Humores valide commovet, noſtra ætate obſoleſcere cœpit. Doſis ad Guttas viginti.

ESSENTIA CASTOREI CARMINATIVA *Helvetica.*

℞. Caſtorei optimi Uncias duas,
Croci Auſtriaci Unciam unam:
Minutim inciſa infundantur per viginti quatuor horas cum

Liquoris Anodyni Mineralis Unciis duodecim:
Expreſſa filtrentur.

Exhibetur in Vomitu, Colica & Affectibus Hyſtericis ad Guttas triginta.

ESSENTIA CATHOLICA PURGANS *Rothii potius Hamburgenſ.*

Videatur Elixir Anthelminticum Suecorum.

ESSENTIA CHINÆ sive TINCTURA ALEXIPHARMACA CORTICIS PERUVIANI *Huxhami.*

℞. Corticis Peruviani Uncias duas,
Flavedinis Corticum Aurantiorum ſeſquiunciam,
Radicis Serpentariæ Virginianæ Drachmas tres,
Croci optimi Scrupulos quatuor,
Coccionellæ Scrupulos duos,
Spiritus Vini Gallici Uncias viginti:
Inciſa infundantur per quatuor dies & dein filtrentur.

Illuſtris Auctor in Obſervat. de Aere & Morbis Epidem. Menſ. Jul. 1740 & in Libro de Febribus Cap. 8. hoc Medicamentum roborare Fibras atque juſtam fluidorum conſtitutionem reſtituere, neque tamen morboſi Humoris exitum per Cutim inhibere annotat, teſtaturque ſe eo non in Febribus ſolum intermittentibus, lentis & nervoſis, ſed in putridis quoque peſtilentialibus & petechialibus in eorum præcipue decremento ſalubriter uſum eſſe. Doſis eſt ad Guttas ſexaginta ter aut quater de die.

ESSENTIA DULCIS *Halenſium.*

Videatur Tinctura Antimonii Acris.

ESSENTIA FULIGINIS *Clauderi.*

℞. Cinerum Clavellatorum depuratorum Uncias ſex,
Salis Ammoniaci Unciam unam:
Committantur vitro, affundantur
Aquæ fontanæ Unciæ triginta ſex:
Statim probe claudatur vitrum, & aliquoties agitetur, uſque dum Salia ſint diſſoluta, tunc adjiciantur:

Fuliginis e camino ſplendentis & pulveriſatæ Unciæ duæ:
Vitro denuo probe clauſo digerantur per aliquot dies & filtrentur.

Quamvis in omnibus, quas huic Eſſentiæ adſcribit, virtutibus adeo non ſubſcribam Claudero de Balſamat. Cap. 7. ut potius in morbis calidis eam eſſe nocituram CARTHEUSERO *Pharmacop. p. 341 lubens concedam; attamen cum ejus indoles ſit evidenter ſaponacea, vires utique Reſolventes & Aperientes polliceri, neque ſine ſucceſſu in Quartana, Ictero &c. adhiberi poſſe liquido videtur.*

ESSENTIA HYSTERICA *Durietz.*

℞. Aſæ fœtidæ Drachmas duas,
Opii,
Salis Volatilis Cornu Cervi ana Drachmam ſemis,
Eſſentiæ Caſtorei Uncias tres,
Digerantur per aliquot dies & filtrentur.

In Paroxyſmis Hyſtericis ad Guttas viginti datur.

ESSENTIA LIGNORUM *Hamburgenſium.*

℞. Radicum Sarſaparillæ,
Helenii,
Chinæ ana Unciam unam,
Rhabarbari Unciam dimidiam,
Lignorum Quajaci,
Saſſafras ana Unciam unam,
Santali rubri Drachmas ſex,
Summitatum Fumariæ Unciam unam:
Inciſa infundantur per octiduum cum
Spiritus Vini Unciis viginti quatuor:
Filtratis addantur
Spiritus Salis Unciæ tres.

Medicamenti, quo tanquam Polychreſto ad quascunque Humorum corruptiones olim frequentiſſime utebantur, hanc apponere

præſcriptionem, quam vulgo receptam Michaelianam conſultius duxi. Doſis eſt ad Guttas triginta.

ESSENTIA STOMACHICA POLYCHRESTA *GUNDELSHEIMERI.*

℞. Piperis longi,
Nigri,
Albi ana Drachmas duas,
Hiſpanici Unciam unam:
Contuſis affundantur
Liquoris Terræ foliatæ Tartari,
Spiritus Salis Ammoniaci Vinoſi ana Unciæ ſex:
Digerantur & filtrentur.

Valide omnino Reſolvit, in Glutinoſo & in Cachexia conducit, ſed in Temperie frigida modo locum habet. Datur ad Guttas triginta.

ESSENTIA STOMACHICA AD METHODUM *HOFFMANNI Argentoratenſium.*

℞. Radicum Calami Aromatici,
Angelicæ,
Galangæ minoris,
Zedoariæ ana Drahmas tres,
Herbarum Cardui benedicti,
Menthæ,
Millefolii,
Trifolii fibrini,
Summitatum Centaurii minoris,
Florum Chamomillæ Romanæ ana Drachmas duas,
Corticum Caſcarillæ Unciam ſemis,
Aurantiorum,
Citri ana Drachmas duas,
Coſti veri Scrupulos quatuor,
Macis,
Nucis Moſchatæ,

Seminum Aniſi,
Fœniculi ana Drachmam unam,
Salis Tartari Drachmas ſex:
Inciſa, contuſa infundantur cum
Vini Malvatici Unciis quatuor & viginti:
Filtrentur.

Hæc Eſſentia minus, quam quæ Spiritum Vini recipiunt, calida ad roborandum Ventriculum frequentius uſurpatur. Datur ejus Cochlear parvum pro doſi.

ESSENTIA SUCCINI *Hoffmanni.*

℞. Succini ſubtiliſſime triti,
Salis Tartari ana Uncias duodecim:
Infundantur per aliquot dies cum
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciis viginti quatuor:
Abſtrahatur deinde Spiritus & affundatur
Succini ſubtiliſſime triti Unciis octo cum
Olei Tartari per Deliquium quantitate ſufficiente; in paſtam tritis & exſiccatis
Per octiduum calore Balnei digeſta filtrentur.
Nervina & Anticatarrhalis eſſe cenſetur.
Doſis eſt ad Guttas viginti.

ESSENTIA TRAUMATICA *Wedelii.*

℞. Radicis Tormentillæ Unciam ſemis,
Florum Roſarum rubrarum
Hyperici ana Drachmas duas,
Ligni Santali rubri,
Mumiæ,
Sanguinis Draconis ana Unciam unam,
Terræ Japonicæ,
Myrrhæ rubræ ana Unciam ſemis,
Nucistæ Drachmam unam:
Inciſa infundantur cum

Spiritus Vini Tartariſati Unciis viginti:
Filtrentur.

Laudatur ad ſiſtendas Hæmorrhagias; quo merito? Medicis intelligentibus facile patebit. Funeſtos inde effectus vidit & affert TRILLERUS.

EXTRACTA.

Canones.

I. In partibus ne Reſinoſis an Gummoſis hæreat virtus, quam de ſubſtantia Extrahenda deſiderant, Medicorum eſt noſſe, & pro hac ratione Menſtruum determinare.

II. Aqua quidem Reſinas diſſolvere nequit, ſed partes Reſinoſæ Gummoſis ut plurimum adeo arcte immixtæ eſſe ſolent, atque implicitæ, ut cum his ipſam aquam ſubeant.

III. Extractum Gummoſum a Reſina liberum qui habere cupiunt aquam quæ Extractionem peregit, per aliquod tempus coquant, frigidam ipſi adjiciant, & aliquantiſper in quiete relinquunt, ita maxima ſaltem Reſinæ portio ad fundum ſecedit, unde dein decantatur liquor partibus Gummoſis fœtus.

IV. Liquor, qui Extractionem peregit, citra ebullitionem ad conſiſtentiam Syrupi tenuioris eſt perducendus, dein ſuper diſcos effundendus, & juſto calore evaporandus.

V. Vulgaris Extracta mollia parandi ratio ea eſt, qua ipſis ſemper Empyreuma affricatur.

VI. Vinum parandis Extractis, quibus quippe varia ſuorum principiorum nunquam non immiſcet, minus idoneum eſt.

VII. In Vaſis metallicis Extracta, quippe acido nunquam non impraegnata peſſime aſſervantur.

VIII. Plurima Extracta cum humiditatem ex aëre attrahant, in vaſis probe clauſis condenda ſunt.

IX. Omnes Succi inſpiſſati ſubſtantiæ unde parantur, vires proprias habent, ſed & hic probe cavendum ne adurantur.

X. Succi inſpiſſati CICUTÆ, ACONITI, CHELIDONII MAJORIS, COCHLEARIÆ, HYOSCYAMI, NICOTIANÆ, STRAMONII, BELLADONNÆ ET TARAXACI ſub nomine Extractorum proſtant.

EXTRACTUM CATHOLICUM *Paracelsi ſive Rudii.*

℞. Radicum Hellebori nigri,
Agarici optimi,
Scammonei ana Unciam unam,
Pulpæ Colocynthidis Unciam unam ſemis,
Aloës optimæ Uncias duas,
Spiritus Vini Uncias triginta:

Infundantur per aliquot dies, deinde exprimantur & colentur, Abſtrahatur poſtea Spiritus Vini.

Refert Wepfer Obſervat. Medic. Pract. Obſ. 46. Eustachium Rudium Medicum Italum hoc Extractum enixe commendaſſe & pro ſuo venditaſſe. Omnia Medicamenta Veterum Catholica cum Viſcera Abdominalia admodum conturbent, rariſſime hodie uſurpantur.

Doſis eſt ad Grana decem.

EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI *Bacheri.*

Radices Hellebori nigri tenuiſſime comminutæ vaſi terreo vitreato committuntur, irroratæ Spiritu Vini alcaliſato per duodecim horas relinquuntur, quo temporis intervallo aliquoties agitatæ iterum irrorantur, Vino deinde Rhenano bonæ notæ ad eminentiam ſex digitorum illis affuſo digeruntur per biduum & cum Radices Vinum imbiberint, novum adjicitur, ita ut ſemper ea, quæ dicta eſt, Menſtrui ratio obtineat; crebro quoque ſpatulæ ligneæ ope Radices cum Vino commiſcentur; tum coquuntur per dimidiam horam valideque exprimuntur; reſiduis Radicibus tantundem Vini affunditur, & reliqua omnia, ut antea facta ſunt, eadem methodo iterantur. Jam ambobus liquoribus expreſſis & colatis ferventis Aquæ duplum adjicitur, evaporatioque inſtituitur uſque ad conſiſtentiam Syrupi; addita poſtmodum Spiritus Vini nona parte evaporatio continuatur, uſque dum Terebinthinæ conſiſtentia ſurrexerit.

Hoc Extractum Pilularum Tonicarum infra deſcribendarum baſin conſtituit, utrum vero illud, quod vulgari ratione paratur, reapſe ſuperet nec ne, experientia judice ſed caute & prudenter in-

ſtituta decernendum eſt. Præparatio ipſa varia videtur habere ſuperflua, ſed circa Medicamenti novi & tantopere laudati doſin quidquam mutare nolui.

EXTRACTUM LIQUIRITIÆ GUMMOSUM *Argentorat.* GELATINA LIQUIRITIÆ, SACCHARUM GLYCYRRHIZATUM *Helvetorum*, REGLISSE ROYALE, LIQUIRITIA LUCIDA *Danorum*, GLUTEN PECTORALE.

℞. Radicis Liquiritiæ raſæ & contuſæ Unciam unam:
Infundantur per viginti quatuor horas in aquæ calidæ Unciis centum & viginti:
In colatura diſſolvantur
Gummi Arabici albiſſimi Unciæ ſexaginta,
Sacchari Canarienſis Unciæ quadraginta:
Diſſoluta colentur & brevi coctione in conſiſtentiam Gelatinæ reducantur; tunc effundatur liquor in exiguæ altitudinis modulos metallicos pauxillo Olei Amygdalarum illitos, lenique fornacis calore exſiccetur.

Suave æque ac efficax remedium ad ſiſtendam Tuſſim ab Irritatione ortam. Ejus fruſtum, Drachmam circiter æquans, ore liquatur.

EXTRACTUM MAROCOSTINUM.

℞. Aloës Succotrinæ Uncias duodecim;
Diſſolvantur
Succorum Abſynthii,
Apii,
Fœniculi ana Unciis tribus,
Cichorei,
Fumariæ,
Pimpinellæ ana Unciis octo,
Roſarum,
Citri ana Unciis viginti:
Solutio clara decantetur & ad conſiſtentiam Mellis evaporetur, tunc addantur:

Extracto-

Extractorum Rhabarbari Drachmæ ſex,
Croci Drachma ſemis,
Gummi Ammoniaci pulveriſati Uncia una ſemis,
Aceti Scillitici Unciæ quatuor:
Evaporent ad conſiſtentiam Extracti, cui exacte immiſceantur
Pulverum Mari veri Uncia ſemis,
Coſti veri Drachmæ ſex.

Vulgo tanquam baſis Pilularum præſcribitur. Ejus Doſis ad Grana viginti & ultra determinatur.

EXTRACTUM OPII.

Opium diſſolvitur aqua, colatur & leni calore ad conſiſtentiam Extracti evaporatur.

EXTRACTUM OPII CYDONIATUM *Langelotti.*

℞. Opii optimi Uncias duodecim:
Solvantur
Succi Cydoniorum,
Aquæ fontanæ ana Unciis ſexaginta:
Stent in loco temperato per aliquot dies, tunc colentur:
Colaturæ addantur
Sacchari albi Unciæ quatuor:
Omnis maſſa relinquatur Fermentationi; quæ per plures menſes durare ſolet, quo temporis intervallo baculo ligneo ſæpius eſt agitanda, donec omnis motus inteſtinus ceſſaverit; trajiciatur poſtea liquor per pannum & evaporetur ad conſiſtentiam Extracti.

Opium Fermentatione vi nocendi privari, medendi contra augeri putarunt varii Auctores, atque hoc Extractum reliquis omnibus Opium adhibendi rationibus antepoſuerunt; ſed in ipſo hoc Extracto vim Opii eſſe imminutam, neque maximo labore quicquam eo obtineri, præterquam quod grandior ejus doſis ſit exhibenda, ſiquidem medicatas inde cupiamus experiri vires, evicit Illuſtris Tralles Uſus Opii Sect. I. Cap. VII. §. 14.

EXTRACTUM PANCHYMAGOGUM *Auguſtanorum.*

℞. Scammonei Unciam unam,

Seminis Ebuli Drachmas ſex,
Colocynthidis Drachmas decem,
Agarici Drachmas ſeptem,
Turpethi albi Drachmas quinque,
Spiritus Vini Uncias triginta:

Digerantur per aliquot dies; addatur deinceps Infuſum ex
Rhabarbari Drachmis ſex,
Hermodactylorum Drachmis quinque,
Hellebori nigri Uncia ſemis,
Foliorum Sennæ Unciis duabus,
Aloës Succotrinæ Unciis tribus, cum
Aquæ fontanæ Unciis viginti quatuor maceratis & expreſſis:

Abſtrahatur Spiritus Vini, reſiduum ad conſiſtentiam Extracti evaporetur.

Inconcinnam compoſitionem Medicamenti valde irritantis ideo appoſui, quia haud pauci Medicorum illud adhuc in Pilulas recipere ſolent. Doſis ad Grana quindecim.

EXTRACTUM *Rudi.*

Videatur Extractum Catholicum.

EXTRACTUM SATURNI *Goulard.*

℞. Minii Uncias quinque,
Aceti Uncias nonaginta:

Coquantur ſub perpetua agitatione per horam in vaſe terreo: Liquor ad Mellis conſiſtentiam redactus, decantatus aſſervetur.

Hoc Extractum omnium egregii Chirurgi remediorum, ſuis locis deſcriptorum baſin conſtituit.

Lithargyrio vix non ſemper Ære inquinato, Minium ſubſtituo, nec majorem Aceti rationem recipio, quam quæ ab Aceto poteſt diſſolvi.

FARINÆ EMOLLIENTES *Plenck.*

℞. Farinarum Seminum Lini,
Fœnugræci ana partes æquales.

Epithematis vel Cataplaſmatis forma applicantur.

FARINÆ RESOLVENTES *Plenck.*

℞. Farinarum Fabarum,

Farinarum Hordei,
Tritici,
Secalis ana partes æquales.
Applicantur ut antecedentes.

FEBRIFUGUM *Cranii.*

Videatur Regulus Antimonii Medicinalis.

FECULA *Libavii.*

Radix recens contunditur cum modica Aquæ portione, prelo inde exprimitur Succus, id quod ex iſto ad fundum reſidet colligitur & probe Aqua ablutum edulcoratur.

Hac ratione cum ſive pars amylacea Radicis obtineatur, quæ undecunque colligatur ſemper eadem eſt; ſive ſi iſta carent Radices nonniſi partes terreſtres Feculam efformant, hinc Feculæ eviluerunt.

FLORES ANTIMONII *Basil. Valentini.*

℞. Reguli Antimonii Uncias octo,
Salis Ammoniaci Uncias ſedecim:
Trita ſublimentur ex Retorta excipulo inſtructa; colligantur Flores.

Validiſſimum hoc Draſticum hodie uſu ſuo fere plane deſtitutum videmus.

FLORES BENZOES *Schrœder.*

Benzoës optime pulveriſata committatur Cucurbitæ, cujus collum ampliori orificio gaudet; immittatur Balneo arenæ; lenis ſubminiſtretur calor; orificio cucurbitæ imponatur cucullus chartaceus, cui Flores accreſcant; refertus Floribus removeatur, Flores inde decutiantur; imponatur denuo cucullus & hæc repetantur, uſque dum Flores appareant tincti, tunc enim ab ulteriore labore eſt deſiſtendum.

Hi Flores ob virtutem Incidentem ad affectus Pulmonum commendari ſolent. Dantur ad Grana octo.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES *Isaaci Hollandi.*

SAL AMMONIACUM MARTIALE *Suecorum.*

℞. Salis Ammoniaci Uncias ſedecim:
Limaturæ Martis Unciam unam ſemis:

Probe mixta committantur Retortæ, & hæc Balneo arenæ; ſubminiſtretur ignis, & Flores eo magis colorati ſurgent, quo ſunt inferiores; refrigerato vaſe omnes deſumantur, cum reſiduo terantur, & denuo ſublimentur. Liquor penetrantiſſimus, qui ſub hoc labore obtinetur, ſeorſim aſſervandus eſt. Reſiduum per deliquium liquatum OLEI ſeu LIXIVII MARTIS *Londinenſium* nomine vulgo venit.

Hi Flores cum ſint ipſe Sal Ammoniacus aliqua Ferri portione imbutus, vires Aperientes omnino poſſident, & in Obſtructionibus Viſcerum Abdominalium morbisque inde oriundis cum ſucceſſu exhibentur. Hinc maxime iis, qui Febri laborant, commendantur; nec audiendi ſunt, qui præeunte Mauritio Hoffmanno Prol. 43. §. 9. aliquid Narcotici iis ineſſe ſuſpicantur. Doſis eſt ad Drachmam ſemis. Spiritus urinoſus, qui ſub hoc labore obtinetur, reſpectu virtutis medicatæ cum Spiritu Salis Ammoniaci Calce viva parati convenit. Oleo Martis vix utuntur Medentes, cum medicamentum ſit rodens.

FLORES SULPHURIS *Geber.*

Obtinentur pulverem Sulphuris in cucurbita Alembico tecta, Balneoque arenæ commiſſa ſub calore urgendo, ita moderato ne Sulphur fluat.

Hic autem labor cum ſit admodum tædioſus, Floresque id genus in propriis hominum huic negotio deſtinatorum officinis magna copia parentur, Pharmacopæi inde ſibi eos comparare ut plurimum conſultius ducunt.

Vires in Materia Medica recenſentur.

FLORES VIRIDIS ÆRIS.

Viride Æris digeratur Aceto, Acetum probe tinctum filtre-

tur, leni igne evaporetur ad cuticulam, & cryſtalliſationi relinquatur.

Pictoribus potius quam Medicis hæ Cryſtalli, improprie ſane Flores dictæ, inſerviunt.

FLORES ZINCI *Glauberi.*

Zincum committatur Crucibulo, fundatur, fuſum ſtylo agitetur, flamma viridi ardebit, & ſub forma Florum tam parietibus Crucibuli, quam operculo ſive metallico ſive lapideo, Crucibulo impoſito, accreſcet. Hi Flores collecti aſſervantur.

Glauber in Philoſoph. Ofen. P. I. C. 38. hos Flores deſcribit eorumque extus adhibitorum vires Exſiccantes in Ophthalmia quoque efficaces laudat, Ophtalmicas Barbette Prax. Cap. 4. & Decker in Notis, iterata ſæpius experientia nixi commendant. Quin etiam intus aſſumtos ad Grana duodecim Sudorem, interdum quoque Vomitum & Alvum movere Glauber aliique poſt eum aſſeverant, neſcio, qua experientia rationeve ducti. Illuſtris Gaub in Adverſ. Hart in Diſſert. de Zinco; Duncan in Medical. Comment. by a Society in Edinburg. paſſim exempla proferunt Epilepſiæ aliquot Granis pro Doſi datis feliciſſime fugatæ.

FOMENTATIO FRIGIDA *Schmucker.*

℞. Aquæ fontanæ Uncias centum & viginti,
Aceti optimi Uncias duodecim,
Nitri depurati Unciam ſemis,
Salis Ammoniaci Uncias duas:
Miſceantur.

Clariſſimus Auctor hoc Fomento frigide applicato cum ſumma efficacia uſus eſt ad Vulnera Capitis cum Cerebri commotione Humorumque effuſione juncta. Cl. Plenck illud ad Hernias quoque incarceratas laudat.

FOMENTUM ANODYNUM *Richard.*

℞. Foliorum Althææ Manipulos quatuor,
Papaveris hortenſis Manipulum unum,
Hyoſcyami Pugillos duos:

Inciſa coquantur cum
Aquæ fontanæ Unciis quadraginta octo, ad Uncias quadraginta reſiduas:
Liquor expreſſus ſervetur.

FOMENTUM AD ERYSIPELAS *Richard.*

℞. Florum Sambuci Manipulum unum:
Infundantur cum
Aquæ fontanæ Unciis ſedecim per noctem:
Colatura diſſolvantur
Spiritus Vini Camphorati Uncia una,
Sacchari Saturni Drachma una.
Ante applicationem probe concutiendum eſt.

FOTUS AD GANGRÆNAM *Richard.*

℞. Corticis Chinæ groſſe contuſi Unciam unam:
Coquatur ex
Aquæ fontanæ Unciis quadraginta octo,
Ad Uncias triginta duas reſiduas:
Addantur
Florum Chamomillæ Romanæ,
Tanaceti ana Uncia ſemis:
Poſt aliquot ebullitiones coletur liquor;
Addantur
Spiritus Vini Camphorati Unciæ duæ,
Salis Uncia una:
Miſceantur.

GARGARISMA ACETOSUM *Plenckii.*

℞. Aquæ fontanæ Uncias duodecim,
Aceti Roſarum Uncias duas,
Mellis Roſacei Unciam unam:
Miſceantur.
In Anginæ Inflammatoriæ adhibetur.

GARGARISMA ADSTRINGENS *Richard.*

℞. Corticum Granatorum Unciam unam,

Florum Balauſtiorum Unciam ſemis:
Inciſa coquantur per dimidiam horam in
Aquæ fontanæ quantitate ſufficienti ad reſiduum Unciarum ſedecim:
Colatura diſſolvantur
Aluminis Drachma ſemis,
Syrupi de Roſis ſiccis Uncia una.
Cruentationibus Oris opponitur.

GARGARISMA ANTISCORBUTICUM *Richard.*

℞. Decocti Antiſcorbutici Uncias ſedecim,
Spiritus Cochleariæ Unciam unam,
Salis Drachmas duas,
Oxymellis Simplicis Uncias duas:
Miſceantur.

GARGARISMA DETERGENS *Richard.*

℞. Hordei integri Unciam unam:
Coquatur in
Aquæ fontanæ Unciis duabus & triginta ad reſiduum Unciarum ſedecim:
Addantur
Foliorum Agrimoniæ,
Rubi ana Pugilli duo:
Poſt aliquot ebullitiones colentur & in colatura diſſolvantur
Mellis Roſati Uncia una,
Nitri depurati Drachma una.
Adhibetur Ulceribus Faucium apertis.

GARGARISMA EMOLLIENS *Richard.*

℞. Radicis Althææ Unciam unam,
Caricarum Unciam ſemis:
Inciſa coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis viginti quatuor ad reſiduum Unciarum ſedecim:
Colatura diſſolvatur

Oxymellis ſimplicis Uncia una.
Ad Oris & Faucium Abſceſſus adhibetur.

GARGARISMA MERCURIALE *Plenck.*

℞. Mercurii vivi Drachmam dimidiam,
Gummi Arabici Drachmas tres,
Syrupi Diacodii Unciam ſemis,
Mercurii dulcis grana ſex:
Probe terendo ſubactis addantur
Herbæ Flammulæ Iovis Uncia ſemis, cum Aquæ Unciis viginti ſex paululum decoctæ,
Mellis Roſacei Uncia una,
Eſſentiæ Myrrhæ Drachma una.

Ulcera Faucium Venerea ſanat, in Ozena Venerea ſaluberrime Naribus injicitur.

GARGARISMA AD PITUITAM *Kleinii.*

℞. Aquarum Radicis Angelicæ,
Hyſſopi ana Uncias ſex,
Spirituum Cochleariæ Unciam ſemis,
Salis Ammoniaci Scrupulos quatuor,
Pulveris Seminis Sinapeos Drachmam unam,
Mellis Roſacei Uncias quatuor:
Miſceantur.

GARGARISMA CUM SPIRITU SALIS AMMONIACI *Plenckii.*

℞. Radicum Althææ,
Caricarum ana Drachmas ſex:
Inciſa coquantur cum
Lactis Vaccini Unciis ſedecim ad Uncias duodecim reſiduas:
Colaturæ addatur
Spiritus Salis Ammoniaci Uncia ſemis.

Anginas Inflammatorias, quas Gargariſma Acetoſum non Reſolvit, huic cedere Illuſtris Pringle *obſervavit.*

GELA-

GELATINÆ
Canones.

I. Quando partes animales aqua coquuntur, Decoctum proprie Juris nomine venit.

II. Ab hoc vero jure ſi jam maxima pars aquæ ad decoctionem adhibitæ erit evaporata, tunc partes ex animali extractæ, ceſſante calore, in conſiſtentiam ſpiſſam & tremulam digitis non adhærentem coeunt, & GELATINÆ nomen acquirunt.

III. Hæc rurſus Gelatina ſi ſub continua agitatione penitus erit exſiccata GLUTEN ſive GELATINA SICCA dicitur.

IV. Gelatinæ animales cum ætatem non ferant, uſus demum tempore parari debent.

V. Noſtra ætate plura Rob genera, quæ conſiſtentiam tremulam & pellucentem induunt, GELATINÆ, GELATA, GELEES appellantur.

GELATINA ANALEPTICA *Helvetorum.*

℞. Raſuræ Cornu Cervi Uncias quatuor,
Eboris Uncias duas,
Femorum Gallinæ annoſæ contuſorum N°. tria,
Carnis Bovinæ, ex Femore deſumtæ, Uncias viginti quatuor,
Aquæ fontanæ Uncias centum & viginti:
Coquantur lento igne ad reſiduum Unciarum triginta:
Tunc adjiciantur
Cinnamomi acuti Drachma una,
Caryophyllorum Aromaticorum Scrupulus unus,
Pomi Citri dimidium:
Coquantur adhuc per quadrantem horæ, tentetur liquor, num refrigeratus in Gelatinam concreſcat:
Tunc addantur
Sacchari albi Unciæ quatuor:
Clarificentur Albumine Ovi.

Hæc Gelatina ad Cochlear unum datur Tabidis & a morbis revaleſcentibus.

GELATINA CORNU CERVI AMYGDALATA *Klein.*

℞. Raſuræ Cornu Cervi Uncias octo,
Aquæ fontanæ Uncias centum:
Coquantur lento igne uſque dum ex parva decocti portione refrigerata conſiſtentiam Gelatinæ ſurrexiſſe appareat, tum coletur liquor, & cum eodem fervido Emulgeantur ſecundum artem
Amygdalarum dulcium excorticatarum Unciæ quatuor:
Emulſioni colatæ addantur
Pulveris Sacchari albiſſimi Unciæ ſex:
Refrigerata trahatur in uſum.

Demulcendi, Refrigerandi, Nutriendi gratia ejus Cochlear unum in Unciis quatuor Juris Carnium diluitur. Eadem Flavedinis Citri recentis & Aquæ Florum Naphæ modica portione addita, gratum edulii genus paratur, quod Blanc Manger *appellare ſolent.*

GELATINA CORNU CERVI CITRATA *Klein.*

℞. Raſuræ Cornu Cervi Uncias ſex,
Aquæ fontanæ Uncias ſeptuaginta duas:
Decoquantur ad reſiduum Unciarum quadraginta octo:
Tunc addantur
Vini albi generoſi Unciæ quatuor,
Coquantur ad conſiſtentiam Gelatinæ, cui ope Albuminis Ovi clarificatæ adjiciantur
Succi Citri Uncia una:
Syrupi Citri ex toto Unciæ duæ.

Tabidis nec non Acrimonia laborantibus cum ſucceſſu præſcribitur.

GELATINÆ FRUCTUUM.

℞. Succi ex fructu aqua ſuffuſo expreſſi & per Manicam colati,
Sacchari albiſſimi ad conſiſtentiam Tabulandi cocti ana Uncias ſedecim:

Coquantur leni igne ad conſiſtentiam Gelatinæ, fervens adhuc trajiciatur per pannum laneum; reponatur in ollis leviter tectis, elapſis demum aliquot diebus curatius obturandis.

GELATUM.

Videatur Rob.

GILLA *Theophrasti.*

Eſt Vitriolum album ſolutione & filtratione depuratum.

A Medicamento Æneis & Plumbeis principiis inſtructo, & cujus infida prorſus operatio eſt prudenti ſane conſilio Medici abſtinent.

GLOBULI CARMINATIVI *Utechti.*

℞. Saponis Veneti Uncias quatuor,
Fellis Tauri Unciam unam ſemis,
Nitri crudi Unciam ſemis,
Sacchari Thomæi Uncias duas:
Miſceantur & formentur in Globulos diverſæ magnitudinis.

GLOBUS ad ERYSIPELAS *Plenckii.*

℞. Terræ ſigillatæ albæ Uncias duas,
Ceruſſæ,
Cretæ ana Unciam unam,
Pulveriſata
Spiritus Vini Camphorati quantum ſatis
Formentur in Globum.

Chartæ cærulea hoc Globo illita, imponitur Eryſipelati.

GLOBULI MARTIALES.
TARTARUS MARTIALIS *Suecorum.*

℞. Limaturæ Martis ſubtiliſſime tritæ Uncias ſex,
Tartari albi pulveriſati Uncias duodecim:
Coquantur cum
Aquæ Unciis octoginta ad ſiccitatem:
Hic Pulvis cum

Spiritus Vini idonea quantitate formetur in globos, qui ovi Columbini fere figuram & magnitudinem habeant.

Suſpenduntur ex Spiritu Vini vel Aqua uſque dum horum Menſtruorum color ſit probe ſaturatus, tunc ſpleniorum ope Vulneribus applicantur, vel intus quoque, ubi indicatio uſum Martialium ſuadet, exhibentur.

GLOBULI MOSCHATI.

℞. Sacchari albiſſimi Uncias duodecim,
Amyli albi Unciam ſemis,
Radicum Ireos Florentinæ Drachmas duas:
Pulveriſata redigantur cum
Mucilaginis Tragacanthæ quantitate ſufficiente
In globos variæ magnitudinis.

Tanquam Suppoſitoria exhibentur. Ceterum Medicamento, Ano deſtinato odoramenta adjicere, abſurdum mihi videbatur, ideoque Moſchum & Zibethum omiſi.

GLUTEN PECTORALE.

Videatur Extractum Liquiritiæ Gummoſum.

GUTTÆ ANGLICÆ CEPHALICÆ.

℞. Spiritus Serici Uncias quatuor,
Olei deſtillati Lavendulæ Drachmam unam,
Spiritus Vini Unciam unam:
Per aliquot dies digeſta Deſtillentur uſque dum guttæ Olei appareant.

Quod Carolus Secundus Rex Angliæ a quodam Chemico emit Medicamentum, Lister Tournefortio communicavit. Oleum Spiritui Serici adjiciendum proprie Cinnamomi non Lavendulæ eſt: Laudatur contra Affectus ſoporoſos & Deliquia animi, tam intus ad Guttas quadraginta dandum, quam Naribus admovendum.

GUTTÆ *Generalis de la Motte.*

℞. Auri fulminantis Drachmam unam;

Diſſolvatur
 Spiritus Nitri Unciis duabus:
Addantur
 Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciæ duæ & triginta:
Digerantur per menſem
 Cordiales & Cephalicæ huic Medicamento adſcribuntur Vires.

GUTTÆ *Generalis de la Motte* ALBÆ.

Sunt Spiritus Nitri Dulcis.

HEPAR ANTIMONII *Basil. Valentini.*
CROCUS ANTIMONII *Londinenſium.*

℞. Antimonii crudi Uncias decem,
 Salis Tartari Uncias triginta:
Mixta fundantur in Crucibulo.
 Huic Medicamento, cum debeat eſſe Antimonium per Alcali recluſum, Antimonium calcinatum & per ſe fuſum, ut Beaume Chymie. II. pag. 323. placet, peſſime ſubſtitui, patet. Medici eo tanquam inſigni draſtico, niſi ad parandum Crocum Metallorum, non utuntur. Mulomedicis in uſu eſt.

HYDROMEL pro POTU *Richard.*

℞. Ptiſanæ communis Uncias quadraginta octo,
 Mellis optimi Uncias tres:
Miſceantur.
 In affectibus Pectoris ad potum ordinarium præſcribitur.

INFUSUM AMARUM *Richard.*

℞. Herbarum Cardui benedicti,
 Chamædryos,
 Chamæpityos ana Unciam ſemis.
 Florum Centaurii minoris,
 Hyperici,
 Lupuli ana Drachmas duas:

Inciſa infundantur per horam in
Aquæ bullientis Unciis quinquaquinta ſex:
Colatura trahatur in uſum.

Roborandis Primis viis Unciæ ſex adhibentur pro Doſi.

Si adjeceris Spiritus Vitrioli Drachmas quinque, habebis Acidulatum.

INFUSUM ANGELICUM.

Videatur Aqua laxativa Angelica.

INFUSUM LAXATIVUM.

Videatur Aqua laxativa *Viennenſium*.

INFUSUM *Malti Macbride*.

℞. Malti craſſo modo comminuti Uncias duodecim:
Infundantur per ſex horas cum
Aquæ ebullientis Unciis ſex & triginta:
Colentur.

Scorbuticis & morbis Putridis laborantibus datur ad Uncias quadraginta octo de die.

INFUSUM vel AQUA PICIS *Berckley*.

℞. Picis liquidæ Uncias duodecim,
Aquæ communis Uncias quadraginta octo:
Crebro agitentur bacillo ligneo; Aqua decantata trahatur in uſum.

Conferantur ad Picem dicta P. I.

INJECTIO AURICULARIS DETERGENS *Plenckii*.

℞. Herbæ Rutæ Manipulum unum,
Aquæ fontanæ Uncias ſex:
Infundantur per noctem, colaturæ addantur
Eſſentiæ Myrrhæ Drachma ſemis,
Mellis Roſacei Drachmæ ſex:
Miſceantur.

In Ulceribus Meatus Auditorii Saniem fundentibus hujus Liquoris tepidi bis quotidie, quantum cavum Auriculare capere poteſt, injicitur & per aliquot minuta cuſtoditur.

INJECTIO BALSAMICA *Plenckii.*

℞. Balſami Copaivæ Unciam dimidiam:
Solvatur Vitello ovorum.
Solutioni addantur:
Aquæ Calcis Unciæ ſex,
Mellis Roſacei Unciæ tres:
Miſceantur probe.
Ad claudenda Ulcera ſinuoſa injicitur.

INJECTIO DETERGENS *Plenckii.*

℞. Aquæ Calcis Uncias duodecim,
Unguenti Ægyptiaci Unciam unam:
Miſceantur.
Ulceribus fiſtuloſis detergendis injicitur.

INJECTIO MERCURIALIS *Plenckii.*

℞. Mercurii vivi Drachmam unam,
Gummi Arabici Drachmas tres,
Syrupi Diacodii Unciam ſemis:
Probe tritis addantur
Aquæ fontanæ Unciæ duodecim,
Rutæ Unciæ duæ:
Miſceantur.
Adhibetur contra Gonorrhœam & Fluorem album habituales.

JULEPUS ACIDULATUS *Richard.*

℞. Ptiſanæ communis Uncias quatuor & viginti,
Spiritus Nitri dulcis Scrupulum unum,
Syrupi Limonum Uncias duas:
Miſceantur.
In omni genere Febrium cum fructu exhibetur.

JULEPUS ROSARUM *Mesue* JULAPIUM REGIUM SYRUPUS REGIUS vel ALEXANDRINUS.

℞. Sacchari albiſſimi Uncias triginta:
Diſſolvantur
Aquæ Roſarum Unciis viginti:
Colatura ſervetur.

Edulcorandis variis Potionum generibus adhibetur.

JULEPUS VIOLARUM *Mesue.*

Paratur ut antecedens, ſubſtituendo Aquæ Roſarum, Aquam Violarum.

Exſolevit.

KERMES MINERALE *Liger* PULVIS CARTHUSIANORUM, SULPHUR ANTIMONII TARTARISATUM *Auſtriacorum.*

℞. Antimonii craſſe contuſi Uncias triginta duas,
Nitri fixi Uncias octo,
Aquæ quantum ſatis.

Bulliant per quatuor horas, fervidus liquor filtretur; ex refrigerato qui ſeceſſerit Pulvis probe edulcoretur.

Si liquor defuſus reſiduo Antimonio denuo affunditur, & ratione indicata tractatur, denuo Kermes obtinetur; idem labor vel creberrime repetitus nunquam non hoc Medicamentum largietur.

Ex Experimentis Geoffroy *patet in una Kermes Drachma contineri ad ſeptendecim Grana Reguli, quatuordecim Grana Alcali, unum & quadraginta Grana Sulphuris. Ad dimidium unum, ſeſquigranum uſque adhibetur; pertinet maxime ad ſpiſſitudinem Mucoſam & Phlogiſticam Reſolventia Medicamenta. Majori doſi datum Vomitus, Nauſeas, Seceſſus alvi efficit.*

LAC SULPHURIS *Auguſtanorum.* SULPHUR PRÆCIPITATUM *Suecorum.*

℞. Cinerum Clavellatorum Uncias ſedecim,
Calcis vivæ Uncias viginti duas,
Aquæ fontanæ Uncias ducentas:

Calce

Calce dilapſa coquantur paululum, colentur per pannum linteum; maſſa in panno remanens adhuc bis cum nova aqua coquatur, & coletur; omnes liquores colati evaporatione reducantur ad Uncias triginta; his in fervente lebete bullientibus ſenſim adjiciantur

Florum Sulphuris Unciæ decem:

Bulliant per dimidiam horam; ſolutio evaporata & aliquot libris Aquæ diluta præcipitetur

Spiritus Vitrioli quantum ſatis,

Pulvis præcipitatus edulcoretur.

Hoc Præparatum, cum ſit Sulphur ad ultimam tenuitatem redactum ad uſum internum Floribus Sulphuris videtur eſſe præferendum.

LAC VIRGINIS.

Aquæ inſtillentur aliquot Guttæ Tincturæ Benzoës.

LAPIS CAUSTICUS, CAUTERIUM POTENTIALE *Juncken.*

℞. Calcis vivæ Uncias duodecim,
Salis Tartari Uncias quatuor,

Coquantur cum

Aquæ Unciis centum ad reſiduum Unciarum quinquaginta;

Colatura evaporetur ad ſiccitatem uſque, liquetur calore & effundatur in modulum lapideum.

Olim ad inurendos Fonticulos uſurpabatur, hodie raro in uſum trahitur.

LAPIS DIVINUS vel OPHTHALMICUS *St. Yves.*

℞. Aluminis crudi,
Vitrioli cœrulei,
Nitri ana Uncias quatuor:

Contuſa liquentur, liquatis addatur

Camphoræ tritæ Drachma ſemis:

Mox effundatur ſuper tabulam lapideam, & dum adhuc mollis erit, diſſecetur in parva quadrata.

Adhibetur ad Collyria contra Ophthalmias; ejus Drachma una in Aquæ Unciis octo diſſoluta conſtituit Collyrium Helvetii.

LAPIS INFERNALIS *Angeli Salæ.*
CAUSTICUM LUNARE *Londinenſium.*

℞. Argenti puriſſimi Unciam unam,
Aquæ fortis Uncias duas:

Diſſolvatur leni calore; in frigore ubi ſolutio in Cryſtallos concreverit hæ a LUNA denominantur; denuo calore liquetur; omnis ſolutio in vaſe vitreo ad ſiccitatem reducatur; committatur ſal exſiccatus Crucibulo, & quam primum fluxerit, effundatur in modulum Oleo prius inunctum.

Ne Argentum quidem cupellatum gaudet ea puritate quam hoc Præparatum requirit, quod ab omni labe Venerea immune, nigerrimum eſſe & in Aere ſiccitatem ſuam penitiſſime ſervare debet.

Uſurpatur tanquam Cauſticum polychreſtum, ubicunque Carnes abſumendæ ſunt; Cauſticum medicamentum nunquam intus exhibendum eſt.

LAPIS MARTIALIS.

Videantur Globuli Martiales.

LAPIS MEDICAMENTOSUS *Crollii* correctus.

℞. Colcotharis,
Aluminis ana Uncias duodecim,
Nitri crudi,
Salis communis,
Tartari ana Uncias tres,
Aceti vulgaris Uncias centum:

Coquantur per dimidiam horam:
Tunc addantur

Ceruſſæ Venetæ Unciæ octo,
Boli Armenæ pulveriſatæ Unciæ quatuor:
Sub non intermiſſa agitatione inſtituatur evaporatio ad ſiccitatem uſque.

Laudatur ad Ulcera ſordida & Fiſtulas abſtergendas & conſolidandas, quem in finem duodecuplo aquæ diſſolvitur, filtratur & parti affectæ tam ope linteorum imponitur, quam per ſyringam injicitur.

LAPIS MEDICAMENTOSUS *Geoffroy.*

℞. Limaturæ Ferri,
Lapidis Hæmatitis pulveriſati ana Uncias tres,
Cremoris Tartari Uncias ſex:
Redigantur cum
Spiritus Vini quantum ſatis,
in paſtam, quæ exſiccata denuo ope Spiritus Vini in conſiſtentiam mollem reducatur, operatioque aliquoties repetatur; poſtrema paſta exſiccata reducatur in pulverem, eique addantur
Pulverum Maſtychis,
Croci ana Uncia dimidia,
Aloës,
Myrrhæ ana Uncia una,
Vini albi Unciæ quadraginta quatuor:
Stent per aliquot dies in digeſtione, tunc evaporentur ad ſiccitatem & Spiritus Vini ope reducantur in globos.

Efficacior eſt priore.

LAPIDUM PRÆPARATIO *Valerii Cordi.*

Videatur Cryſtallus montana præparata.

LAPIS seu SAL PRUNELLÆ *Hartmanni.* CRYSTALLUM MINERALE.

℞. Nitri depurati Uncias octodecim:
In Crucibulo fluentibus per vices ingeratur
Florum Sulphuris Uncia ſemis:
Maſſa fluens effundatur ſuper lapidem.

Adhibetur ad Gargariſmata, ſed Nitrum depuratum nullo peregrino Acido inquinatum huic profecto præſerendum eſt.

LAUDANUM LIQUIDUM *Sydenhami.*
TINCTURA THEBAICA *Londinenſium.*

℞. Opii Uncias duas,
Croci Unciam unam,
Cinnamomi,
Caryophyllorum ana Drachmam unam:
Inciſa infundantur per triduum cum
Vini Hiſpanici Unciis duodecim:
Filtrentur.

Quælibet Drachma habet Scrupulum dimidium Opii. Ob magnam Auctoris famam vel hodie adhuc creberrime uſurpatur, licet evictum ſit, Opio minus congrue calida adjici. Datur ad Guttas quindecim.

LAUDANUM OPIATUM.

Variis quæ de eo proſtant compoſitionibus, Extractum Opii Aquoſum merito præfertur.

LILIUM *Paracelsi.*

Videatur Tinctura Metallorum.

LIMATURA MARTIS ALCOHOL.

Videatur Chalybs præparatus.

LIQUIRITIA COCTA ALBA *Würtembergenſium.*
BACULI PECTORALES *Schrœderi* correcti.

℞. Gummi Arabici,
Specierum Diaireos,
Diatragacanthæ ana Unciam ſemis,
Radicum Liquiritiæ,
Amyli ana Unciam unam,
Sacchari albi Uncias duas & triginta:
Omnia in tenuem pulverem trita excipiantur
Mucilaginis Tragacanthæ ſufficiente copia, ut poſſint formari bacilli:

Lingebantur olim a Tuſſientibus, hodie fere obſoleverunt.

LIQUIRITIA COCTA CITRINA, LIQUIRITIA TORNATA Th. *Hoffmann.*

℞. Radicis Liquiritiæ Unciam unam,
Ireos Florentinæ,
Amyli albi ana Unciam ſemis,
Croci Scrupulum unum,
Sacchari albiſſimi Uncias duodecim:
Omnia tenerrime pulveriſata reducantur cum
Mucilaginis Tragacanthæ idoneo quanto
in Maſſam; unde formentur Bacilli.
Conveniunt virtute ſua cum antecedentibus.

LIMONADA MINERALIS.

Videatur Ptiſana acidulata.

LIMONADA SICCA *Beaumé.*

Eſt Pulvis refrigerans Suecorum, ad quem Sal Acetoſellæ loco Salis Eſſentialis Tartari recipitur.

LINIMENTUM ALBUM.

Videatur Linimentum Cereum.

LINIMENTUM ALCALINUM *Plenckii.*

℞. Lixivii Saponariorum Uncias duas,
Olei Olivarum Uncias quatuor,
Vitellorum Ovorum Numero duo:
Miſceantur, uſque dum coeant.
Cl. Auctor aſſeverat Rhagades manuum hoc Linimento fuiſſe curatas.

LINIMENTUM ANTIPLEURITICUM *Richard.*

℞. Saponis Veneti Uncias duas,
Olei Laurini Unciam unam:
Liquefiant leni calore; refrigeratis admiſceantur

Balſami Tranquillantis Uncia una,
Spiritus Salis Ammoniaci cum Calce viva Drachmæ duæ.
Vires ex nomine patent.

LINIMENTUM CEREUM *Edinburgenſium.*
LINIMENTUM ALBUM *Londinenſium.*

℞. Olei Olivarum Uncias tres,
Spermatis Ceti Drachmas tres,
Ceræ albæ Drachmas duas:
Leni igne liquefacta perpetuo agitentur, donec penitus refriguerint.

Ad Fiſſuras Labiorum & Papillarum nec non ad Excoriationes uſurpatur.

LINIMENTUM VOLATILE *Plenck.*

℞. Olei Amygdalarum dulcium Unciam unam,
Spiritus Salis Ammoniaci Drachmas duas:
Agitentur in Phiala, uſque dum coierint.

Collo inungitur in Angina, ad ictus quoque Serpentum cum ſucceſſu applicatur.

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS *Hoffmanni.*
SPIRITUS VINOSUS VITRIOLICUS *Roſſorum.*
SPIRITUS AETHEREUS VITRIOLATUS *Suecorum.*

℞. Spiritus Vini rectificatiſſimi Uncias triginta duas:
Committantur Cucurbitæ; affundantur per vices
Olei Vitrioli Unciæ ſedecim:
Immittatur Cucurbita in Balneum Arenæ, imponatur ei Alembicus, & jungatur vas recipiens; ambo ope Veſicæ coërcenda; ſubminiſtretur lenis admodum ignis, uſque dum liquori deſtillanti alius liquor ejusdem cum ipſo pelluciditatis ſupernatare videatur, qui inde infundibuli ope ſeparandus eſt, & ſub nomine ÆTHERIS ſive NAPHTHÆ VITRIOLI aſſervandus. Reſiduum largiori aquæ quantitate diluatur, filtretur, libero aëri exponatur, & juſta rectificatione in Oleum Vitrioli concentretur.

Liquor valde levis motum Fluidi nervei compeſcit; in omni Dolorum, Spaſmorum, Convulſionum genere cum Succeſſu adhibetur. Datur ad Guttas quindecim, Æther vero, eodem adhuc validior, ad Guttas decem.

LIQUOR ANODYNUS TOPICUS *Triller.*

℞. Aquæ Anhaltinæ Uncias duas,
Spiritus Salis Ammoniaci,
Eſſentiarum Croci,
Caſtorei ana Drachmas duas,
Olei deſtillati Nuciſtæ Guttas triginta:
Miſceantur.

LIQUOR ANODYNUS TOPICUS ALTER *Ejusdem.*

℞. Aquæ Anhaltinæ Uncias quinque,
Eſſentiarum Succini,
Caſtorei ana Drachmas tres,
Anodynæ Drachmas duas,
Spirituum Lumbricorum,
Formicarum ana Drachmam unam:
Miſceantur.

Dicit Venerandus Auctor, utrumque liquorem velut incantamentum, ſi quidem alterutro leniter tepefacto partes dolentes foveantur, ſæviſſimos ſopire Dolores Rheumaticos, Arthriticos, Iſchiadicos, monetque cum priore liquore ſcilicet mitiore antea periculum eſſe faciendum, quam alter adhibeatur; in Podagra vero hos liquores adhibere ſe auſum non eſſe fatetur.

LIQUOR ANODYNUS VOLATILIS *Vicat.*

℞. Spiritus Vini Unciam unam,
Salis Ammoniaci vinoſi Unciam ſemis,
Opii Scrupulos duos,
Camphoræ Scrupulum unum:
Mixta digerantur frigide per tres dies, Phialam ſæpe agitando, Colentur.

Traditur miræ virtutis ad ſopiendos Capitis vel Dentium dolores eſſe, dum Guttæ quatuor vel quinque vola manus exceptæ naribus attrahuntur. Aliquot Guttæ Goſſypio inſtillato committuntur quoque Denti Carioſo.

LIQUOR ANTIPODAGRICUS *Hoffmanni.*

℞. Spiritus Sulphuris volatilis *Beguini* Unciam unam,
Camphoræ, Pineis tritæ, Drachmam unam,
Miſceantur.

Commendatur ab egregio Auctore Obſerv. Phyſ. Chym. L. II. Obſ. 31. ad laborantium pedes crebrius eo inungendos.

LIQUOR APERITIVUS *Argentoratenſium.*
LIQUOR SALINUS LAXATIVUS *Würtembergenſium.*

℞. Salis Epſonenſis,
Tartari ſolubilis ana Unciam unam,
Vitriolati Unciam ſemis:
Diſſolvantur
Aquæ fervidæ Unciis decem:
Filtrentur.

Incidendi, Aperiendi, Urinam ducendi cauſa aliquoties de die ad cyathum datur. Optime ſubſtituitur LIQUORI APERITIVO Hoffmanni.

LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS *Michaelis.*

℞. Spiritus Cornu Cervi rectificati, quantum lubet:
Saturetur
Salis Succini albi quanto ſufficiente:
Filtretur Liquor.

Propter Vires Antiſpaſmodicas & Diaphoreticas laudatur. Datur ad Guttas triginta.

LIQUOR DIGESTIVUS *Suecorum.*

Sali Tartari depurato inſtilletur

Aceti

Aceti Vini quantum ſatis ad ſaturationem:
Liquor filtretur.

Medicamentum hoc pretioſiori Liquori Terræ foliatæ Tartari utique erit præferendum; plures enim partes Oleoſas habet, ideoque magis Saponaceum eſt.

Datur ad parvum Cochlear pro Doſi.

LIQUOR LITHONTRIPTICUS *Jurin.*

Videatur Lixivium Cauſticum.

LIQUOR MENINGUM *Schmucker.*

℞. Aquæ Vulnerariæ Uncias duas,
Balſami Commendatoris Drachmas duas,
Mellis Roſarum Unciam ſemis:
Miſceantur.

Celeberrimum Auctorem hunc Liquorem ope plumaceolorum ad Vulnera Duræ Matris & Cerebri adhibere teſtatur Clariſſimus PLENCK.

LIQUOR NITRI FIXI.

Videatur Nitrum fixum.

LIQUOR PROBATORIUS *Mœglingii.*

℞. Calcis vivæ Unciam unam,
Auripigmenti Unciam ſemis,
Aquæ fontanæ Uncias ſex:
Coquantur ad diſſolutionem Auripigmenti; filtretur Solutio.

Hic Liquor, nigredine, quam Plumbo mangoniſato Vino affuſus affricat, hoc ipſo ſigno mangonium pateſacit.

LIQUOR SIPHYLITICUS *Turneri.*
MIXTURA MINERALIS *Suecorum.*

℞. Mercurii Sublimati Grana duodecim:
Diſſolvantur
Spiritus Vini Unciis viginti quatuor:
Miſceantur.

Medicamentum ex Sibiria in Europam allatum VAN SWIETEN *potiſſimum auctoritate frequentius in uſum tractum, hodie tanquam polychreſtum contra contagium Venereum uſurpatur. Illuſtris* RICHARD *quatuor Granis Camphoræ & una Syrupi Papaveris Rhœados Uncia adjecta nomen ei LIQUORIS SIPHYLITICI ſive CONTRA LUEM VENEREAM imponit. Apud nos & quidem non ſine ſontica cauſa Spiritui Vini Aquam ſubſtituunt. Doſis eſt ad Cochlear unum.*

LIQUOR SPLENETICUS ex TARTARO *Schrœderi* correctus.

℞. Tartari crudi,
Nitri crudi ana Uncias duodecim:
Mixta detonentur in Crucibulo, deinde diſſolvantur
Aquæ fontanæ Unciis triginta ſex:
Solutione fervente diſſolvantur
Pulveris Tartari crudi Unciæ duodecim:
Liquor filtratus ſervetur.

Medicamentum Tartaro Solubili analogum, aliquoties de die ad duas Drachmas, dum Viſcera abdominalia reſeranda ſunt, exhibetur.

LIQUOR STYPTICUS *Weberi.*

℞. Vitrioli Hungarici,
Aluminis crudi ana Uncias ſex,
Aquæ fontanæ Uncias quadraginta octo:
Solutioni filtratæ addantur
Olei Vitrioli Unciæ quatuor.

Linteis quintuplicatis exceptus vaſis Sanguinem fundentibus applicatur.

LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ *Tartari.*

Videatur Terra foliata Tartari.

LIQUOR VEGETO-MINERALIS *Richard.*

Eſt Aqua Vegeto-Mineralis Goulard, omiſſo Spiritu Vini.

LITHONTRIPTICUM *Tulpii*.

℞. Pulveris Cantharidum,
Cardamomorum minorum excorticatorum ana Drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati Unciam unam,
Nitri Unciam ſemis:

Infundantur frigide in vaſe leviter tecto per ſex dies, quibus dilapſis filtrentur.

Hoc Medicamentum magnæ olim famæ Homberg *publicavit. Dantur ejus Guttæ quindecim mane in cyatho aquæ, una poſt aſſumtum juſculum hora, uſusque Medicamenti per quatriduum continuatur.*

LIXIVIUM CAUSTICUM, LIXIVIUM SAPONARIORUM.

Eſt Cauſticum potentiale non inſpiſſatum.

Ad uſus externos adhibetur. Ejus Scrupulus unus ſufficienti aquæ quantitate dilutus & ter interdiu ſumtus conſtituit LIQUOREM LITHONTRIPTICUM Jurin, *quem in Calculo viarum Urinariarum egregium ſe præſtaſſe atteſtatur in Practical Eſſays on Medical Subjects. p. 57.*

LOCH ALBUM *Geoffroy*.

℞. Radicis Liquiritiæ minutim inciſæ Scrupulum unum,
Aquæ fontanæ Uncias quatuor:

Infundantur per horæ intervallum:

Colatura emulgeantur
Amygdalæ dulces Numero viginti:

Denuo colatis addantur
Pulveris Gummi Tragacanthæ Grana ſedecim:

Probe commixtis ingerantur ſenſim ſub perpetua agitatione
Syruporum Papaveris albi,
Althææ ana Uncia ſemis,
Olei Amygdalarum dulcium Uncia una:

Omnibus optime commixtis adjiciantur
Aquæ Florum Aurantiorum Drachmæ duæ:

Miſceantur.

Gratum hoc Eclegma in morbis Pectoris Relaxandi & Demulcendi cauſa cum ſucceſſu adhibetur.

LOCH AD ASTHMA *MANLII.*

℞. Radicum Scillæ præparatarum Unciam ſemis,
Iridis Florentinæ Drachmas duas,
Herbarum Marrubii,
Hyſſopi ana Drachmam unam,
Myrrhæ,
Croci ana Drachmam ſemis:
Pulveriſata excipiantur
Mellis deſpumati Unciis ſex:
Miſceantur.

In affectibus Pectoris mucoſis reſolvendi gratia præſcribitur, & exhibetur ad parvum Cochlear pro Doſi.

LOCH BALSAMICUM *RICHARD.*

Videatur Loch Leniens.

LOCH DE FARFARA *VALERII CORDI.*

℞. Radices Farfaræ recentes:
Coquantur ad mollitiem, & exprimatur Pulpa per cribrum:
Pulpæ addatur
Mellis crudi duplum:
Coquantur ad conſiſtentiam Mellis.

Demulcendi ergo Tuſſientibus exhibetur.

LOCH JAPONICUM *FULLER.*

℞. Terræ Japonicæ Drachmas duas,
Albuminis Ovi conquaſſati Drachmas ſex,
Syrupi de Symphyto Unciam unam:
Miſceantur.

Hæmopticis præcipue commendatur.

LOCH LENIENS *RICHARD.*

℞. Pulveris Gummi Tragacanthæ Grana ſedecim:

Redigantur cum Ptiſanæ pectoralis Uncia ſemis in Mucilaginem, cui ſenſim ſub perpetua agitatione adjiciantur

Olei Amygdalarum dulcium,
Syrupi Althææ ana Uncia una:

Probe mixta diluantur

Ptiſanæ pectoralis Unciis tribus cum ſemiſſe.

Viribus cum Loch albo convenit, Dyſſentericis laudatur.

Abſtergendi autem conſilio adjicitur

Terebinthinæ Venetæ, Vitello Ovi diſſolutæ, Scrupulus unus,

Diciturque jam LOCH BALSAMICUM.

LOCH DE PULMONE VULPIS *Mesue*.

℞. Pulverum Pulmonum Vulpis,
Succi Liquiritiæ,
Herbæ Capillorum Veneris,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana Unciam unam,
Sacchari clarificati Uncias quindecim:

Miſceantur.

Hoc inconcinno prorſus Medicamento Tuſſientibus & Phtiſicis vulgo etiamnum exhiberi ſolito, Medicorum prudentiores non amplius utuntur.

LOCH SANUM ET EXPERTUM *Mesue* correctum.

℞. Radicis Liquiritiæ,
Herbarum Hyſſopi,
Capillorum Veneris,
Calaminthæ montanæ ana Unciam ſemis,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana Drachmas duas:

Inciſa & contuſa coquantur paululum cum

Aquæ fontanæ Unciis viginti quatuor:

Decocto colato emulgeantur,

Amygdalarum excorticatarum,
Pinearum mundatarum,

Seminis Papaveris albi ana Uncia una:
Colaturæ addantur
Pulverum Liquiritiæ,
Gummi Tragacanthæ albæ,
Arabici,
Amyli,
Ireos Florentinæ ana Drachmæ ſex,
Sacchari albi Unciæ quadraginta,
Aquæ Cinnamomi Unciæ duæ:
Miſceantur.

Ad Relaxandas Stricturas & Demulcendam Acrimoniam Tuſſi ſicca laborantibus commendatur.

LOCH SAPONATUM *Pharmacopææ Edinburgenſis Veteris.*

℞. Saponis officinalis Drachmam unam,
Olei Amygdalarum Unciam unam,
Syrupi Capillorum Veneris Unciam unam ſemis:
Miſceantur exacte.

Illuſtris RICHARD Syrupo Capillorum Uncias Mellis duas ſubſtituit.

In Aſthmate & Tuſſi quoque Hypochondriaca, nec non in affectibus Renum exhibetur.

LOTUS SIVE LITUS AD HAEMORRHOIDES *RICHARD.*

℞. Unguenti Populei Unciam unam,
Balſami Tranquillantis Unciam ſemis,
Olei Ovorum Drachmas duas:
Miſceantur.

Vires nomen indicat.

LOTUS AD RHEUMATISMUM *RICHARD.*

℞. Spiritus Vini Camphorati Uncias ſex,
Salis,
Olei Terebinthinæ ana Unciam unam:
Miſceantur.

Vires ex nomine patent.

LOTUS SAPONACEUS *Plenckii.*

℞. Aquæ fontanæ deſtillatæ Uncias duodecim,
Balſami Vitæ externi Drachmam unam:
Miſceantur.

De Viribus mentio jam facta eſt ſub Balſamo Vitæ.

LOTUS AD TINEAM *Fuller.*

℞. Calcis vivæ Uncias duodecim,
Picis navalis Uncias octo,
Aquæ fontanæ Uncias ſeptuaginta & duas:
Coquantur ad dimidias, dein colentur.

Capiti Tineoſo lavando commendatur.

MAGISTERIUM MARCASITÆ Thibaut COSMETICUM *Clavii.*

℞. Biſmuthi Unciam unam:
Per vices injiciatur
Spiritus Nitri Unciis duabus:
Solutio clara inſtilletur guttatim
Aquæ Unciis quadraginta octo:
Calx albiſſima edulcoretur.

Coſmeticos ad uſus exhibent, ſed Cutim fœdare obſervatum eſt.

MAGISTERIUM SATURNI *Crollii.*

℞. Aceti Lithargyrii quantum lubet; Plumbum inde præcipitetur ope
Salis communis aqua diſſoluti:
Edulcoratum ſervetur.

Uſui Coſmetico perinde ac antecedens inſervit, ſed Cutim etiam & quidem citius fœdat; ſanitati quoque pernicioſus eſt ejus uſus; dolendum ſane ipſos Medicos eo imprudentiæ prolabi, ut illud ad uſus internos commendare non dubitent.

MAGISTERIUM SULPHURIS.

Videatur Lac Sulphuris.

MAGNES ARSENICALIS *Hartmann.*

℞. Arſenici albi,

Antimonii crudi,
Sulphuris flavi ana partes æquales:
Pulveriſata fundantur in Retorta vitrea.

Venenum hoc remedio ad inſtar Magnetis Ferrum trahentis ex Bubonibus Peſtilentialibus extrahi olim credebant. Arſenicalia ut ad alios morbos ita ad Peſtem peſſime adhiberi hodie eſt evictum.

MAGNESIA ALBA *Black.*

℞. Salis Epſonenſis Uncias ſexaginta quatuor:
Diſſolvantur
Aquæ fontanæ Unciis centum viginti octo:
Affundatur
CinerumClavellatorum depuratorum in duploAquæ diſſolutorum, quantum requiritur, ut omnis inde terra dejiciatur; tunc affundantur
Aquæ ebullientis Unciæ quingentæ:
Terra optime edulcorata ſervetur, quæ ſi calcinata deſideratur, in Crucibulo candente ſervanda eſt rubens per duas horas.

Medicamentum, in Italia primum celebratum, dein, ad modum a Slevogt traditum, ſemper ex Lixivio Nitri paratum, ſemper Calce erat inquinatum. Cl. Black præeunte illud jam purum obtinemus.

Reliquis Abſorbentibus omnino præſtat; minus enim Ventriculum gravat, præſertim ſi calcinata exhibetur, cum Acido Primarum Viarum in Salem medium abit mite Catharticum, & Humores adeo non ad Putredinem, ut reliqua Abſorbentia, diſponit, ut potius evidenter viribus Antiſepticis ſit inſtructa.

Doſis eſt ad Drachmam unam uſque.

MANNA LIQUIDA *Kiefer.*

℞. Cremoris Tartari Drachmas duas;
Diſſolvantur
Aquæ bullientis Unciis quinque;
Addantur

Mannæ

Mannæ Sicilienſis Unciæ duæ:
Facta diſſolutione colentur.
Unâ hauritur.

MANNA TABULATA VEL TARTARISATA *Schrœderi.*

℞. Mannæ Sicilienſis Uncias quatuor,
Cremoris Tartari Unciam ſemis:
Coquantur cum
Aquæ Unciis decem,
Ad conſiſtentiam & lege artis in formam Morſulorum redigantur.
Scopo Eccoprotico exhibentur.

MASSA AD FORNACEM *Argentoratenſium.*

℞. Pulverum Gummi Benzoes electi,
Storacis Calamitæ ana Uncias quatuor,
Ladani Unciam unam,
Oleorum deſtillatorum Cinnamomi Guttas decem,
Ligni Rhodii Guttas viginti,
Balſami Peruviani Drachmas tres:
Subigantur in mortario calido, ut in unam maſſam coeant, quæ in bacillos panno laneo lævigandos cogenda eſt.
Affricatur fornaci, ut conclavis Aerem odoris ſuavitate perfundat.

MATERIA PERLATA.

Videatur Antimonium Diaphoreticum.

MEL ANTHOSATUM *Mesue.*

℞. Herbæ Rorismarini Uncias octo,
Mellis deſpumati Uncias viginti quatuor:
Digerantur in vaſe clauſo per aliquot dies, deinde colentur.
Ad Enemata recipitur.

MEL DESPUMATUM *Celsi.*

℞. Mellis Uncias quadraginta octo,

Aquæ fontanæ Uncias duodecim:
Bulliant per quadrantem horæ, ſpuma & cochlearis & coli ope inde auferatur.

MEL MERCURIALE *Colonienſium.*

℞. Succi Herbæ Mercurialis Uncias triginta ſex,
Mellis crudi Uncias viginti quatuor:
Coquantur ad conſiſtentiam Mellis.
Alvi Emolliendæ gratia Clysmatibus adjicitur.

MEL ROSARUM *Oribasii.*

℞. Florum Roſarum rubrarum,
Aquæ fontanæ ferventis ana Uncias ſeptuaginta duas:
Digerantur per viginti quatuor horas, exprimantur & colentur: Addantur
Mellis crudi Unciæ nonaginta ſex:
Coquantur ad conſiſtentiam Mellis & tunc colentur.
Ad Ulcera Oris Abſtergenda frequentiſſimo in uſu eſt.

MERCURIUS DIAPHORETICUS *Kleinii.*

Videatur Pulvis Alterans Plummer.

MERCURIUS DULCIS.

℞. Mercurii Sublimati Uncias triginta duas,
Vivi Uncias viginti quatuor:
Per plures horas, donec omnes globuli Mercuriales diſparuerint, exactiſſime trita, committantur Cucurbitæ, & Balnei arenæ ope ſublimentur; diffracta Cucurbita, rejiciatur ſubſtantia laxa, quæ ſuperiora colli Cucurbitæ occupat, Sublimatum ſuperiori Cucurbitæ orificio adhærens, ſi nondum ſatis compactum fuerit, teratur in pulverem & denuo ſublimetur; quod, ſi laminæ ferreæ madefactæ affricatum nullam maculam nigram relinquit, Aquæ contra Calcis immiſſum nigrum evadit, indicio eſt, Mercurium rite dulcificatum eſſe.
Egregium Medicamentum, quod in omnibus morbis a Spiſſitudine Humorum tenuiorum oriundis, cum ſucceſſu datur, Ca-

tharticos quoque effectus edit, ſecure infantibus quoque poteſt exhiberi, & vanus eſt omnino eorum metus, qui, ubi Acrimonia in Primis Viis obtinet, noxas inde metuunt. Datur Scopo Cathartico ad quindecim Grana pro Doſi.

MERCURIUS GUMMOSUS *Plenck.*

℞. Mercurii revificati Drachmam unam,
Pulveris Gummi Arabici Drachmas tres:
Terantur probe, donec omnes globuli Mercuriales diſparuerint;
Tunc addatur
Syrupi Diacodii Uncia ſemis:
Miſceantur.

Hoc Medicamento Unciis octo Aquæ diluto & ad aliquot Cochlearia interdiu dato Clariſſimus Auctor vidit morbos Venereos feliciſſime fugari. Extus quoque eodem ad Lotiones utitur.

MERCURIUS LIQUIDUS.
AQUA MERCURIALIS *Charras.*

℞. Mercurii revificati Unciam unam;
Diſſolvatur
Spiritus Nitri Uncia una ſemis:
Solutioni adjiciantur
Aquæ fontanæ Unciæ triginta.

Guttatim exhibebatur; in ejus locum LIQUOR SIPHYLITICUS ſucceſſit.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS *Hartmann.*
MERCURIUS COSMETICUS *Suecorum.*

℞. Mercurii vivi Uncias quatuor:
Diſſolvantur
Spiritus Nitri Unciis ſex:
Solutio præcipitetur
Salis communis, in aqua diſſoluti, quantitate ſufficiente:
Mox defundatur liquor & Mercurius præcipitatus edulcoretur.

Externe ad Ulcera Venerea adhibetur.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS FLAVUS.

Videatur Turpethum minerale.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER. *Basil. Valentini.*

℞. Mercurii vivi Uncias ſex:
Diſſolvantur
Spiritus Nitri Unciis duodecim:
Abſtrahatur Acidum a Mercurio ex Retorta; pulvis qui remanet ruber Calcinetur in patella terrea, uſque dum ruberrimus evaſerit; qui ſi cum pari pondere Salis Tartari teritur, & ſuper edulcoratum aliquoties Spiritus Vini deflagratur, Arcani Corallini, *Libavii*, Mercurii Corallini *Londinenſium* nomine venit.

A Medicamenti rodentis uſu interno omnino abſtinendum. Externe ad Unguenta mundantia adhibetur. Arcanum Corallinum mitius quidem eſt, quam Mercurius præcipitatus ruber, ſed ne ipſum quidem tuto intus datur.

MERCURIUS SACCHARATUS *Wedelii.*

℞. Mercurii rectificati Unciam unam,
Sacchari albiſſimi Uncias duas:
Probe terantur in mortario lapideo uſque dum omnes globuli Mercuriales diſparuerint.

Contra Vermes, Obſtructiones Glandularum Meſaraicarum alioſque morbos, ubi Mercurii uſus indicatur, cum ſucceſſu exhibetur.

Doſis eſt Drachma una aliquoties de die ſumta.

MERCURIUS SUBLIMATUS *Rhases.*
MERCURIUS CORROSIVUS ALBUS *Suecorum.*

℞. Mercurii vivi Uncias ſedecim:
Diſſolvantur
Spiritus Nitri Unciis viginti quatuor:

Abſtrahatur inde Acidum, Sali reſiduo commiſceantur
Vitrioli ad albedinem calcinati,
Salis communis ana Unciæ octo:
Sublimentur ex Cucurbita vitrea.

Validiſſimum Medicamentum rodens neque extus neque intus niſi larga liquoris diluentis quantitate mitigatum eſt adhibendum.

MERCURIUS VITÆ *Paracelsi.* PULVIS *Algaroti.*

℞. Butyri Antimonii quantum lubet:
Inſtilletur largæ quantitati aquæ, & pulvis præcipitatus probe edulcoretur.

Validiſſimum Draſticum ad aliquot modo Grana datum fortiſſime Primas Vias exagitat; ideoque hodie non amplius uſurpatur.

MIVA CYDONIORUM *Mesue.*

℞. Succi Cydoniorum per ſubſidentiam depurati Uncias centum & viginti,
Sacchari albi Uncias quadraginta:
Coquantur ad conſiſtentiam Rob.

Datur roborandi Ventriculi cauſa.

MIVA CYDONIORUM AROMATICA. CONDITUM DE CYDONIIS *Mesue.*

Ex Miva Cydoniorum ſuſpendatur ſacculus, cui immittantur
Pulverum Cinnamomi acuti,
Cardamomi ana Drachma una ſemis,
Croci,
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Maſtichis,
Macis ana Scrupulus unus:

Probe miſceantur.

Ad ſiſtendos Vomitus & Alvi fluxus adhibetur.

MIXTURA ASTHMATICA *Trilleri.*

℞. Aquarum Tuſſilaginis,
Pulmonariæ,
Hyſſopi,
Veronicæ,
Fœniculi ana Unciam unam,
Elixir Pectoralis Wedelii Drachmas duas,
Eſſentiarum Pimpinellæ,
Liquiritiæ ana Drachmam unam,
Extractorum Caſcarillæ,
Enulæ ana Scrupulum unum,
Syrupi Althææ Fernelii Unciam unam,
Oxymellis Scillitici Unciam ſemis:
Miſceantur.

Teſtatur Venerandus Auctor, in Tuſſi ferina, Aſthmate & Catarrho ſuffocativo ſibi ſæpe præſtantiſſimo auxilio hoc Medicamentum fuiſſe.

MIXTURA SIMPLEX, AQUA vel SPIRITUS de TRIBUS *Schrœderi.*
MIXTURA DIATRION *Suecorum.*

℞. Spiritus Tartari Uncias ſex,
Vitrioli Uncias duas,
Aquæ Theriacalis Camphoratæ Uncias decem:
Miſceantur.

Diaphoreſin excitat, Putredinem arcendi cauſa olim contra Febres continuas in frequenti uſu erat. Doſis Drachma una.

MIXTURA SALINA VOLATILIS *Suecorum.*

Videatur Spiritus Mindereri.

MIXTURA TONICO NERVINA *Stahlii.*

℞. Spiritus Cornu Cervi Unciam unam,

Tincturæ Antimonii acris Uncias duas:
Miſceantur.

Auctor omnesque ejus aſſeclæ hoc Medicamentum ad reſerandas Viſcerum Abdominalium Obſtructiones & reſtituendum ipſis Tonum adhibuerunt.

Doſis eſt ad Guttas quinquaginta.

MORSULI.

I. Sacchari albiſſimi Unciæ ſedecim diſſolvantur Aquæ Unciis quatuor; coquantur donec particula ſolutionis vel ſpatula excepta inde defluendo filum trahat, aut vi quadam per aerem trajecta floccos formet. Hoc *CONSISTENTIAM TABULANDI* dicunt:

II. Saccharum ad conſiſtentiam Tabulandi coctum ab igne remotum agitetur uſque dum ad parietum vaſis conſiſtere cœpit:

III. Adjiciantur, Condita quidem aut Nuces in tenuia ramenta diſſecta, Aromata vero in craſſum, reliqua in tenuiſſimum pulverem redacta, Olea denique deſtillata addantur:

IV. Effundatur maſſa in modulum ex tribus lignis aqua madefactis, ita confectum, ut eorum unum baſin, duo reliqua latera efforment. Cultri denique ope dum adhuc calet in rectangula diſſecetur.

MORSULI ANTIMONIALES *Kunkel.*

℞. Amygdalarum dulcium excorticatarum & ſecundum longitudinem diſſectarum Unciam unam,
Pulverum groſſorum Cinnamomi Drachmas duas,
Cardamomi minoris Drachmam ſemis,
Pulveris tenerrimi Antimonii crudi Drachmas ſex:
Commiſceantur cum
Sacchari albi in Aqua Roſarum ſoluti & ad conſiſtentiam Tabulandi cocti Unciis ſeptem:
Fiant Morſuli.

Contra Acrimonias & Spiſſitudinem Lymphæ & affectus Rheumaticos nec non Arthriticos cum ſucceſſu exhibetur.

MORSULI AROMATICI *Suecorum.*

Videantur Morſuli Imperatoris.

MORSULI CITRI *Jungkenii* correcti.

℞. Carnis Citri Conditæ inciſæ,
Flavedinis Corticis Citri recentis ana Unciam unam,
Quintæ Eſſentiæ Citri Scrupulum unum,
Succi Citri Unciam unam:
Immiſceantur
Sacchari Canarienſis Unciis ſedecim in Aqua ſolutis ad conſiſtentiam Tabulandi ſpiſſiorem coctis & ſub perpetua agitatione ſemirefrigeratis:
Conficiantur ſecundum artem Morſuli.
Ad Guſtum delectandum, Sitim fallendam Viresque refocillandas adhibentur.

MORSULI IMPERATORIS *Hamburgenſium.*

℞. Conditorum Corticis Aurantiorum,
Citri,
Carnis Citri ana Unciam unam,
Amygdalarum dulcium cuticula privatarum Unciam unam ſemis:
Incidantur ſecundum longitudinem & addatur
Specierum Imperatoris Uncia una:
Commiſceantur cum
Sacchari Unciis ſedecim in Aqua Roſarum ſolutis & ad conſiſtentiam Tabulandi coctis, ſub perpetua agitatione ſemirefrigeratis
Fiant lege artis Morſuli.
Ventriculi roborandi cauſa dantur.

MORSULI PURGANTES *Würtembergenſium.*

℞. Reſinæ Jalappæ Drachmam unam,
Amygdalarum pellicula privatarum Drahmas tres:
Probe tritis immiſceantur

Saccha-

Sacchari in Aqua Roſarum ſoluti & ad conſiſtentiam Tabulandi cocti Unciæ ſeptem ſemis:
Fiant lege Artis Morſuli.

Purgandi ſcopo dantur, Uncia Morſulorum Grana circiter octo Reſinæ continet.

MORSULI AD SCABIEM *Pharmacopœæ Helveticæ.*

℞. Florum Sulphuris Unciam unam,
Pulveris Antimonii,
Specierum Imperatoris ana Drachmas duas,
Amygdalarum dulcium excorticatarum, ſecundum longitudinem ſectarum Unciam unam,
Sacchari albiſſimi Aqua Naphæ diſſoluti, ad conſiſtentiam Tabulandi cocti & ſub perpetua agitatione refrigerati Uncias octo:
In momento effuſionis addantur
Quintæ Eſſentiæ Citri Guttæ decem:
Fiant lege artis Morſuli.

Vires ex nomine patent, ter de die Uncia ſemis aſſumitur.

MORSULI CONTRA VERMES *Würtembergenſium.*

℞. Pulverum Seminis Cinæ,
Muſei Corallini ana Unciam ſemis,
Cinnamomi Drachmas duas,
Æthiopis mineralis Drachmas tres,
Reſinæ Jalappæ, Pineis exactiſſime tritæ, Scrupulos duos:
Commiſceantur cum
Sacchari albi, Aqua Roſarum ſoluti & ad conſiſtentiam Tabulandi cocti, Unciis ſeptem:
Fiant lege Artis Morſuli.

Vires ex nomine patent; Uncia una quinque circiter Grana Reſinæ vehit.

MUCILAGINES.

Parantur, dum Gummi pulveriſata & Semina mucilagine fœta

contuſa cum juſta aquæ quantitate in mortario lapideo teruntur, uſque dum aqua evidentem ſpiſſitudinem ad conſiſtentiam Gelatinarum accedentem induat. Radices autem cum Aqua coquuntur, donec juſtam viſcedinem acquiſiverint. Mucilagines ita paratæ per colum premuntur.

NAPHTA NITRI.

Videatur Spiritus Nitri dulcis.

NAPHTA SALIS COMMUNIS.

Videatur Spiritus Salis dulcis.

NAPHTA VITRIOLI.

Videatur Liquor Anodynus.

NITRUM ANTIMONIATUM.

Videatur Antimonium Diaphoreticum.

NITRUM DEPURATUM.

℞. Nitri crudi quantum lubet:
Diſſolvatur in
Aquæ quadruplo:
Filtratum evaporetur ad cuticulam & reponatur in loco temperato, uſque dum Cryſtalli ſurgant, reſiduus liquor denuo paulum evaporetur & in Cryſtallos cogatur; idem labor repetatur, quamdiu pulchræ Cryſtalli pryſmaticæ ſurgunt.

Nitrum non niſi hac ratione depuratum ad uſus internos adhiberi debet.

NITRUM FIXUM *Glauberi.*

℞. Nitri depurati quantum placet:
Fundatur in Crucibulo, fluenti ingeratur per vices Pulvis Carbonum, neque ante novus ingeratur, quam prior totus deflagraverit; Pulvere Carbonum Crucibulo injecto non amplius Detonante, tota maſſa probe agitetur, & per horæ quadrantem

adhuc Calcinetur, refrigerata deinde diſſolvatur aqua, trajiciatur per Filtrum, inſpiſſetur.

Hic Sal aeri expoſitus deliquium patitur & tunc LIQUOR NITRI FIXI ſive ALCAHEST Glauberi audit.

Nitrum Fixum cum ſit ipſiſſimum Alcali vegetabile, easdem ac Sal Tartari & in Liquorem reſolutum Olei Tartari per deliquium vires habet.

NITRUM TABULATUM.

Eſt Lapis Prunellæ, qui fuſus tubi exiguo foramine terminati ope, in exiguas Tabulas cogitur.

OCULI CANCRORUM CITRATI.

Parantur ut CONCHÆ CITRATÆ.
Idem de utriſque etiam judicium eſto.

OCULI CANCRORUM PRÆPARATI.

Oculi Cancri Aqua loti rediguntur in mortario ope piſtilli in pulverem tenerrimum; ſupra Porphyritem, affuſa, aqua uſque terendum, dum in pollinem abierit, qui inter digitos tritus omnis aſperitatis expers ſentiatur; paſta per infundibulum in parvas pyramides exprimitur.

OFFA ALBA *Helmontii.*

℞. Spiritus Salis Ammoniaci cum Sale Tartari Uncias quatuor: Inſtilletur ipſi
Alcoholis Vini quantum ſatis, ut Coagulum album oriatur.

Ad reſerandas Obſtructiones laudatur. Ejus Scrupulus unus cyatho aquæ dilutus exhibetur.

OLEA COCTA SIMPLICIA.

Vegetabile vel Animal recens comminutum cum Olei Olivarum æquis partibus coquitur, uſque dum gutta Olei igni inſtillata non amplius crepitet, ſed tacite flammeſcat, id quod *ad*

conſumtionem humiditatis coqui dicere ſolent; tunc demum Oleum preli ope exprimitur & per ſubſidentiam depuratur.

OLEA DESTILLATA.

Partes Vegetabilium indigenorum recentes comminutæ, quibus ſuboctuplum circiter Salis communis adjicitur, infunduntur cum Aquæ fere ſextuplo per quatuor dies; Floribus brevius etiam tempus ſufficit. Vegetabilia exſiccata per octiduum, Ligna & Cortices duriores adhuc diutius infunduntur. Inſtituitur deinceps Deſtillatio ex Veſica ea lege ut ſtatim ſub initio validior ignis adhibeatur; continuatur tamdiu Deſtillatio quoad uſque lacteo tincta calore aqua deſtillat; ab aqua deſtillata goſſypii aut infundibuli ope oleum aufertur; reſiduo vegetabili aqua denuo affunditur, eademque operatio bis vel ter iteratur. Balſama & Reſinæ vel ſine prævia infuſione Deſtillantur.

OLEA EXPRESSA.

Nuclei annotini contunduntur & committuntur ſacco, qui inter laminas ferreas torcularis ponitur, adigitur torcular; quando nullum ulterius Oleum effluit, reſiduum ex ſacco eximitur, denuo in pulverem reducitur, torcularique ſubmittitur: Oleum per aliquod tempus quieti relictum a fæcibus, quas depoſuit, defunditur.

Semina duriore cortice inſtructa, antequam torculari ſubmittantur, prius vapori aquæ ebullientis ſunt exponenda. Nuclei qui oleum in temperato aere ſolideſcens vehunt, inter laminas calefactas ſunt collocandi. Nuces Cacao etiam antequam ſacco committuntur, calore non admodum leni calefieri oportet. Id genus Olea, ut fæces deponere poſſint, etiam poſt expreſſionem per aliquod tempus caloris ope conſervari debent fluida.

Olea fragrantia CORTICUM AURANTIORUM, CITRI, FLORUM AURANTIORUM, quod a NEROLI denominatur, JASMINI, LAVENDULÆ ſub nomine QUINTÆ ESSENTIÆ optime ex Gallia Meridionali aut Italia accerſuntur.

OLEA INFUSA.

Parti Vegetabili vel Animali affunditur Olei Olivarum duplum; inſtituitur Infuſio loco calido in vaſe clauſo; exprimitur Oleum ope torcularis & depuratur per ſubſidentiam.

OLEUM ACUSTICUM *Wepferi*.

℞. Ceparum minutim conciſarum Unciam unam,
Millepedum vivorum Numero ſexaginta,
Fellis Tauri Drachmas duas,
Olei Amygdalarum amararum Unciam unam:
In vaſe vireo bene clauſo macerentur per biduum; tunc ſemel ebulliant: forti expreſſione obtento Oleo addantur
Oleorum deſtillatorum Rutæ,
Majoranæ,
Roriſmarini ana Guttæ tres:
Miſceantur.

Guttæ ſex hujus Olei goſſypio exceptæ immittuntur Auri a cauſa ſeroſa viſcida afflictæ.

OLEUM ANIMALE *Dippelii*.

℞. Olei Cornu Cervi, quantum lubet:
Committatur Retortæ adhibita cautione, ne quid ſive roſtro ſive hemiſphærii fornici accreſcat, ſubminiſtretur ignis lenis; Oleum inſtar aquæ pellucidum deſtillans, quoties ejus Drachma una circiter deſtillaverit, committatur ad ſummam plenitudinem vitro ſubere ſtatim claudendo ac pice aut Cera ſigillata probe obducendo. Simul ac vel veſtigium coloris flavi in Oleo deſtillante apparet, ab ulteriori Deſtillatione eſt deſiſtendum.
Hac ratione omnia Olea Empyreumatica poſſunt rectificari.

Specificum Medicamentum Antepilepticum, cujus egregiam virtutem crebra experientia confirmavit.

Datur ad Guttas quindecim pro doſi.

OLEUM BEZOARDICUM *Wedelii.*
OLEUM CAMPHORATUM *Suecorum.*

℞. Camphoræ Drachmas duas:
Diſſolvantur
Olei Amygdalarum dulcium Radicibus, Alkannæ tincti, Uncia una:
Addatur
Quintæ Eſſentiæ Citri Scrupulus dimidius:
Miſceantur.

Ad morbos Inflammatorios & Malignos laudatur, olim, in Germania praeſertim, multum celebrabatur. Ad Fiſſuras Labiorum in Febribus ardentibus, quin & ad necanda, quæ Meatum Auditorium ſubierunt, Inſecta adhibetur.

Doſis intus ad Guttas decem.

OLEUM CAMPHORÆ *Lemery.*

℞. Camphoræ Uncias duas:
Immittantur
Spiritus Nitri Unciis tribus:
Hac ratione in Oleum verſa Camphora ſeparetur ab Acido.

Ad Sarcomata fungoſa & Ulcerum calloſos margines adhibetur.

OLEUM CAPPARUM *Manlii.*

℞. Corticum Radicum Capparum Unciam unam,
Tamariſci,
Cyperi ana Drachmas duas,
Herbarum Ceterach,
Rutæ ana Drachmam unam,
Seminis Agni caſti Drachmas duas:
Inciſa, contuſa infundantur cum
Vini albi Unciis ſex, per biduum:
Tunc addantur
Olei Olivarum Unciæ duodecim:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis, exprimantur & depurentur per ſubſidentiam.

Laudatur contra Obſtructiones Lienis.

OLEUM CARMINATIVUM *Danorum.*

℞. Oleorum deſtillatorum Chamomillæ,
Menthæ ana Uncias duas,
Carvi,
Cumini,
Fœniculi ana Drachmam ſemis:
Miſceantur.

Umbilico illinitur, Clyſmatibus immiſcetur, intus quoque ad ſex vel octo Guttas cum Saccharo aut Vitello ovi exhibetur.

OLEUM CARMINATIVUM *Wurtembergenſium.*

℞. Herbarum recentium Anethi,
Menthæ,
Abſynthii,
Pulegii,
Florum Chamomillæ vulgaris ana Uncias quatuor:
Inciſa coquantur cum
Olei Olivarum Unciis viginti quatuor, ad conſumtionem humiditatis:
Expreſſis addantur
Olei Laurini Unciæ tres:
Depurentur per ſubſidentiam.

Vires ex nomine patent. Præcipue laudatur Abdomini tenellorum Torminibus laborantium, inungendo.

OLEUM CATELLORUM *Pariſienſium.*

℞. Catellorum recens natorum inciſorum Numero tres:
Coquantur cum
Olei Olivarum Unciis quadraginta octo, ad conſumtionem humiditatis:
Colato addantur
Herbarum Origani,
Serpylli,
Pulegii,
Hyperici,
Majoranæ ana Unciæ duæ:
Inſolentur per quindecim ies, exprimantur & depurentur.

Hoc Oleum in membris Contractis curandis & Rheumatiſmo pellendo multis laudibus celebratur, quae, ſi vel maximæ ei debentur, certe Catellis omnium minime referendæ erunt acceptæ.

OLEUM COLOCYNTHIDIS *Gruling II* correctum.

℞. Herbarum Abſynthii,
Rutæ ana Uncias quatuor,
Pulpæ Colocynthidis Uncias duas,
Radicis Hellebori nigri Unciam unam:
Inciſa & contuſa coquantur cum
Olei Olivarum Unciis quadraginta octo,
Vini albi Unciis ſex,
Fellis bubuli Unciis ſedecim:
Ad conſumtionem humiditatis:
Exprimantur & per ſubſidentiam depurentur.
Anthelmintico ſcopo Alvique ducendæ cauſa Abdomini illinitur.

OLEUM HYPERICI *Manlii.*

℞. Florum Hyperici cum calicibus Uncias triginta ſex,
Vini albi Uncias ſex,
Olei Olivarum Uncias triginta ſex:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis;
Expreſſo addantur
Terebinthinæ Venetæ Unciae duodecim,
Croci, minutim conciſi, Drachmæ duæ:
Elapſis viginti quatuor horis coletur.
Creberrimo in uſu eſt ad Vulnera claudenda.

OLEUM MUCAGINUM *Amſtelodamenſium.*

℞. Radicum Althææ recentium, Uncias duas cum dimidia,
Scillæ recentium Unciam ſemis,
Seminum Lini,
Fœnugræci ana Uncias duas:
Extrahatur inde, ope coctionis cum aquæ quantitate ſufficiente,
Mucilago, cui addantur

Oleo-

Oleorum infuſorum Anethi,
Chamomillæ,
Liliorum alborum ana Unciæ ſedecim,
Coquantur ad conſumtionem humiditatis; Colentur.
Emolliendi ſcopo adhibetur.

OLEUM MYRRHÆ PER DELIQUIUM *Costæi.*

Albumina ovorum, aqua ebulliente indurata, diſſecantur ſecundum longitudinem; unius cavum repletur Pulvere Myrrhæ, huic alterum ſuperimponitur, ambo hemiſphæria fili ope continentur & ſuſpenduntur eo conſilio, ut in vas ipſis ſuppoſitum deſtillet Myrrha Albumine diſſoluta.

Laudatur tanquam Medicamentum balſamicum ad Fiſſuras Cutis. Cum vero valde proclive ſit ad putredinem, conſultius eſt, ipſo uſus tempore, Myrrham in Albumine diſſolvere.

OLEUM PHILOSOPHORUM *Mesue.*

Hoc nomine qualecunque Oleum unguinoſum per ſe deſtillatum poteſt exhiberi.

Reſolvendi ergo adhibetur. Ejus inunctione Tympaniticum fere conclamatum perfecte curatum recenſet Spindler *Obſ. Med. N. 53.*

OLEUM SCARABÆORUM *Pariſienſium.*

℞. Scarabæorum fimariorum Uncias octo:
Contuſi infundantur cum
Olei Laurini Unciis ſedecim:
Coquantur ad exhalationem humiditatis, colentur & depurentur per ſubſidentiam.
Laudatur Reſolvendi & Nervos roborandi fine.

OLEUM *Slotani.*

℞. Olei Olivarum Uncias ſeptuaginta duas,
Catellorum Numero duos,
Ranarum Numero duodecim,

Lumbricorum terreſtrium Uncias ſedecim,
Aquæ Juniperi Uncias triginta ſex:
Inciſa coquantur ad conſumtionem humiditatis:
Expreſſis addantur
Axungiarum Humanæ,
Muris Alpini,
Oleorum Scorpionum,
Amygdalarum amararum ana Unciæ ſex,
Oculorum Populi recentium Unciæ triginta ſex,
Florum recentium Primulæ Veris,
Tuſſilaginis,
Betonicæ,
Geniſtæ,
Chamomillæ Romanæ,
Violarum,
Liliorum Convallium,
Lavendulæ,
Sambuci,
Anethi,
Salviæ,
Cheiri,
Rutæ,
Thymi,
Rorismarini,
Centaurei minoris,
Origani,
Tanaceti,
Liguſtri,
Agrimoniæ,
Pulegii,
Meliloti,
Verbaſci,
Abſynthii,
Roſarum Damaſcenarum ana Manipulus unus,
Hyperici Manipuli quatuor:

Inſolentur per totam æſtatem; tunc coquantur per aliquot horas, exprimantur; Oleum depuretur per ſubſidentiam.

Hildanus Oper. 657. hoc Oleum tanquam egregium Medicamentum contra omnes affectus Nervorum frigidos maxime, nec non ad alios graves morbos commendat. An vero inconcinna hæc, imo monſtruoſa compoſitio promiſſis reſpondeat? doceat experientia.

OLEUM STOMACHICUM *Zwœlferi.*

℞. Olei infuſi Abſynthii Uncias duodecim,
 Maſtychis electæ Unciam unam:
Diſſolutis addantur
 Oleorum deſtillatorum Abſynthii,
  Caryophyllorum,
  Ligni Rhodii, ana Drachma ſemis,
  Nucis Moſchatæ,
  Macis ana Scrupuli duo:
Miſceantur.

Inungitur Regioni Epigaſtricæ.

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.
LIXIVIUM TARTARI *Londinenſium.*

Salis Tartari quantum lubet in patina vitrea leviter tecta exponitur aëri, liquor in quem reſolvitur, per filtrum trajicietur.

Ejus aliquot Guttæ multa aqua dilutæ dantur in Acrimonia acida nec non ad reſerandas Obſtructiones abdominales.

OLEUM VITRIOLI *Basil. Valentini.*

Vitriolum viride ad albedinem calcinatum immittitur Retortæ terreæ, cui fornaci reverberatoriæ commiſſæ jungitur Argillæ ope excipulum vitreum; accenditur ignis, per gradus ad ſummum uſque augendus & uſque continuandus, donec ex ceſſante, quæ ſemper in excipulo conſpicitur, nebula, nullos ulterius prodire vapores appareat; tunc omnibus refrigeratis, excipulum a Retorta ſolvitur; liquor obtentus denuo ex Retorta vitrea deſtillatur; SPIRITUS SULPHURIS qui prior

deſtillat, ſeorſim aſſervatur; remanens autem in Retorta Acidum Vitrioli Concentratum vaſi vitreo, probe claudendo committitur.

Acidum fortiſſimum interdum a Chirurgis Sanguini ſiſtendo adhibetur; intus non niſi magna aquæ quantitate dilutum uſurpari poteſt.

Rariſſime a Pharmacopolis paratur, ſed ab artificibus propriis arceſſitur. Probatur pondere, incaleſcentia cum aqua, nec non pennæ ſive lintei ipſi immiſſi ſubita corroſione.

OPIATA ADSTRINGENS *Richard.*

℞. Corticum Caſcarillæ Unciam unam,
Granatorum Unciam ſemis,
Terræ Japonicæ Unciam unam,
Nucum Cupreſſi Unciam ſemis,
Rob Juniperi Uncias quatuor:
Pulveriſata Miſceantur.

Vires ex nomine patent; datur ad Avellanæ magnitudinem.

OPIATA DETERSIVA *Richard.*

℞. Pulverum Myrrhæ electæ,
Olibani electi ana Unciam ſemis,
Spermatis Ceti Drachmas duas:
Vitello ovi probe ſubactis addantur
Mellis optimi Unciæ ſex,
Pulveris Radicis Liquiritiæ quantum ſatis:
Miſceantur.

Exhibetur Phthiſicis.

OPIATA DYSENTERICA *Richard.*

℞. Boli Armenæ Uncias tres,
Pulveris Gummi Arabici Unciam ſemis,
Theriacæ Andromachi,
Diaſcordii Fracaſtorii ana Uncias duas:
Miſceantur.
His ſi adjiciuntur
Balſami Locatelli Unciæ duæ,

Surgit *OPIATA DYSENTERICA BALSAMICA* Richard.

Prior ad ſiſtendam ſimplicem Dyſenteriam, hæc ad ulceratam adhibetur.

OPIATA FEBRIFUGA PURGANS *Richard.*

℞. Pulverum Corticis Chinæ Uncias quatuor,
Radicum Jalappæ,
Nitri depurati ana Drachmas tres,
Conſervæ Roſarum rubrarum Uncias duas,
Syrupi Cichorii cum Rhabarbaro quantum ſatis:
Miſceantur.

Leniter alvum ducit.

Ubi Radix Jalappæ omittitur, ſurgit OPIATA FEBRIFUGA SIMPLEX Richard.

OXYCRATUM *Galeni.*

℞. Aceti fortis,
Aquæ fontanæ ana partes æquales:
Miſceantur.

Ad Inflammationes & Sugillationes diſſipandas adhibetur.

OXYMEL CHALYBEATUM *Fuller.*

℞. Aceti chalybeati,
Mellis crudi ana partes æquales:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi & colentur.

Laudatur Reſolvendi ſcopo.

OXYMEL COLCHICUM *Stœrck.*

℞. Aceti Colchici Uncias ſedecim,
Mellis optimi Uncias triginta duas:
Leni igne coquantur ad conſiſtentiam Mellis.

Scopo Reſolvendi & Urinam ducendi ad aliquot Drachmas pro doſi, aliquoties de die exhibetur.

OXYMEL PECTORALE *Danorum.*

℞. Radicum Helenii Unciam unam,

Radicum Iridis Florentinæ Unciam ſemis:
Inciſæ coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis triginta ſex, ad reſiduum Unciarum viginti quatuor:
Colaturæ, ſubſidentia depuratæ, addantur
Mellis optimi Unciæ ſedecim,
Gummi Ammoniaci in octuplo Aceti ſoluti Uncia una:
Coquantur ad conſiſtentiam Mellis.
Cochleatim exhibetur Tuſſientibus & Aſthmaticis.

OXYMEL SCILLITICUM *Præpositi.*

℞. Mellis optimi Uncias triginta duas,
Aceti Scillitici Uncias ſedecim:
Coquantur ad conſiſtentiam Mellis.
Egregium Medicamentum ad Reſolvendum Mucum. Aſthmaticis morbisque Pituitoſis laborantibus cum ſucceſſu cochleatim exhibetur.

OXYMEL SIMPLEX *Hippocratis.*

℞. Mellis optimi Uncias duodecim,
Aceti Vini Uncias ſex:
Coquantur ad conſiſtentiam Mellis.
Valide Reſolvit, in Febribus præcipue Inflammatoriis ſalubriter datur, ad Gargariſmata quoque recipitur.

OXYSACCHARUM EMETICUM *Schrœder.*

℞. Pulveris Vitri Antimonii Unciam unam,
Aceti Vini Uncias duodecim:
Infundantur per viginti horas: liquori filtrato addantur
Sacchari albi Unciæ octo:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi.
Datur ad Unciam unam pro doſi.

PANACEA HOLSATICA

Videatur ARCANUM DUPLICATUM.

PANACEA MERCURIALIS *Lemery.* ANTIQUARTIUM *Riverii.* CALOMELAS.

Eſt Mercurius dulcis ſepties vel pluries ſublimatus, quem quidem cum Spiritu Vini adhuc digeri jubent.

Sunt qui contendant, iteratis Sublimationibus Mercurium dulcem vi Alvum ducendi privari, aptioremque reddi ad excitandum Ptyaliſmum.

PANES SACCHARATI PURGANTES.

℞. Farinæ Triticæ,
Pulveris Sacchari albi ana Uncias quatuor,
Vitellorum Ovorum Nro tres:
Probe agitentur dein diſtribuantur in orbiculos, quibus ſingulis determinatum Reſinæ Jalappæ, Pineis tritæ, pondus adjicitur; Coquuntur dein modo apud dulciarios uſitato.

Exhibentur Pueris.

PASSULÆ ET PRUNA LAXATIVA *Bergamenſium.*

℞. Foliorum Sennæ Uncias quatuor,
Cinnamomi Drachmas duas,
Zinziberis albi Drachmam unam ſemis:
Inciſa infundantur per biduum cum
Aquæ ferventis Unciis decem:
Colatura diſſolvantur
Sacchari albi Unciæ duodecim:
Poſt unicam ebullitionem denuo coletur liquor & ſuperfundatur
Paſſularum minorum vel Prunorum Damaſcenorum cum aqua ad mollitiem coctorum Unciis duodecim.

Quibus Alvus tarda eſt ad Unciam unam comedenda præbentur.

PASTA ALTHÆÆ *Pariſienſium.*

℞. Radicum Althææ inciſarum Uncias quatuor,
Coquantur ex

Aquæ fontanæ Unciis ſexaginta quatuor per octavam horæ partem:
Colaturæ addantur:
Gummi Arabici albiſſimi contuſi Unciæ duæ & triginta:
Hoc diſſoluto adjiciantur
Sacchari albi Unciæ duæ & triginta:
Coletur liquor & evaporetur ſub continua agitatione ad conſiſtentiam ſpiſſi Syrupi;
Tunc addantur
Albuminum Ovorum N°. ſex cum Aquæ Naphæ Unciis quatuor conquaſſatorum:
Evaporentur ſub perpetua & valida agitatione, donec in maſſam abierint, quæ dorſo manus applicata eidem non adhæreat; tunc effundantur ſuper laminam metallicam, Amylo conſperſam.

Tuſſientibus in ore liquanda exhibetur, ut acre vias aereas irritans demulceat.

PASTA AMYGDALATA COSMETICA.

℞. Farinæ Fabarum Uncias ſedecim,
Oryzæ,
Amygdalarum excorticatarum ana Uncias octo,
Myrrhæ electæ Uncias duas,
Camphoræ ſeſqui Unciam,
Saponis Veneti Uncias viginti:
Reducantur in Pulverem tenerrimum.

Ad ſcopos Coſmeticos adhibetur.

PASTA DEPILATORIA *Plenck.*

℞. Calcis vivæ Uncias ſedecim,
Amyli Uncias decem,
Auripigmenti Unciam unam:
In pulverem tritis affundatur ſenſim
Aquæ quantum ſatis:

ad

ad conſiſtentiam Paſtæ

Inunguntur hac Paſta loca piloſa, & dum coeperit ſicceſcere, pars aqua illico eſt abluenda.

PASTA LIQUIRITIÆ FUSCA *Pariſienſium.* SUC DE REGLISE DE BLOIS.

℞. Gummi Arabici electi Uncias triginta duas:
Diſſolvantur
Aquæ fontanæ quanto ſufficiente:
Colatura diſſolvantur
Succi Liquiritiæ Unciæ novem,
Sacchari albi Unciæ ſedecim:
Evaporentur lento igne ad conſiſtentiam Syrupi ſpiſſioris; Tunc addantur
Pulverum Radicum Enulæ,
Ireos Florentinæ ana Uncia ſemis:
Continuetur evaporatio, uſque dum maſſa refrigerata digitis non adhæreat, tunc addantur
Olei deſtillati Aniſi Scrupuli duo:
Effundatur Paſta ſuper marmor Oleo Amygdalarum dulcium inunctum, extendatur ope cylindri lignei eodem Oleo inuncti, tunc in parva quadrata diſſecetur.

Uſurpatur ut Paſta Althææ, cui ſiquidem Tuſſis à Muco ſpiſſo originem trahit, etiam præferenda videtur.

PASTA AD NÆVOS *PLENCK.*

℞. Saponis Veneti,
Calcis Vivæ ana partes æquales;
Terantur in paſtam.

Suadet Auctor vicinas partes Emplaſtro quodam adhæſivo, foramine Nævum tranſmittente perforato, defendere, & Nævo hanc paſtam imponere: aſſerit intra duodecim horas Nævum in Eſcharum tranſiturum & ſuccedente Suppuratione ſeceſſurum.

PASTILLI MERCURIALES *Pariſienſium.*

℞. Cinnabaris factitiæ lævigatæ Drachmas duas,

Succini præparati Drachmam unam :
Mixta formentur cum Mucilaginis Tragacanthæ idoneo quanto in Paſtillos.
Adhibentur pro Fumigatione Mercuriali.

PILULÆ ÆTHIOPICÆ BATEI.

℞. Æthiopis mineralis Unciam unam,
Pulverum Reguli Antimonii Medicinalis,
Gummi Guajaci ana Unciam ſemis,
Extracti Sarſaparillæ Unciam unam :
Miſceantur & formentur in Maſſam Pilularum.
Reſolvendi & Sanguinem depurandi ergo adhibentur, Scabioſis, Hydropicis, Ulceribus malignis laborantibus laudantur; Dantur ad Semidrachmam.

PILULÆ ALUMINOSÆ *Richard.*

Videatur Alumen tinctum.

PILULÆ de AMMONIACO *Quercetani.*

℞. Extracti Aloes aquoſi Uncias duas,
Pulverum Gummi Ammoniaci Unciam unam ſemis,
Myrrhæ,
Maſtychis,
Benzoes,
Rhabarbari ana Drachmas duas,
Croci Scrupulos duos,
Salis Abſynthii Drachmam unam:
Miſceantur in Maſſam Pilularum.
Reſolvendi fine Hypochondriacis, Aſthmaticis, Quartanariis &c. commendantur. Dantur ad Drachmam dimidiam.

PILULÆ ANGELICÆ *Auguſtanorum.*

℞. Aloes Succotrinæ Uncias duodecim :
Diſſolvantur
Succorum Cichorei,
Endiviæ,

Succorum Fumariæ,
Roſarum Damaſcenarum ana Unciis duodecim:
Colatura depuretur per ſubſidentiam & evaporetur ad conſiſtentiam Syrupi; addantur
Pulverum Rhabarbari Uncia una,
Agarici Uncia ſemis,
Cinnamomi Drachmæ duæ:
Miſceantur in Maſſam.

Leniter alvum ducunt, & Obſtructiones Viſcerum abdominalium oppugnant. Dantur ad Drachmam ſemis.

PILULÆ ANTHELMINTICÆ *Hoffmanni.*

℞. Pulverum Gummi Sagapeni,
Aſæ fœtidæ,
Rhabarbari electi,
Mercurii dulcis ana Drachmam unam:
Miſceantur & fiant cum
Eſſentiæ Gentianæ quantitate ſufficiente, Pilulæ Grani unius ponderis.

Vires ex nomine patent.

PILULÆ ANTIMONIALES *Kleinii.*

℞. Pulveris Antimonii Unciam unam,
Gummi Guajaci Drachmas duas,
Extracti Fumariæ Unciam ſemis;
Miſceantur & redigantur ſecundum artem in Maſſam.

Sanguinem depurandi ergo cum ſucceſſu dantur aliquoties de die ad Drachmam ſemis.

PILULÆ APERIENTES *Stahlii.*

℞. Extractorum Aloes Gummoſi Unciam unam,
Panchymagogi Unciam ſemis,
Alcohol Limaturæ Martis Drachmas duas:
Miſceantur.

Quibus ſegnior Alvus eſt, commendantur ad quindecim Grana.

PILULÆ BALSAMICÆ *Wolfii.*

℞. Raſuræ Saponis officinalis Unciam unam,
Terebinthinæ coctæ Unciam ſemis,
Reſinæ Jalappæ præparatæ,
Extractorum Aloes aquoſi,
Centaurii minoris,
Gentianæ ana Drachmas tres:
Miſceantur & fiant Pilulæ Granorum duorum ponderis.

Abſtergunt, Reſolvunt, Alvum ducunt. Doſis ad quadraginta uſque poteſt extendi.

PILULÆ BALSAMICÆ *Mortoni.*

℞. Pulverum Millepedum Drachmas tres,
Gummi Ammoniaci,
Florum Benzoes ana Drachmam unam,
Extracti Croci,
Balſamorum Peruviani ana Scrupulum ſemis,
Sulphuris Aniſati quantitatem ſufficientem:
Fiat Maſſa Pilularum.

In metu Tuberculorum Pulmonis dantur ad Scrupulum dimidium.

PILULÆ CÆRULEÆ *Edinburgenſium.*

Videatur Specificum Antepilepticum Weismann.

PILULÆ CATARRHALES *Danorum.*

℞. Extracti Panchymagogi Unciam unam,
Mercurii dulcis Unciam ſemis,
Reſinæ Jalappæ, Pineis tritæ, Drachmam unam,
Quintæ Eſſentiæ Corticum Aurantiorum Guttas triginta:
Miſceantur in Maſſam.

Ad educendum & attenuandum Serum exhibentur. Dantur ad Scrupulum unum pro doſi.

PILULÆ CEPHALICÆ *Danorum.*

℞. Maſſæ Pilularis de Succino,

Extractorum Rhabarbari,
Panchymagogi,
Reſinæ Jalappæ, Pineis tritæ, ana Unciam ſemis:
Miſceantur in Maſſam.

Evacuandi ergo dantur in affectibus Capitis ſeroſis. Doſis eſt ad Drachmam ſemis.

PILULÆ COCHIÆ *Rhasis.*

℞. Specierum pro Hiera picra Drachmas decem,
Pulverum Trochiſcorum Alhandal Scrupulos decem,
Diagrydii Drachmas duas ſemis,
Stœchadis Arabicæ,
Radicum Turbith ana Drachmas quinque,
Syrupi Stœchados quantum ſatis:
Miſceantur & formentur in Maſſam.

Ad Caput Pituita evacuandum olim adhibebantur. Dantur ad Drachmam ſemis vel Scrupulos duos.

PILULÆ COMMUNES.

Videantur Pilulæ Rufi.

PILULÆ de CYNOGLOSSO *Manardi.*
CATAPOTIA ad CATARRHOS *Mesue.*

℞. Pulverum Radicis Cynogloſſi,
Seminis Hyoſcyami,
Opii depurati ana Unciam ſemis,
Myrrhæ electæ Drachmas ſex,
Olibani Drachmas quinque,
Styracis Calamitæ,
Caryophyllorum,
Cinnamomi ana Drachmas duas,
Croci ſeſqui Drachmam:
Miſceantur & fiat cum Syrupi Violarum idoneo quanto Maſſa.

Olim a Stahlianis maxime Sopiendi ſcopo ad Grana quinque uſque pro Doſi dabantur. Drachma una de Opio & de Semine Hyoſcyami Grana octo continet.

PILULÆ DEPURANTES *Richard.*

℞. Sulphuris Aurati Antimonii,
Mercurii dulcis ana Drachmas duas,
Gummi Guajaci Unciam ſemis:
Pulveriſatis addatur
Balſami Copaibæ Drachma una:
Miſceantur & formentur in Maſſam.

Depurandis Humoribus dantur ad Scrupulum ſemis aliquoties de die.

PILULÆ FOETIDÆ *Whytt.*

℞. Aſæ fœtidæ Drachmas tres.
Aloes,
Vitrioli Martis ana Drachmam unam:
Miſceantur, Fiat Maſſa Pilularum.

Hujus Scrupuli duo aliquoties de die Hypochondriacis & Hyſtericis dantur.

PILULÆ HYDRAGOGÆ *Helvetii.*

℞. Granorum Tigliorum,
Gummi Guttæ,
Diagrydii Sulphurati ana Unciam ſemis,
Radicum Jalappæ,
Rhabarbari ana Drachmas duas,
Macis Drachmam unam,
Rob Sambuci Unciam ſemis,
Miſceantur in Maſſam Pilularum.

Valide Evacuant. Drachma una Granorum Tigliæ Gummi Guttæ & Diagrydii de ſingulis undecim circa Grana continet; quapropter Doſis ad Scrupulum unum eſt limitanda.

PILULÆ HYDROPICÆ *Bontii.*

℞. Aloes Succotrinæ Drachmas quinque,
Gummi Guttæ,
Ammoniaci ana Drachmas tres:

In pulverem redacta formentur in Maſſam.

Hydropicis reſolvendi cauſa ad Grana quindecim, evacuandi autem fine ad Drachmam ſemis dantur.

PILULÆ HYDROPICÆ *Richard.*

℞. Aloes Succotrinæ Unciam ſemis,
Gummi Ammoniaci Drachmas duas:
Guttæ,
Diagrydii,
Arcani duplicati ana Drachmas tres,
Pulveriſata reducantur cum
Oxymellis Scillitici quantitate ſufficiente in Maſſam Pilularem.

Prioribus validiores dantur eadem doſi.

PILULÆ HYSTERICÆ *Pariſienſium.*

℞. Gummi Opoponacis Unciam unam,
Ammoniaci,
Galbani,
Sagapeni ana Unciam ſemis,
Myrrhæ Drachmas duas,
Aſæ fœtidæ,
Caſtorei Ruſſici ana Drachmas tres:
In pulverem redactis immiſceatur
Olei deſtillati Succini Scrupulus unus,
Mithridatii quantitate ſufficiente: Fiat Maſſa pilularis.

Scopo aperiendi adhibentur; Hyſtericis præcipue commendantur; doſis eſt ad Drachmam ſemis.

PILULÆ MAJORES *Hoffmanni.*

℞. Mercurii ſublimati Drachmam unam:
Diſſolvatur
Aquæ deſtillatæ quanto ſufficiente:
Hac ſolutione imbuantur

Micæ Panis Drachmæ novem:
Fiant Pilulæ Grani unius pondere.

Liquoris Siphylitici vires habent, eo commendabiles, quod nullo ſapore metallico moleſtæ ſunt, & cum ſenſim modo in Ventriculo ſolvantur, nulla inde irritatio metuenda. Quatuor aut quinque Pilulæ exhibentur ter de die.

PILULÆ MARTIALES *Sydenhami.*

℞. Alcohol Limaturæ Martis Uncias duas,
Extracti Abſynthii quantum ſatis ad formandam Maſſam Pilularem.

Hypochondriacis & Hyſtericis conducunt. Auctor illas in Diſſertatione Epiſtolari deſcribit. Dantur bis de die ad Scrupulum unum pro doſi.

PILULÆ MASTICHINÆ *Petri Aponensis.*

℞. Aloes electæ Drachmas decem,
Maſtychis electæ Unciam ſemis,
Agarici optimi Drachmas tres:
Reducantur in Maſſam Pilularem.

Ventriculo roborando inſerviunt; dantur ad Drachmam ſemis.

PILULÆ MERCURIALES *Barbarossæ* à *Lemery* correctæ.

℞. Hydrargyri Drachmas ſex:
Extinguantur
Terebinthinæ quantitate ſufficiente:
Addantur
Pulverum Aloes Drachmæ ſex,
Agarici albi Uncia ſemis,
Rhabarbari electi Drachma una:
Miſceantur & formentur in Maſſam Pilularem.

In morbis Venereis & Lymphæ exhibentur ad Drachmam unam pro doſi.

PILU-

PILULÆ MERCURIALES *Belloste a Baumé* correctæ.

℞. Mercurii vivi e Cinnabari revificati Unciam unam,
Cremoris Tartari Unciam ſemis:
Triturentur uſque dum globuli Mercuriales diſparuerint:
Tunc addantur
Diagrydii,
Pulveris Jalappæ ana Uncia una:
Mixta formentur cum Syrupi Capillorum Veneris quantitate ſufficiente in Maſſam pilularem.

Viribus cum prioribus conveniunt, dantur ad Drachmam ſemis.

PILULÆ CONTRA OBSTRUCTIONES *Stahlii.*

℞. Extractorum Panchymagogi Drachmam unam,
Aloes gummoſi Drachmas duas,
Alcohol Limaturæ Martis Drachmam ſemis:
Mixta formentur in Maſſam Pilularem.

Frequenti olim in uſu apud Germanos maxime fuerunt in reſerandis Viſceribus Abdominalibus. Doſis eſt ad Grana decem, per plures dies continuanda.

PILULÆ OPHTHALMICÆ *Schmucker.*

℞. Gummi Galbani,
Sagapeni,
Saponis officinalis ana Drachmam unam,
Pulveris Rhei electi Drachmam unam ſemis,
Succi Liquiritiæ Drachmam unam,
Tartari Emetici Grana ſedecim:
Miſceantur & formentur Pilulæ Grani unius ponderis.

Mane & veſperi ſumantur quindecim Pilulæ per ſex ſeptimanas contra Suffuſionem.

PILULÆ *Plumerii.*

℞. Mercurii dulcis,
Sulphuris Aurati Antimonii ana Drachmas ſex,
Extracti Gentianæ Unciam ſemis:

Probe mixta formentur in Maſſam Pilularem.

Multum celebrantur in Morbis Venereis & Lymphæ. Dantur ad Drachmam dimidiam vel Scrupulos duos pro doſi.

PILULÆ POLYCHRESTÆ BALSAMICÆ ad mentem BECHERI ET STAHLII.

℞. Extractorum Aloes,
Myrrhæ aqua frigida paratorum ana Uncias duas,
Abſynthii Unciam unam ſemis,
Centaurii minoris Unciam unam,
Cardui benedicti Unciam unam ſemis,
Fumariæ Unciam unam,
Cochleariæ Unciam unam ſemis,
Rhabarbari,
Terebinthinæ Venetæ ana Unciam unam:
Miſceantur in Maſſam Pilularem.

Non levem quæſtum cum his Pilulis varii Germaniæ Medici fecerunt. Ad reſerandas Viſcerum Abdominalium obſtructiones, ut & Menſium præcipue commendantur. Dantur ad Drachmam ſemis.

PILULÆ POLYCHRESTÆ STARCKEY.

℞. Saponis Chemici cum Oleo Terebinthinæ parati Uncias quatuor,
Extracti Opii aquoſi Unciam unam,
Pulveris Radicis Hellebori albi Uncias duas:
Probe mixta formentur in Maſſam Pilularem.

Medicamentum inconcinnum, Alchemicis commentis ſuperſtructum omnino a re Medicamentaria removendum videtur; quo vero qui uti voluerit, non ultra tria Grana doſin extendat.

PILULÆ RESOLVENTES DARELII.

℞. Saponis officinalis Uncias duas cum ſemiſſe,
Pulveris Gummi Ammoniaci,

Pulverum Tartari Vitriolati,
Bilis bovinæ inſpiſſatæ,
Rhabarbari,
Extracti Abſynthii ana Drachmas ſex:
Miſceantur cum Syrupi Abſynthii quanto convenienti in Maſſam Pilularem.

Inimicæ maxime feruntur Ictero; doſi exhibentur eadem, qua SAPONATÆ, quarum ſuperant etiam efficaciam.

PILULAE *Rufi* correctæ.

℞. Extractorum Aloes gummoſi Unciam unam,
Myrrhæ gummoſi Unciam ſemis,
Pulveris Croci Drachmas duas:
Miſceantur cum Succi Limonum quanto conveniente in Maſſam Pilularum.

Ad reſerandas Obſtructiones Abdominales faciunt; laudantur quoque adverſus Peſtem. Doſis ad Drachmam ſemis excurrit.

PILULAE SAPONATAE *Kleinii*.

℞. Saponis officinalis Unciam unam,
Gummi Ammoniaci depurati,
Extracti Centaurii minoris ana Unciam ſemis:
Olei deſtillati Succini Guttas decem:
Miſceantur in Maſſam.

Aperiendi ſcopo ad Drachmam ſemis aliquoties de die dantur.

PILULAE SCILLITICAE *Edinburgenſium*.

℞. Scillæ præparatæ,
Gummi Ammoniaci depurati ana Unciam ſemis,
Reducantur in pulverem; addantur
Millepedum præparatorum Uncia ſemis,
Saponis officinalis Uncia una:
Reducantur cum Oxymellis Scillitici idoneo quanto in Maſſam Pilularum.

Egregie reſolvunt & aperiunt: in Obſtructionibus Viſcerum Abdominalium, & mucoſis Pectoris morbis; ter de die ad Scrupulum unum exhibentur.

PILULAE DE STYRACE *Schrœderi* correctæ.

℞. Styracis Calamitæ Unciam ſemis,
Succi Liquiritiæ Drahmas tres,
Olibani,
Benzoes,
Maſtichis,
Extracti Opii aquoſi ana Drachmas duas,
Croci Orientalis Drachmam unam:
Pulveriſata reducantur cum Eſſentiæ Succini quanto conveniente in Maſſam pilularem.

Drachma una ſeptem cum dimidio grana Opii continet. Dantur Tuſſientibus ſopiendis ad Grana duodecim.

PILULAE DE SUCCINO *Cratonis.*

℞. Succini præparati Unciam unam ſemis,
Pulverum Maſtychis Unciam unam,
Agarici optimi Drachmas ſex,
Radicis Ariſtolochiæ rotundæ veræ Drachmas duas,
Aloes Succotrinæ Uncias duas ſemis:
Miſceantur & formentur cum Eſſentia Succini in Maſſam.

Olim frequens earum uſus erat in Affectibus Capitis atque Catarrhis. Ad Drachmam ſemis pro Doſi dabantur.

PILULAE TARTAREAE *Schrœderi.*

℞. Aloes Succotrinæ Unciam unam,
Gummi Ammoniaci Drachmas tres,
Vitrioli Martis,
Extractorum Croci ana Drachmam unam,
Gentianæ Drachmam unam ſemis;
Terræ foliatæ Tartari Drachmas duas:

Mixta reducantur ſecundum artem cum Tinctura Tartari in Maſſam pilularem.

Hæc Pilularum Tartarearum compoſitio reliquis quorumcunque Auctorum omnino præferenda eſt. Reſolvit & roborat, quapropter aperiendi cauſa in morbis ab obſtructis Viſceribus Abdominalibus oriundis ad Drachmam ſemis pro doſi datur.

PILULAE DE TEREBINTHINA *Richard.*

℞. Boli Armenæ præparatæ,
Oſſis Sepiæ ana Unciam ſemis,
Succini præparati,
Maſtyches ana Drachmas duas,
Rhei electi Drachmam unam,
Terebinthinæ coctæ Unciam unam & ſemis:
Reducantur in pulverem & cum Syrupo Balſamico formentur in Maſſam Pilularum.

Ad ſiſtendam Gonorrhæam Scrupulus unus ter de die exhibetur.

PILULAE TONICAE *Bacher.*

℞. Extracti Hellebori nigri vinoſi,
Myrrhæ aquoſi ana Unciam unam,
Pulveris Cardui benedicti Drachmas tres & Scrupulum unum:
Miſceantur & inde formentur Pilulæ Grani dimidii ponderis.

Hydropicis multum laudantur, dantur ad decem ter de die, quæ vero doſis pro ratione effectus augeri minuive poteſt.

PILULAE contra VARIOLAS *Rosen.*

℞. Pulverum Gummi Guajaci Grana ſedecim,
Mercurii dulcis Grana duodecim,
Camphoræ, Pineis tritæ, Grana octo,
Extracti Aloes Grana duodecim:
Miſceantur in Maſſam pilularem.

Dantur tam prophylactico ſcopo quam corporis ad Inoculationem præparandi gratia. Doſis pro ratione ætatis augetur, ad-

dita juſta Reſinæ Jalappæ portione adſcopum quoque Catharticum aptatur.

PLUMBUM USTUM *Celsi.*

Plumbum in patina terrea liquatum agitatur uſque dum in calcem gryſeam abierit.

Vires adſtringentes & exſiccantes exſerit; ad uſus potiſſimum externos adhibetur.

POSCA *Galeni.*

℞. Aquæ partes duas,
Vini partes tres:
Paulum coquantur.

In morbis Malignis vires roborantes putredinique reſiſtentes prodit.

POTIO ADSTRINGENS *Richard.*

℞. Succi Hypociſtidis Drachmam unam,
Sanguinis Draconis,
Aluminis ana Drachmam ſemis:
Pulveriſatis adjiciantur
Ptiſanæ adſtringentis Unciæ quatuor,
Syrupi de Myrtho Uncia una:
Miſceantur.

Vires nomen indicat.

POTIO AMMONIACA *Richard.*

℞. Gummi Ammoniaci Drachmas duas:
Diſſolvantur in
Oxymellis Scillitici Uncia una ſemis,
Ptiſanæ communis Unciis duodecim:
Miſceantur.

Dantur Aſthmaticis ad Cochlearia duo alternis horis.

POTIO ANTISEPTICA *Richard.*

℞. Corticis Chinæ,

Radicis Serpentariæ Virginianæ ana Drachmas tres:
Incidantur & coquantur cum
Aquæ Unciis ſedecim ad octo reſiduas Uncias:
Sub finem addatur
Florum Chamomillæ Romanæ Drachma una:
Colaturæ addantur
Spiritus Nitri dulcis Drachma ſemis,
Aquæ Cinnamomi vinoſæ,
Syrupi Limonum ana Uncia una:
Miſceantur.
Exhibetur in morbis Malignis per cyathos.

POTIO AD ASTHMA *Fuller.*

℞. Millepedum vivorum centum & viginti:
Contuſis ſenſim affundantur
Aquæ Pulegii Unciæ octo:
In liquore fortiter expreſſo diſſolvantur
Pulveris Gummi Ammoniaci Drachmæ tres,
Spiritus Salis Ammoniaci Drachmæ duæ,
Syrupi Balſamici Uncia una.
Egregium prorſus Medicamentum ad Aſthma pituitoſum & flatulentum, aliquoties de die cochleatim exhibendum.

POTIO CONFORTANS ACIDULATA *Richard.*

℞. Confectionum de Hyacintho,
Alkermes ana Drachmam unam,
Liquoris Anodyni mineralis *Hoffmanni* Scrupulos duos,
Syrupi Acetoſitatis Citri Unciam ſemis,
Vini rubri,
Aquæ communis ana Uncias duas:
Miſceantur.
In morbis Malignis exhibetur cochleatim.

POTIO CRETACEA *Edinburgenſium.*

℞. Cretæ præparatæ,

Pulverum Gummi Arabici ana Unciam unam,
Sacchari Unciam ſemis,
Aquæ fontanæ Uncias viginti quatuor,
Spiritus Nucis Moſchatæ Uncias duas:
Miſceantur.
Dantur per Cyathos contra Sodam.

POTIO OLEOSA *Richard.*

℞. Olei Amygdalarum dulcium,
Syrupi Althææ ana Unciam unam,
Ptiſanæ pectoralis Uncias tres:
Miſceantur.
Relaxandi, demulcendi, nec non Antiſpasmodico ſcopo exhibetur. In finem diureticum adduntur
Nitri depurati Grana octo,
Spiritus Nitri dulcis Guttæ duodecim.

POTIO SISTENS *Richard.*

℞. Confectionis de Hyacintho Drachmas tres,
Syrupi Cydoniorum Unciam unam,
Decocti Corticum Aurantiorum Uncias quatuor:
Miſceantur.
Fluxibus Alvi laborantibus cochleatim præbetur.

PRAEPARATA

Dicuntur Lapides Terræ Oſſave in pulverem redacta, ſuper marmore, vel quod utique melius eſt, ſuper porphyrite ope aquæ in Maſſam coacta, in qua nec oculis nec digitis ſenſibilis ulla relinquatur aſperitas; ope anſerini denique calami per infundibulum in exiguas pyramides efformata & exſiccata.

PTISANA

Veteribus Medicis dicebatur Decoctum Hordei mundati, hodie pro Decocto, quod potus ordinarii vicem ſuſtineat, uſurpatur.

PTI-

PTISANA ACIDULATA seu LIMONADA MINERALIS *Richard.*

℞. Ptiſanæ communis Uncias quatuor & ſexaginta,
Spiritus Vitrioli quantum ſatis ad gratam aciditatem,
Quintæ Eſſentiæ Citri Guttas quatuor,
Pulveris Sacchari Uncias duas:
Miſceantur.

Fallendæ ſiti, in morbis præcipue Bilioſis inſervit.

PTISANA ADSTRINGENS *Richard.*

℞. Radicis Tormentillæ Drachmas ſex:
Coquantur per dimidiam horam cum
Aquæ fontanæ centum & quadraginta quatuor Unciis:
Sub finem addantur
Radicum Conſolidæ majoris Drachmæ ſex,
Glycyrrhizæ Uncia ſemis:
Colentur.

Nomen ab ipſa virtute deſumtum.

PTISANA COMMUNIS *Richard.*

℞. Hordei integri Unciam unam,
Radicis Graminis inciſæ Unciam ſemis:
Coquantur per dimidiam horam cum
Aquæ fontanæ Unciis quatuor & ſexaginta;
Sub finem addantur
Radicis Liquiritiæ Drachmæ duæ;
Colentur.
Huic Ptiſanæ ſi adjicitur
Nitri depurati Drachma ſemis,
Evadit PTISANA NITRATA *Richard.*

PTISANA PECTORALIS *Richard.*

℞. Radicum Althææ Unciam ſemis,
Liquiritiæ Drachmas tres,

Caricarum pinguium Drachmas duas,
Florum Papaveris Rhœados Scrupulum unum:
Inciſa coquantur paululum cum
Aquæ fontanæ Unciis quatuor & ſexaginta.

PULPAE

Parantur ex Radicibus aut Fructibus ſiccis, quæ cum aqua coquuntur, uſque dum molleſcant, dein cribro imponuntur & ope ſpatulæ ligneæ, per ejus foramina Pulpa tranſprimitur. Radices bulboſæ & Fructus carnoſi ſine prævia cum aqua coctione in mortario lapideo aut ligneo contunduntur & deinde per cribrum trajiciuntur.

PULPA CASSIAE *Valerii Cordi.*

Ex ſiliquis Caſſiæ Fiſtulæ inſtrumenti lignei ope ipſo uſus tempore optime ſeparatur, per cribrum trajecta a ſeminibus aliisque quæ ipſi adhærent, quisquiliis commode purgatur. In Officinis, quæ proſtat, dicta quidem ratione ex ſiliquis ſeparatur, ſed ut tota obtineatur, ſiliquas præterea cum aqua eluunt aquæ deinde Pulpæ additæ & mixtim per cribrum coactæ quartam Sacchari partem adjiciunt & cuncta coquunt, uſque dum conſiſtentia Electuarii ſurgat.

Datur ad Uncias duas & ultra ſcopo Cathartico.

PULPA CASSIAE PRO CLYSTERIBUS *Viennenſium.*

℞. Herbarum quinque Emollientium Uncias tres,
Florum Chamomillæ Unciam unam:
Inciſa coquantur paululum cum
Aquæ fontanæ Unciis triginta ſex:
Decocto eluatur Pulpa ſiliquarum Caſſiæ; Liquor colatus evaporetur ad conſiſtentiam Electuarii, cujus uni parti immiſceatur
Sacchari Thomæi pars una ſemis.

Aliquot Unciæ diſſolvuntur in aqua pro uno Clyſtere.

PULPA TAMARINDORUM.

Paratur ex Tamarindis ratione ſub PULPA CASSIAE indicata.

PULTICULA DE MANNA.

Videatur Electuarium de Manna.

PULTICULA SAPONACEA.

℞. Saponis Officinalis Drachmam ſemis:
Diſſolvatur
Aquæ Menthæ Drachmis tribus:
Addantur
Vitelli Ovi Drachma una,
Magneſiæ albæ Scrupuli duo,
Pulveris Rhabarbari Scrupulus unus,
Syruporum Althææ FERNELII,
Chamomillæ ana Drachmæ duæ:
Miſceantur.

Cum ſucceſſu contra Tormina Infantum adhibetur.

PULVERES.

Canones.

I. Parantur ſubſtantias ſolidas in mortario piſtilli ope tundendo & triturando, partes in juſtam tenuitatem redactæ a reliquis ope cribri ſericei ſegregantur.

II. Tenaciores Vegetabilium & Animantium partes, ut friabiles evadant, prius calori ſunt exponendæ; quin etiam inſtrumentis ſcindentibus, ſecantibus &c. comminui ſolent, ante quam ictibus piſtilli exponantur.

III. Mortaria & piſtilla metallica facile labem aliquam Pulveribus affricant.

IV. Duriores lapides, ut in pulverem comminui poſſint, ignitione & ſubſequente extinctione efficitur.

V. Sicca nec tenacia, ubi in tenerrimum pulverem piſtilli & mortarii ope fuerint comminuta, in paſtam inſuper aquæ ope ſuper Porphyrite rediguntur & teruntur, uſque dum nec oculis conſpicua nec digitorum apicibus ſenſibilis ulla amplius aſperitas remaneat; quo facto per infundibulum in parvas pyramides transmittuntur, & *Præparatorum* nomine inſigniuntur.

VI. Quodſi vero acria in pulverem ſunt redigenda, mortarium aut cribrum operculo ligneo aut coriaceo exacte tegendum eſt, ne pulvere in auras diſperſo lædatur operator.

VII. Aliquanto majori vegetabilis in pulverem comminuendi quantitati ſubinde aliquot aquæ guttæ ſunt affundendæ, quibus nimia pulveris diſturbatio caveatur.

VIII. Majori parte per cribrum tranſmiſſa, quæ remanent fragmina tanquam rejectamenta relinquuntur.

IX. Corticum, Lignorum, Radicum reſina turgentium, qui poſterius obtinentur pulveres prioribus ſunt efficaciores; reliquis omnino virtute præſtant. Peracta igitur pulveriſatione omnes demum pulveres ſucceſſive obtenti quam curatiſſime miſceri debent.

X. Nuclei, niſi ipſis ſicca adjiciantur, in pulverem redigi nequeunt.

XI. Reſinæ & Gummi Reſinæ non niſi hyeme in pulverem teri poſſunt; paucæ earum portiones, in compoſitiones magiſtrales recipiendæ, ope Sacchari aut Nucleorum in formam pulveris coguntur.

XII. Omnia mollia & liquida, ſi quidem ipſis juſta ſiccorum ratio adjicitur, in pulveres poſſunt recipi.

XIII. Pulveres, qui ab aëre læduntur, in vitris probe obturatis aſſervari debent.

PULVIS ABSORBENS *Wedelii*.

℞. Vitrioli Martis Drachmas ſex,
Concharum præparatarum Uncias duas ſemis,

Coralliorum rubrorum,
Antimonii Diaphoretici,
Cinnabaris factitiæ ana Drachmas decem,
Extracti Opii aquoſi,
Olei deſtillati Caryophyllorum ana Drachmam unam.
Miſceantur. Fiat Pulvis.

Acrimoniam acidam tollit, ejus cauſas profligat, Dolores & alia ſymptomata inde orta curat. Doſis eſt ad Drachmam ſemis.

PULVIS ALTERANS *Plummer* SIVE *Edinburgenſium.*

℞. Panaceæ Mercurialis,
Sulphuris Aurati Antimonii Meuderi ana partes æquales:
Miſceantur triturando exactiſſime per quadrantem horæ.

Ad curandos morbos Cutaneos egregie conducit, quin cum ſucceſſu etiam contra Miaſma venereum exhibetur. Doſis eſt ad Grana octo bis de die. Camphora ſi additur, ſurgit MERCURIUS DIAPHORETICUS Klein.

PULVIS ANODYNUS *Doveri.*

℞. Nitri,
Tartari Vitriolati ana Uncias duas:
Injiciantur in crucibulum candens ibique relinquantur, donec omnis ſcintillatio ceſſaverit; ſat refrigeratus redigatur in pulverem, cui addantur
Pulverum Opii,
Liquiritiæ,
Ipecacuannæ ana Uncia una:
Miſceantur exacte.

Ad ſiſtendos Alvi fluxus & Hæmorrhagias ad Drachmam unam exhibetur.

PULVIS ANTARTHRITICUS PURGANS *Perard.*

℞. Seminum Carduibenedicti,
Carthami,
Diagrydii,

Radicum Salſaparillæ
Chinæ,
Ligni Quajaci ana Unciam ſemis,
Cryſtallorum Tartari,
Foliorum Sennæ ſine ſtipitibus ana Unciam unam,
Cinnamomi Drachmas duas:
Reducantur in Pulverem & miſceantur.

Materiem Podagricam evacuare putatur, ſi ſingulis menſibus verſus Novilunium ejus Drachma una aſſumatur.

PULVIS ANTARTHRITICUS *Ducis Portlandiæ* ſive *Mirandolæ*, ARTHRITICUS AMARUS *Pariſienſ.*

℞. Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Gentianæ,
Summitatum Chamædrys,
Chamæpytis,
Centaurii minoris ana partes æquales:
Mixta redigantur in Pulverem.

Medicamentum jam ſub initio ſuperioris ſeculi uſitatum majorem in modum in morbis Rhevmaticis & Arthriticis, in Podagra maxime laudatur. Ejus Drachma una quotidie mane exhibetur.

Rhedingius & Wirssung Radicem Rhabarbari Monachorum addunt. Crato formulæ præſcriptæ duplum Ligni Quajaci adjicit.

PULVIS ANTHELMINTICUS *Geoffroy.*

℞. Pulverum Corallinæ,
Corticis Mori ana Drachmam unam,
Radicum Rhabarbari electi,
Filicis,
Summitatum Tanaceti ana Drachmam ſemis,
Æthiopis mineralis Drachmas duas:
Probe miſceantur.

Datur ad Drachmam unam aliquoties de die.

PULVIS ANTIFEBRILIS *Triller.*

℞. Corticis Chinæ Unciam ſemis,

Lapidum Cancrorum citratorum Drachmas duas,
Concharum præparatarum Drachmam unam,
Diaphoretici Martialis,
Nitri depurati ana Drachmam ſemis:
Miſceantur; fiat Pulvis.

Triller hunc Pulverem in omnis generis Febribus Intermittentibus Medicis commendat, ejusque uſum innumeris fere ægrotis ſaluberrimum, nec niſi in uno vel altero fallacem expertum eſſe aſſeverat. Datur ad Drachmam unam pro Doſi.

PULVIS ANTIHECTICUS *Fordyce.*

℞. Salis Polychreſti Scrupulum ſemis,
Rhabarbari veri Grana ſex;
Miſceantur; Fiat Pulvis.

Hunc Pulverem per quatuordecim dies uſurpatum egregios in curanda Hectica & Rachitide effectus edidiſſe, Auctor ipſe expertus teſtatur.

PULVIS ANTILYSSUS *Comitis Isenburg.*

℞. Cornu Cervi uſti præparati Unciam unam,
Coralliorum rubrorum præparatorum Drachmas duas,
Margaritarum Occidentalium præparatarum Drachmam unam,
Succini albi præparati Drachmam ſemis,
Foliorum Auri N°. quinque,
Argenti N°. duo:
Miſceantur.

PULVIS ANTILYSSUS *Mead.*

℞. Lichenis cinerei terreſtris Uncias duas,
Piperis nigri Unciam unam:
Miſceantur & redigantur in Pulverem.
Datur ad Scrupulos quatuor.

PULVIS ANTILYSSUS *Palmarii* ſive *Jacobi Sylvani Domini de Pyrou.*

℞. Herbarum Rutæ,

Herbarum Verbenæ,
Salviæ,
Plantaginis,
Polypodii,
Abſynthii,
Menthæ,
Artemiſiæ,
Meliſſophylli,
Betonicæ,
Summitatum Hyperici,
Centaurii minoris ana partes æquales:
Miſceantur & reducantur in Pulverem.

Multum imo nimium celebratus hic Pulvis quotidie ad Drachmam dimidiam exhiberi jubetur.

PULVIS ANTILYSSUS *Tunquinenſium.*

℞. Moſchi optimi Grana ſedecim,
Cinnabaris præparatæ Grana duo & triginta:
Miſceantur; Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Datur pro doſi, a Cane rabido morſis, una, alternis etiam horis repetenda; in Morbis Exanthematicis, Variolis maxime ad Scrupulum unum; Maniacis ad Scrupulos duos cum dimidio; ad Grana duodecim in Singultu, qui Febribus inflammatoriis accedit.

Cum hodie inter omnes conſtet, tantopere a multis celebrata Specifica contra Morſum Canis rabidi, quam exiguæ ſint efficaciæ, plura congerere nolui.

PULVIS ANTISEPTICUS *Plenck.*

℞. Pulverum Corticis Peruviani,
Rutæ ana Uncias duas,
Camphoræ, Spiritu Vini tritæ, Uncias tres:
Miſceantur.

Inſpergitur partibus Gangrænoſis.

PUL-

PULVIS ANTISPASMODICUS *Roſenſteinii.* SEDATIVUS *Suecorum.*

℞. Opii depurati Scrupulum ſemis,
Nitri depurati Scrupulos quinque,
Sacchari albiſſimi Unciam unam:
Miſceantur & redigantur in Pulverem.

PULVIS ANTISPASMODICUS *Stahlii.*

℞. Nitri depurati,
Tartari Vitriolati ana Uncias duas,
Cinnabaris rectificatæ Drachmam unam ſemis:
Miſceantur & cogantur in Pulverem tenerrimum.

Propter virtutem Sanguinis æſtum temperandi Spaſmosque ſiſtendi magnopere commendatur. Datur ad Drachmam ſemis.

PULVIS ARI COMPOSITUS.

Videatur Pulvis Stomachicus *Birckmanni.*

PULVIS AURATUS *Dreſdenſis ſive Germanorum.*

Videatur Pulvis Cordialis *Cellenſis.*

PULVIS BEZOARDICUS ANGLICUS seu *Comitissæ* de *Kent*, seu *Gasconii.*

℞. Apicum nigrorum Chelarum Cancrorum marinorum Uncias duas,
Margaritarum præparatarum,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Oculorum Cancrorum citratorum,
Cornu Cervi uſti ana Unciam unam,
Lapidis Bezoar Orientalis,
Terræ Lemniæ ana Unciam ſemis,
Ceruſſæ Antimonii Uncias duas,
Ambræ gryſeæ parum Sacchari tritæ Drachmam unam ſemis:
Miſceantur & reducantur in Pollinem.

Gaſconium quendam hunc Pulverem Epiſcopo Vigoniæ ter centum libris Anglicis vendidiſſe tradunt. Seculi quo primum uſurpabatur, genium ſpirat.

PULVIS BEZOARDICUS *Ludovici*.

℞. Cornu Cervi ſine igne præparati Uncias tres,
Terræ ſigillatæ albæ,
Unicornu foſſilis ana Unciam unam ſemis:
Miſceantur; Fiat Pulvis.

Hoc pulvere vulgus in morbis Exanthematicis utitur. Cum hodie ex ſaniore Praxi Pulveres Bezoardici exulare jubeantur, plures colligere nolui.

PULVIS CACHECTICUS *Quercetani*.

℞. Limaturæ Martis Unciam unam,
Radicum Ari,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Matris Perlarum præparatæ ana Drachmas duas,
Cornu Cervi ſine igne præparati,
Succini præparati,
Cinnamomi ana Scrupulos quatuor,
Ambræ gryſeæ Drachmam unam ſemis,
Sacchari albi ad pondus omnium:
Miſceantur, Fiat Pulvis.

Hunc Pulverem, quem Auctor in Pharmacop. Dogmat. reſtitut. L. I. Cap. 15. deſcribit, poſt uſum Incidentium & Reſolventium per quindecim continuos dies adhiberi jubet. Doſis eſt ad quatuor Scrupulos: INCOMPLETUS, id eſt, omiſſa Ambra vulgo proſtat.

PULVIS CARMINATIVUS *Mynsichti*.

℞. Seminum Cumini,
Carvi,
Aniſi ana Uncias tres,
Radicum Zinziberis Drachmas ſex,

Macis Drachmas tres,
Croci Drachmam unam:
Miſceantur; Fiat Pulvis.
Drachma una ad pellendos Flatus adhibetur.

PULVIS CONTRA CASUM *Auguſtanorum.*

℞. Terræ ſigillatæ,
Sanguinis Draconis,
Mumiæ ana Unciam ſemis,
Spermatis Ceti Drachmas duas,
Rhabarbari Drachmam unam:
Miſceantur; Fiat Pulvis.
Medicamentum minime ad ſcopum faciens quibusdam in locis in gratiam vulgi aſſervatur, qui illud lapſis ad Scrupulos duos exhibet.

PULVIS CARTHUSIANORUM.

Videatur Kermes Minerale.

PULVIS E CERUSSA *Londinenſium.*

℞. Ceruſſæ Venetæ Uncias quinque,
Gummi Sarcocollæ Unciam unam ſemis,
Tragacanthæ Unciam ſemis:
Miſceantur, Fiat Pulvis.
Ad ſiccanda Ulcera & curandum Eryſipelas extus adhibetur.

PULVIS COMITIS DE *WARWICK.*

Videatur Pulvis *CORNACHINI.*

PULVIS *COMITISSÆ* DE *KENT.*

Videatur Pulvis Bezoardicus Anglicus.

PULVIS AD CONDIENDUM COR *Pariſienſium.*

℞. Cinnamomi,
Myrrhæ ana Uncias octo,

Aloes,
Ladani,
Benzoes,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ ana Uncias quatuor:
Miſceantur; Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

PULVIS AD CONDIENDA INTRANEA ET CAVITATES IMPLENDAS *Pariſienſium.*

℞. Myrrhæ,
Aloes ana Uncias ducentas ſex & quinquaginta,
Bituminis Judaici Uncias centum & ſexaginta,
Salis marini decrepitati Uncias ſex & nonaginta,
Radicum Angelicæ,
Imperatoriæ,
Acori,
Aſari,
Iridis Florentinæ,
Zinziberis ana Uncias octo & quadraginta,
Lignorum Saſſafras,
Santali citrini,
Juniperi,
Rhodii,
Abietis ana Uncias triginta & duas,
Summitatum Lavendulæ,
Sabinæ,
Menthæ,
Thymi,
Rorismarini,
Salviæ,
Stœchados,
Abſynthii ana Uncias ſedecim:
Miſceantur; Fiat Pulvis.

PULVIS AD CONDIENDAS ET INFARCIENDAS CARNES *Pariſienſium.*

℞. Cinnamomi,

Corticis Winterani,
Caſſiæ Caryophyllatæ,
Coſti,
Amomi,
Piperis nigri,
Radicum Enulæ,
Iridis Florentinæ,
Cyperi longi,
Calami aromatici,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ ana Uncias octo,
Myrrhæ,
Aloes ana Uncias octo & quadraginta,
Bituminis Judaici,
Benzoes,
Tacamahacæ,
Ladani,
Olibani ana Uncias duas & triginta,
Foliorum Lauri,
Majoranæ,
Thymi ana Uncias ſedecim,
Florum Lavendulæ Uncias duas & triginta,
Miſceantur; Fiat Pulvis tenuis.

PULVIS *CONTENT dictus.*

℞. Sacchari Canarienſis Uncias duodecim,
Oryzæ Uncias octo,
Cinnamomi Unciam unam ſemis,
Caryophyllorum Drachmam ſemis,
Vanigliæ Drachmam unam ſemis:
Redigantur in pulverem & Miſceantur.
Subſtituitur Chocoladæ.

PULVIS CORDIALIS *Cellenſis.*

℞. Sacchari finiſſimi, in tenerrimum pulverem redacti, Uncias duas,

Cinnabaris præparatæ Drachmas ſex,
Olei deſtillati Cinnamomi veri Scrupulos duos:
Miſceantur exacte.

Vires Cardiacas & Nervinas edit. Datur ad Scrupulum unum.

PULVIS *Cornachini* seu *Comitis* de *Warnick.* seu CERBERUS TRICEPS.

℞. Diagrydii,
Antimonii Diaphoretici,
Cremoris Tartari ana partes æquales:
Miſceantur exactiſſime.

Pulvis qui per multam annorum ſeriem tanquam Purgans polychreſtum in frequenti uſu fuit, noſtra ætate, cum parcius Reſinoſis utamur, minus crebro uſurpatur. Doſis ad Drachmam ſemis.

PULVIS COSMETICUS ad MANUS *Viennenſium* *PATE D'AMANDES.*

℞. Amygdalarum excorticatarum Uncias duodecim;
Spermatis Ceti Unciam ſemis:
Probe tritis admiſceantur
Pulverum Oryzæ,
Iridis Florentinæ ana Unciæ duæ,
Benzoes,
Salis Tartari ana Uncia ſemis,
Oleorum deſtillatorum Ligni Rhodii,
Lavendulæ,
Caryophyllorum ana Guttæ quindecim:
Miſceantur probe.

PULVIS DENTIFRICIUS *Brunſvicenſium.*

℞. Lapidis Pumicis Uncias duas,
Oſſium Sepiæ Medullæ Unciam unam,
Cremoris Tartari,
Radicis Ireos Florentinæ ana Unciam ſemis;

Olei deſtillati Caryophyllorum Guttas quatuor:
Miſceantur, Fiat Pulvis tenerrimus.

PULVIS EPILEPTICUS MARCHIONIS *Noricorum.*

℞. Radicum Pæoniæ exteriori cuticula privatorum, Uncias tres,
Viſci Querni,
Raſurarum Eboris,
Ungularum Alcis,
Cornu Cervi,
Eboris uſti,
Coralliorum alborum,
rubrorum,
Margaritarum ana Drachmas ſex:
Miſceantur; Fiat Pulvis, cui addantur
Foliorum Auri, in exiguas moleculas diſſectorum, numero viginti.

Vulgatiſſimo in uſu eſt hic Pulvis in omnibus morbis Spaſmodicis tam arcendis quam curandis.

Plures congerere Pulveres Epilepticos hac ætate, qua Specificorum Antepilepticorum auctoritas tantopere cecidit, ſupervacaneum duxi.

PULVIS ERYSIPELATODES *Mynsichti.*

℞. Farinæ volatilis e molendinis Uncias ſex,
Plumbi uſti,
Boli rubræ ana Uncias duas,
Maſtyches electæ,
Olibani,
Ceruſſæ ana Unciam unam:
Miſceantur, Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.
Inſpergitur parti affectæ & charta cærulea retinetur.

PULVIS FUMALIS *Brunſvicenſium.*

℞. Maſtyches,

Olibani ana Uncias quatuordecim,
Succini citrini Uncias octo,
Ladani Uncias tres ſemis,
Sandaracæ,
Styracis Calamitæ,
Benzoes ana Uncias ſeptem,
Lignorum Santali citrini,
Rhodii,
Caſſiæ Caryophyllatæ ana Uncias duas ſemis,
Florum Roſarum rubrarum,
Lavendulæ ana Uncias quatuor,
Corticis Caſcarillæ Uncias duas:
Miſceantur: Fiat Pulvis craſſus.

Ejus ſuffitus tam odoris gratia, quam ad diſcutiendos Rhevmatiſmos & Catarrhos adhibetur.

PULVIS *Gasconii.*

Videatur Pulvis Bezoardicus Anglicus.

PULVIS de GUTTETA.

℞. Viſci Querni,
Radicum Dictamni albi,
Pæoniæ,
Seminum Pæoniæ ana Unciam unam,
Atriplicis,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana Unciam ſemis,
Ungularum Alcis Unciam unam:
Miſceantur; Fiat Pulvis ſubtilis.

Hic Pulvis eandem, quam Epilepticus Marchionis in Germania habuit, in Gallia nactus eſt famam.

PULVIS *Haly* contra PHTHISIN.

℞. Seminum Papaveris albi Drachmas decem,
Portulacæ,
Cicerum,

Malvæ

Malvæ ana Unciam ſemis,
Cucurbitæ,
Cucumeris,
Citrulli,
Cydoniorum ana Drachmas ſeptem,
Amyli Drachmas ſex ſemis,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ,
Cornu cervi uſti,
Succi Liquiritiæ,
Eboris uſti ana Drachmas tres:
Miſceantur: Fiat Pulvis.

Inconcinnam hanc, ac mentione vix dignam compoſitionem eo tantum appoſui, quod a nonnullis adhuc uſurpatur. Certe ſcopo accommodatius Semina ſub forma Emulſionis, reliqua Pulveris nomine adhibentur.

PULVIS HEPATICUS RUBER *Dreſdenſis.*

℞. Cremoris Tartari Uncias quatuor,
Sandali rubri,
Roſarum rubrarum ana Unciam ſemis:
Miſceantur: Fiat Pulvis irrorandus
Spiritus Vitrioli Drachmis duabus.

Olim ejus uſus in æſtu Sanguinis compeſcendo & Appetitu excitando admodum frequens fuit.

PULVIS INCRASSANS *Fuller.*

℞. Radicis Althææ,
Gummi Arabici,
Sanguinis Draconis,
Glycyrrhizæ ana partes æquales:
Miſceantur: Fiat Pulvis.

Contra Hæmoptyſin, Tuſſim acrem & Ardorem Urinæ exhibetur ad Drachmam ſemis.

PULVIS pro INFANTIBUS *ROSÉEN.*

℞. Magneſiæ Unciam ſemis,
Pulverum Seminis Cumini Drachmas tres,
Radicis Ireos Drachmas duas,
Croci Drachmam ſemis:
Miſceantur.
Contra Infantum Tormina datur.

PULVIS INFANTUM *Danorum.*

Videatur Pulvis Puerorum Citrinus.

PULVIS MANUALIS *Brunſvicenſium.*

℞. Amygdalarum amararum excorticatarum Uncias duodecim,
Farinæ Oryzæ Uncias ſeptem cum dimidia,
Fabarum Uncias ſex,
Radicis Ireos Florentinæ,
Cretæ albæ ana Unciam ſemis,
Salis Tartari Drachmas duas,
Olei Jaſmini Drachmam unam,
Ligni Rhodii Guttas decem:
Miſceantur: Fiat Pulvis.
Ad uſus Coſmeticos adhibetur.

PULVIS MASTICATORIUS *WEPFFER.*

℞. Radicum Imperatoriæ,
Corticum Sambuci ana Unciam ſemis,
Foliorum Lauri Drachmam unam ſemis,
Seminum Sinapi,
Staphidis agriæ ana Drachmam unam,
Caryophyllorum Aromaticorum Scrupulos quatuor,
Myrrhæ electæ Drachmas ſex:
Miſceantur: Fiat Pulvis craſſus.
Scrupulus unus linteo obvolutus per aliquot horæ minuta maſticatur in Capitis morbis ſeroſis, Paralyſi linguæ, Aphonia &c.

PULVIS PANNONICUS RUBER *Auguſtanorum.*

℞. Boli Armenæ Uncias tres,
Terræ Lemniæ Uncias duas,
Coralliorum alborum Drachmas ſex,
rubrorum Unciam ſemis,
Margaritarum Drachmas quinque,
Lapidum Hyacinthi,
Smaragdi,
Rubini,
Sapphiri,
Cornu Cervi ſine igne præparati ana Unciam ſemis,
Raſuræ Eboris Drachmas tres,
Eboris ad albedinem calcinati Drachmas quinque,
Cinnamomi Drachmas duas,
Caryophyllorum,
Croci ana Drachmam unam,
Seminis Acetoſæ,
Sandali rubri ana Drachmas duas,
albi,
Corticum Citri ana Drachmam unam ſemis:
Miſceantur: Fiat Pulvis tenerrimus, cui admiſceantur Foliorum Auri, in exiguas moleculas cultro diſſecandorum, Numero viginti quatuor.

Ineptum hoc Medicamentum, creberrime olim apud Germanos in morbis Exanthematicis uſurpatum, haud immerito exolevit.

PULVIS AD PALPITATIONEM CORDIS.

Videatur Pulvis Cordialis Cellenſis.

PULVIS PECTORALIS *Danorum.*

℞. Radicum Ireos Florentinæ,
Liquiritiæ ana Drachmas ſex,
Florum Sulphuris Unciam ſemis,

Florum Benzoes Drachmam unam,
Sacchari Candi albi Uncias duas,
Oleorum deſtillatorum Aniſi,
Fœniculi ana Guttas decem:
Miſceantur: Fiat Pulvis.

Reſolvendi ergo in morbis Pectoris pituitoſis adhibetur.

PULVIS PUERORUM CITRINUS *Danorum* INFANTUM *Eorundem.*

℞. Magneſiæ albæ Drachmas ſex,
Radicis Ireos Florentinæ,
Seminis Aniſi,
Sacchari albi ana Drachmas duas,
Croci Drachmam unam:
Miſceantur: Fiat Pulvis.

Ad Tormina infantum ſedanda præſcribitur.

PULVIS PUERORUM EVACUANS *Berolinenſium.*

℞. Reſinæ Jalappæ Drachmas tres:
Terantur in pulverem tenerrimum cum
Amygdalarum ſesqui Drachma:
Addantur
Mercurii dulcis Uncia una,
Cinnabaris optimæ Drachma una,
Sacchari albiſſimi Uncia una ſemis:
Miſceantur: Fiat Pulvis.

Drachma una ſex circiter Grana Reſinæ & viginti Grana Mercurii dulcis vehit. Scopo Anthelmintico & Sanguinem depurandi ergo exhibetur.

PULVIS CONTRA QUARTANAM *Hoffmanni.*

℞. Pulveris Corticis Peruviani Drachmas tres,
Reguli Antimonii medicinalis Drachmas duas,
Mercurii dulcis,
Croci Martis aperitivi *Stahlii.*

Arcani duplicati ana Drachmam unam,
Olei deſtillati Menthæ Guttas tres:
Miſceantur: Fiat Pulvis.

Egregii uſus eſſe in Quartana, quæ altas in Viſcerum penetralibus egit radices, teſtatur Auctor in Med. Rat. ſyſtem. *Datur ad Drachmam ſemis.*

PULVIS REFRIGERANS *Suecorum.*

℞. Salis eſſentialis Tartari Unciam ſemis,
Sacchari albiſſimi Uncias ſex,
Quintæ Eſſentiæ Citri Guttas ſex:
Mixta redigantur in Pulverem.

Hujus Pulveris una Uncia duodecim libris aquæ diſſolvenda LIMONADA ex tempore paratur.

PULVIS RESOLVENS *Stahlii.*

℞. Concharum præparatarum,
Antimonii Diaphoretici,
Nitri depurati ana partes æquales:
Miſceantur: Fiat Pulvis.

Spiſſitudini humorum adverſatur. Maximus ejus uſus eſt in Febribus

PULVIS SCILLÆ COMPOSITUS *Stahlii.*

℞. Pulverum Radicis Scillæ præparatæ Uncias duodecim,
Vincetoxici Uncias quatuor:
Miſceantur.

Egregium Medicamentum Reſolvens in morbis præcipue Aſthmaticis ad Scrupulum unum pro Doſi exhibetur.

PULVIS SEDATIVUS *Suecorum.*

Videatur Pulvis Antiſpasmodicus Rosensteinii.

PULVIS STERNUTATORIUS *Noricorum.*

℞. Herbæ Pulegii,

Herbarum Majoranæ,
Roriſmarini,
Salviæ ana Unciam unam ſemis,
Nicotianæ,
Radicis Ellebori albi,
Seminis Nigellæ ana Unciam unam,
Moſchi Grana quinque:
Miſceantur; redigantur in Pulverem.
Virtus ex nomine cognoſcitur.

PULVIS STERNUTATORIUS *Pariſienſium.*

℞. Herbarum Majoranæ,
Betonicæ ana Unciam unam,
Aſari Unciam dimidiam,
Florum Lilii Convallium Unciam unam:
Miſceantur: Fiat Pulvis.

PULVIS STERNUTATORIUS *Trilleri.*

℞. Herbarum Majoranæ,
Betonicæ,
Pulegii,
Baſilici,
Mari veri ana Drachmas duas,
Aſari Drachmam unam,
Florum Lilii Convallium,
Tunicæ,
Lavendulæ,
Anthos,
Roſarum rubrarum ana Drachmam unam,
Caſtorei optimi Drachmas tres,
Sacchari Canarienſis Unciam unam:
Miſceantur: Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Venerandus Auctor quadraginta annorum experientia nixus hunc pulverem ad Caput roborandum, Senſus acuendos, Memoriam firmandam, Vertiginem profligandam, Dolores capitis mitigandos & ſedandos inſultus Hyſtericos maximopere commendat.

PULVIS STOMACHICUS *Birckmanni.*

℞. Radicum Ari Uncias duas,
Calami aromatici,
Pimpinellæ ana Unciam unam,
Oculorum Cancrorum Unciam ſemis,
Cinnamomi Drachmas tres,
Salis Tartari Drachmas duas:
Miſceantur: Fiat Pulvis.

Cum Saccharo ſi deſideratur, Saccharum ad pondus omnium adjicitur.

Egregium Medicamentum Incidens, non ſolum in turbata Digeſtione, ſed in aliis quoque morbis Viſcido oriundis cum ſucceſſu datur.

PULVIS AD STRUMAS *Villanovani.*

℞. Spongiarum marinarum combuſtarum,
Pilarum marinarum,
Oſſis Sepiæ,
Piperis longi,
nigri,
Zinziberis,
Cinnamomi,
Salis Gemmæ,
Radicum Pyrethri,
Fructuum Cupreſſi,
Gallarum,
Spongiarum Roſarum ana Uncias duas:
Miſceantur; Fiat Pulvis, cui, Sacchari ſi quid deſideratur, Unciæ ſex adjiciantur.

Experientia docuit, hunc pulverem Struma laborantibus efficaciter exhiberi. Datur ejus Drachma una mane & ante ſomnum nocturnum.

PULVIS TEMPERANS *Richard.*

Videatur Pulvis Antiſpaſmodicus *Stahlii.*

PULVIS TEMPERANS *Unzeri.*

℞. Tartari Vitriolati,
Nitri depurati,
Lapidum Cancrorum præparatorum ana partes æquales.
Reducantur in Pulverem & miſceantur.

Contra Orgaſmum Sanguinis & Acrimoniam acidam facit.

PULVIS AD TORMINA INFANTUM *Roséen.*

℞. Saponis officinalis Drachmam unam,
Lapidum Cancrorum Unciam ſemis,
Rhabarbari Drachmam ſemis,
Seminum Aniſi,
Cumini ana Scrupulum unum,
Croci Grana quatuor,
Sacchari albi Drachmas tres:
Miſceantur; Fiat Pulvis.

PULVIS CONTRA VERMES *Fuller.*

℞. Corallinæ in pulverem redactæ Unciam dimidiam,
Æthiopis mineralis Drachmas duas,
Olei deſtillati Abſynthii Scrupulum dimidium:
Miſceantur.

Ex immenſa farragine Pulverum contra Vermes in Diſpenſatoriis diverſantium hunc tanquam efficaciorem ſelegimus, & ut tutius infantibus adhiberi poſſit, Olei omiſſionem ſuademus; mane & veſpera per aliquot dies, quantum cultri cuſpide capi poteſt, infantibus propinetur.

PULVIS CONTRA VERMES PURGANS *Fuller.*

℞. Scammonei, Pineis triti, Grana ſex,
Pulveris Rhabarbari Grana quatuor,
Mercurii dulcis Grana quinque:
Miſceantur.

Hæc doſis eſt pro puero ſexenni.

REGLIS-

REGLISSE ROYALE.

Videatur Extractum Liquiritiæ gummoſum.

REGULUS ANTIMONII MARTIALIS *Basil. Valent.*

℞. Clavorum Ferri Uncias duodecim:
In Crucibulo probe ignitis addantur
Antimonii crudi Unciæ ſedecim:
Valido igne fundantur, ut penitus fluant; dein adjiciantur
Cinerum clavellatorum Unciæ duæ:
Effundantur in Conum fuſorium Sebo illitum, & poſteaquam refrixerint, mallei ictu Regulus a ſcoria ſeparetur.

Quamvis Sulphur Ferrum in ſcoriam vertat, hujus tamen quantulacunque portio metallo Antimonii nunquam non manet immixta. Quapropter hic Regulus, cum ſemper Ferro plus minusve ſit adulteratus, ad labores, qui purum Regulum requirunt, recipi nequit.

REGULUS ANTIMONII MEDICINALIS *Mæts.*

℞. Antimonii Uncias decem,
Salis Alcali Uncias duas:
Mixta fundantur, fuſa effundantur, & ſcoria hac ratione orta contundatur in pulverem.

Scopo Reſolvendi laudatur in Febribus acutis, Arthritide, Hydrope. Exhibetur ad Drachmam ſemis.

REGULUS ANTIMONII SIMPLEX *Basil. Valent.*

℞. Antimonii Uncias ſedecim,
Tartari crudi Uncias decem,
Nitri Uncias quinque:

Mixta ſucceſſive detonentur; fundantur; effundantur in conum fuſorium; mallei ictu Regulus a ſcoria ſeparetur, quæ tanquam *HEPAR ANTIMONII* aſſervari poteſt.

Regulus Antimonii, cum eximie draſticus ſit, nunquam intus datur, paratur in officinis ad alia præparata inde conficienda.

RESINA JALAPPÆ *Auguſtanorum.*

℞. Radicum Jalappæ craſſe contuſarum, quantum lubet: Affundatur

Spiritus Vini rectificatiſſimus ad eminentiam quatuor digitorum; digerantur calore juſto per biduum; Spiritus tinctus defundatur; affundatur novus, qui denuo digeſtus & tinctus priori adjiciatur; quo labore ter iterato ultima tinctura una cum Radicibus ſacco commiſſa exprimatur torculari. Univerſa deinde tinctura immittatur Cucurbitæ, Spiritusque dodrans deſtillationis ope inde eliciatur; reſiduum catino committatur; jam, ut ſecedat Reſina, aqua affundatur, factaque ſeceſſione defundatur, nova rurſus Reſinæ affuſa, accedat calor, fiat utriuſque agitatio; atque hic alternus tinctam defundendi & puram aquam affundendi continuetur labor, donec aqua cum Reſina agitata turbari deſinat. Tunc demum Reſina dum calet, in bacillos tortos efformetur.

Hoc Medicamentum cum Primas vias irritando vires Catharticas edat, per longum temporis intervallum tanquam Purgans polychreſtum uſurpabatur. Noxæ, quas ejus uſui tribuerunt Obſervatores, abuſui potius ſunt adſcribendæ. Non niſi Saponi cuidam junctum exhiberi debet; ita demum ab Humoribus Primarum viarum excipi, & e corpore eliminari poterit. Doſis pro adultis ad grana uſque quindecim augeri poteſt. Infantibus ad octavum uſque annum tot Reſinæ dantur grana, quot annorum eſt ætas.

RESINA JALAPPÆ PRÆPARATA *Stahlii.*

℞. Reſinæ Jalappæ,
Amygdalarum dulcium ana partes æquales:
Mixta terantur in pulverem tenerrimum.

Hac ratione præparata Reſina citra torminum aut Hypercatharſis metum exhiberi poterit.

Ea ratione, qua ex Radicibus Jalappæ paratur Reſina, ex aliis quoque ſubſtantiis obtinetur, ut *RESINA SCAMMONEI, LIGNI GUAJACI &c.*

ROOB ARABUM, GELATUM, SIVE GELATINA *Recentiorum.*

Manibus exprimatur ex Fructibus linteo involutis Succus; turbidus ſi fuerit ſive per ſubſidentiam depuretur, ſive Albumine ovorum clarificetur, quo facto diſſolvatur in ſucco
Sacchari albiſſimi dodrans:
Coquatur ad conſiſtentiam tenuioris Gelatinæ; immittatur ollæ, exhalato demum omni calore, obturandæ.
Ex fructibus Cynosbati, unde ſemina fuerunt ablata, Pulpa per cribrum exprimitur.

Ob vim ſaponaceam omnino, ut plurimum etiam voluptatis cauſa commendatur.

ROOB NUCUM *Mesuæ*, DIACARYON.

Paratur ex Succo putaminum Nucum immaturarum cum æquis Mellis partibus ad juſtam conſiſtentiam cocto.

Hoc extus unice adhibetur ad Ulcera Oris, Gargariſmatibus quoque admiſcetur.

ROTULÆ VEL TABULÆ. *Canones.*

I. Tabularum, quæ ex Succis deſiderantur, parandarum modus optimus is eſſe videtur, cum ſucci quantitas, Saccharo calefacto, adjicitur ea, quæ ad obtinendam conſiſtentiam tenuioris Electuarii requiritur. Drachmæ decem Succi ſufficiunt ut plurimum ad octo Sacchari Uncias. Miſcela dein ſpatulæ ope ſuper laminam ferream per exiguas portiones ita effunditur, ut Rotularum formam Guttæ induant.

II. Ex Pulveribus parantur Rotulæ, dum Saccharo ad conſiſtentiam tabulandi cocto Pulvis celeri manu admiſcetur; ad unam Sacchari Unciam Drachma Pulveris una recipi poteſt.

III. Volatilia, Rotulis ſi immiſcenda ſunt, ipſo demum materiei in Rotulas efformandæ momento immiſceantur.

IV. Mos Rotulas Oleo inungendi, vel Auri Argentive folia ipſis imprimendi, exſolevit.

ROTULÆ MANUS CHRISTI *Bergamenſium.*

℞. Sacchari albiſſimi quantum vis:
Calefacto addatur
Aquæ Roſarum quantum ſatis:
Fiant lege artis Rotulæ.
Quæ infantibus dulcedinis cauſa exhibentur.

ROTULÆ EX SUCCO ET ELÆOSACCHARO CITRI *Argentoratenſium.*

℞. Sacchari albiſſimi Uncias ſedecim:
Calefactis adjiciantur
Succi Citri Unciæ duæ cum ſemiſſe:
Probe mixtis addantur
Elæoſacchari Citri Unciæ quatuor:
Fiant lege artis Rotulæ.
Gratum fallendæ ſitis remedium.

ROTULÆ CONTRA VERMES *Lentilii.*

℞. Sacchari, cum ſucco Berberum ad conſiſtentiam redacti, Unciis quatuor
Adjiciantur
Mercurii dulcis Drachmæ duæ:
Probe mixta effundantur in Rotulas.
Ex copioſis Præſcriptionibus hanc tam ſuavitate quam virtute reliquas ſuperantem ſelegi.

SACCHARUM GLYCYRRHIZATUM *Helvetorum.*

Videatur Extractum Liquiritiæ Gummoſum.

SACCHARUM CANDUM.

Diſſolvatur Saccharum in aqua; evaporetur ad conſiſtentiam Syrupi, & aſſerventur, quæ inde oriuntur, Cryſtalli. Saccharum quo fuerit depuratius, eo candidius evadet Saccharum Candum. *RUBRUM* ſurgit ex Sacchāro Thomæo.
A conditoribus parari dudum conſuevit.

SACCHARUM HORDEATUM.

℞. Hordei Uncias octo:
Coquantur cum
Aquæ fontanæ Unciis centum per horæ ſpatium,
Decocto, colato addantur
Sacchari Unciæ ſedecim:
Coquantur donec a ſpatula defluens filum ſponte rumpatur, effundatur dein in tabulam marmoream Oleo Amygdalarum leviter unctam; maſſa adhuc calens ſcindatur, & torqueatur in bacillos.

Hordeum, cum pelluciditati officiat, vulgo omitti ſolet.

SACCHARUM LACTIS *Bartoleti.*

Lactis Vaccini plures libræ
Relinquantur in loco calido; donec in ſuas partes ſeceſſerit Lac. Serum tam a Cremore, quam a Caſeo ſeparetur; filtratum coquatur in vaſe terreo ad decimam circiter partem reſiduam; denuo filtratum reponatur ad cryſtalliſandum; Cryſtalli ab ortu flavæ iteratis in aqua diſſolutionibus, filtrationibus, cryſtalliſationibus reddantur albiſſimæ.

Hodie rarius in Pharmacopoliis, frequentius in montibus, a ruſticis operas lactarias exercentibus paratur; inde ipſas officinas intrat.

Demulcendi & Relaxandi vim habet.

SACCHARUM PENIDIUM de *Auguſtis.*

Saccharum coquatur cum Aqua ad conſiſtentiam tabulandi; ſemirefrigeratum ſuſpendatur ex unco & trahatur perpetuo, quoad albiſſimum omnisque pelluciditatis expers evaſerit; tunc torqueatur in bacillos.

Hoc quoque vulgo a Conditoribus paratur.

SACCHARUM ROSATUM *Meſue.*

Eſt Conſerva Roſarum rubrarum, quodſi ſiccum deſide-

ratur, recipi ſolet CONSERVA ROSARUM SOLIDA *Lemery*, quæ quidem paratur Unciis ſedecim Sacchari ad conſiſtentiam tabulandi coquendis Pulveris Florum Roſarum rubrarum Uncia una adjicienda; ex qua miſtura Rotulæ efformantur.

SACCHARUM SATURNI *Hollandi.*
SAL SATURNI *Suecorum.*

Ceruſſa vel Minium infundatur cum Aceto deſtillato per aliquot dies in vaſe clauſo; Acetum filtratum leni calore ad cuticulam evaporetur; id in locum temperatum repoſitum in Cryſtallos concreſcet.

Quamvis a quibusdam ad uſus internos commendetur, prudentiores tamen a medicamento maxime ancipiti abſtinent. In Aqua ſolutum vires Aceti Saturni habet, & ad uſus externos poteſt adhiberi.

Rariſſime a Pharmacopolis paratur.

SAL ACETI ESSENTIALE *Batei.*

Reſiduum Aceti deſtillati aqua ſolutum & filtratum evaporatur ad cuticulam, & ut in Cryſtallos concreſcat, reponitur.

Cum hac ratione nil niſi Tartarus oriatur, hæc præparatio prorſus eſt ſuperflua, una cum illa quæ præparari jubetur.

SAL ACETI FIXUM *Batei.*

Quod eſt ipſe Sal Tartari.

SAL ACETI VOLATILE *Beaumé.*

Exiguæ cryſtalli Tartari Vitriolati committantur vaſi vitreo, irrorentur Aceto concentrato, & vitrum epiſtomio vitreo exactiſſime claudatur.

Excitandi ergo naribus Syncopticorum admovetur.

SAL ACETOSELLÆ *Angeli Salæ.*

Exprimatur ſuccus ex largiori copia Herbæ Acetoſellæ; clarificetur Albumine Ovi; evaporetur ad quartam partem reſi-

duam; reponatur in loco frigido; colligantur cryſtalli; liquor reſiduus denuo paulum evaporetur, & ſic iteretur operatio, uſque dum reliquus ſuccus nullas ulterius cryſtallos ſiſtat; Cryſtalli omnes iteratis in aqua ſolutionibus & filtrationibus reddantur albiſſimæ.

A quibusdam in vitiis Digeſtionis aliis medicamentis Stomachicis admiſceri ſolet. Vires ejus medicatæ cum viribus Cryſtallorum Tartari convenire videntur.

SAL ALCALI MINERALIS
SAL ALCALI *Seignette.*

℞. Sodæ Hiſpanicæ quantum lubet:
Elixivetur cum aquæ ebullientis quanto ſufficiente:
Lixivium ſecundum artem reducatur in Cryſtallos.

Eaſdem vires medicatas edit ac Sal Alcali Vegetabilis.

SAL CAUSTICUS.

Videatur Lapis Cauſticus.

SAL CORNU CERVI *Schrœder.*

Cornu Cervi in minores partes diffractum aut lima comminutum immittatur Retortæ terreæ & adhibeatur ignis apertus; ita obtinentur Spiritus & Oleum; lateribus autem excipuli accreſcit Sal, qui oleo miſtus, diſſolvatur in aqua, filtretur & aqua inde leni calore evaporetur.

Humores attenuat, Sudorem & Urinam movet, Sanguinem concitat; in uſum tamen, niſi ſit albiſſimus, minus fauſto omine trahitur. Datur ad Scrupulum ſemis.

Hunc in modum omnia Salia Volatilia ex partibus Animalium parantur.

SAL DIGESTIVUS vel FEBRIFUGUS *Sylvii.*
SPIRITUS SALIS MARINI COAGULATUS *Londinenſium.*

Eſt Sal, qui remanet a deſtillatione Spiritus Salis Ammonia-

ci cum Sale Tartari, diſſolutione in aqua facta & juſta evaporatione coactus in cryſtallos.

SAL DE DUOBUS.

Videatur Arcanum Duplicatum.

SAL PER INCINERATIONEM PARATUS *TACHENII*.

Vegetabili ſicco applicatur ignis; dum ardet, probe cavetur, ne flamma ſurgat, ſuffocanda, ſi ſurrexerit, vel admoto operculo, vel ipſius vegetabilis additamento; cineres hac ratione nati per cribrum transmittuntur; remanentes carbones denuo igniuntur, & inde orti cineres prioribus adjiciuntur. Jam vero frigida ipſis affunditur, cum cineribus crebro per vices agitanda; defunditur dein Lixivium; cineres cum nova aqua agitantur, idque continuatur, donec recens affuſa aqua nullum amplius inde ſaporem contrahit; omne hac ratione obtentum Lixivium in vaſe vitreo leni igne ad ſiccitatem evaporatur; Sal ita paratus calcinatur, uſque dum albus evadat, in vaſe probe clauſo aſſervandus.

Cum Medicorum nonnulli inepte ſane Sulphur ſuper cineribus deflagrari juſſerint, Salem inde Alcalinum in Tartari Vitriolati ſpeciem mutarint, eoque in morem venerit, ut Salia Alcalia ſub cryſtallorum forma in officinis aſſervarentur, vulgo jam his ſalibus *ARCANUM DUPLICATUM* ſolent ſubſtituere. Quapropter Medicis Salem Alcalinum præſcripturis ut Salem Tartari jubeant recipere, ſuadendum videtur.

Ridendi ſunt, quotquot de Sale ex planta combuſta obtento integras plantæ vires ſpecificas expectant.

SAL MARTIS.

Videatur Vitriolum Martis.

SAL MERCURIALIS ACETOSUS *VITET*.

℞. Mercurii per Alcali fixum ex Acido Nitri præcipitati & probe edulcorati Uncias duas,

Aceti

Aceti deſtillati Uncias centum octo & viginti:
Digerantur per triduum in Balneo Mariæ; agitentur crebro; tunc reponantur in locum frigidum & ſurgentes inde cryſtalli aſſerventur.

Hic Sal in Trochiſcos redactus vices PASTILLORUM SIPHYLITICORUM Keyser *commode exſecuturus eſſe videtur.*

SAL MERCURIALIS TARTARISATUS *Vitet.*

℞. Mercurii Alcali fixo ex Acido Nitri præcipitati & probe edulcorati Uncias duas,
Cremoris Tartari Uncias quatuor:
Triturentur per quatuor horas in mortario lapideo, dein coquantur cum
Aquæ fontanæ Unciis octo & quadraginta:
Evaporentur ad lenem cuticulam & hac ratione obtentæ cryſtalli ſerventur.

Ambo hæc Salia ſcopo Antiſiphylitico ad decem uſque Grana pro doſi ſive aqua ſoluta, ſive Syrupo quodam recepta exhibentur: Vomitum, interdum Ptyaliſmum excitaſſe obſervatum eſt.

SAL MIRABILIS *Glauberi.*
SODA VITRIOLATA *Roſſorum.*

Eſt Reſiduum a deſtillatione Spiritus Salis aqua ſolutum & in cryſtallos coactum.

Ex quo conſtat, plurimas Aquas, quibus Sal communis excoquitur, Salem vel ipſi ſaltem analogum largiri, quidquid ejus in officinis proſtat indidem excitur. A plerisque Salinis perinde ac ab Aqua marina Sal mirabilis Magneſia prægnans obtineri poteſt. Salinæ Lotharingicæ puriſſimum ſuppeditant.

Ad aliquot Drachmas datus egregie incidit; ad Unciam unam aut duas datus Alvum movet, ſed tanta doſi ubi exhibetur, larga aquæ copia diluendus eſt.

SAL POLYCHRESTUS *Glaseri.*

℞. Nitri depurati,
Florum Sulphuris ana partes æquales:

Probe mixta ingerantur per vices in crucibulum candens; nova portio, niſi priore detonata, non ingeratur; omnis maſſa poſtquam penitus detonaverit, valido igne delineatur, & crebrius ne Sulphur remaneat non deſtructum agitetur, diſſolvatur deinde, filtretur & in Cryſtallos reducatur.

Sal hic minus apte a Lemery denominatus, ratione virium medicatarum Tartaro Vitriolato eſt ſimillimus.

SAL POLYCHRESTUS *Seignette.*
SODA TARTARISATA vel ALCALI MINERALE TARTARISATUM *Suecorum.*

Cryſtallis Tartari in aqua diſſolutis & bullientibus affundatur Lixivium Sodæ aqua frigida factum, uſque dum nulla ab affuſo ſurgat amplius effervescentia; Liquor ſaturatus & filtratus cogatur in cryſtallos.

Sali Vegetabili analogus Sal, guſtui vero gratior, ſcopo Alvum ducendi ad ſeſqui unciam uſque exhibetur.

SAL SEDATIVUS *Hombergii.*
SAL ACIDUM BORACIS *Suecorum.*

Boraci in larga aquæ quantitate diſſoluto adjiciatur Spiritus Vitrioli, donec Liquor Syrupum Violarum rubro colore infecerit; evaporet, uſque dum ſpicula ſalina in eodem natare obſerventur; reponatur tunc in locum frigidum, & colligantur cryſtalli; evaporatione repetita adhuc aliquid Salis Sedativi, tandem Sal mirabilis *Glauberi* obtinetur.

Sali, à Becchero primum annotato, ab Hombergio ad uſus medicatos applicato, communi Medicorum conſenſu vires Anodynæ tribuuntur; quas tamen ego ab iſtis, quippe erronea veterum Chymicorum theoria deceptis, affictas potius huic ſali, quam ab ipſa experientia aſſertas crediderim.

SAL SEDATIVUS MERCURIALIS DE *MORVEAU*.

Solutioni Mercurii vivi in Acido Nitri diſſolutæ, multa aqua dilutæ & filtratæ adjicitur Solutio Boracis, donec nihil ulterius inde præcipitetur; pulvis flavus, qui ad fundum ſeceſſerit, probe edulcoretur.

Ejus Solutio in aqua, cum incommoda unguinoſorum non edat; commendatur ad Frictiones; datur quoque interne ad Grana duo pro doſi, quotidie augenda. Conferatur Journal de Phyſique *T. IX. p. 348.*

SAL SUCCINI *AGRICOLÆ*.

Raſura Succini committitur Retortæ vitreæ, cujus non ultra dodrantem repleat; applicetur excipulum; inſtituatur deſtillatio ex Balneo Arenæ; obtinetur ita Spiritus & Oleum; parietibus autem excipuli & roſtro Retortæ adhærebit Sal; Oleum aqua diluatur, filtretur, & ab Oleo ſeparata aqua leniſſimo calore deſtilletur, unde denuo aliquid Salis obtinebitur.

Hic Sal larga copia in Boruſſia paratur. Ab Oleo ipſi adhærente penitiſſime depuratur, dum aqua diſſolvitur, filtratur, &, ut in cryſtallos abire poſſit, lenta inde evaporatione aqua diſpergitur.

Hunc Salem Diureticorum & Antihyſtericorum principem appellat BOERHAVE; Incidendo & Reſolvendo agere videtur; quo magis Oleo eſt imprægnatus, eo efficacius ſolida commovet. Datur ad Scrupulum dimidium pro Doſi.

SAL TARTARI *LULLII*.

Sive Reſiduum a deſtillatione Tartari, ſive Tartarus ipſe, in fornace Figuli calcinatus, ope aquæ elixivatur, Lixivium filtratum vel cauto calore in cryſtallos cogitur, vel inſpiſſatur & in vaſis probe clauſis aſſervatur.

Easdem cum Salibus per incinerationem paratis vires habet; Acrimoniam acidam corrigit; Viſcidum reſolvit; Obſtructa reſerat, Draſtica cicurat. Datur ad Scrupulum unum multa aqua dilutum.

SAL TARTARI ESSENTIALIS *Retzii.*
ACIDUM TARTARI CRYSTALLISATUM *Roſſorum.*

Creta in pulverem trita coquatur per ſemi horam cum larga aquæ quantitate, agiteturque crebro ſpatula; continuetur ebullitio, Cremor Tartari per vices adjiciatur, donec prorſus ceſſaverit efferveſcentia; refrigeratus liquor decantetur caute; reſiduo ſedimento nova aqua affundatur, agitetur, & una cum reſiduo priori adjiciatur. Hæ aquæ rite evaporatæ largiuntur *TARTARUM SOLUBILEM.* Sedimento eluto & vitro commiſſo affundatur ſenſim Spiritus Vitrioli, uſque dum novus adjectus nullam ulterius excitet effervefcentiam; detineatur mixtura in calore, agitetur ſæpius per diem; decantetur liquor, reſiduum edulcoretur; priori liquori adjiciatur aqua; omnis humor leni calore evaporetur ad juſtum terminum, & cryſtalli inde oriundæ aſſerventur.

Acidum Tartari hac ratione multis partibus oleoſis privatum in frigida evadit ſolubile, linguamque ferit aciditate vividiore, quapropter ad uſus medicatos præ Cremore commendandum videtur.

SAL VOLATILE ANGLICUM SICCUM *Würtenbergenſium.*

℞. Salis Tartari Drachmas ſex,
Ammoniaci Drachmas duas:

Conterantur & cito includantur vitro epiſtomio exactiſſime obturando.

Olei cujuscunque odorati fragrantis admiſcere aliquot Guttas cui libuerit, licebit.

In animæ Deliquiis excitandi ergo Naribus admovetur.

SAL VOLATILE OLEOSUM *Brandeburgenſium.*

℞. Oleorum deſtillatorum Aniſi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi ana Drachmam ſemis,
Macis Scrupulum unum,
Zedoariæ,
Succini ana Scrupulum ſemis:

Mixta digerantur in Cucurbita per triduum cum
Salis Tartari Unciis ſex,
Spiritus Vini Unciis octodecim:
Addantur
Salis Ammoniaci Unciæ ſex:
Deſtillentur inde Unciæ decem Liquoris.

Berolinenſes SYLVIUM præparationem hujus medicamenti in arcanis habuiſſe, nec niſi cum ſuis hæredibus communicatam voluiſſe; a quodam vero hærede agoniſante manu propria ex avtographo exſcriptam eam atque proditam eſſe dicunt. Dum Secta Sylviana floruit, id genus medicamenta magni fiebant; Sal ſuum Volatile Auctor potiſſimum ad ciendos Menſes laudavit; ſcopo Carminativo & Reſolvente cum Succeſſu datur ad Guttas viginti.

SAPO CHEMICUS, TARTAREUS *Starckey.*

℞. Lapidis Cauſtici Unciam unam:
Fundatur igne leniſſimo; fuſo adjiciantur
Olei deſtillati Terebinthinæ Unciæ tres:
Agitentur probe, uſque dum Sal omne Oleum receperit.

Abſurdiſſime quidem huic medicamento vires tribuuntur Draſticorum & Narcoticorum correctrices, unde Correctoris *etiam nomen accepit, ſed cum haud ſpernendarum virium Reſolvendi & Aperiendi ſpem facere videatur, earum a Medicis prudentibus, ut rite fiat periculum, optandum eſt. Doſis non ultra aliquot Grana erit extendenda; neque, qui in locum irritantis multum Olei Terebinthinæ aliud mitius ſubſtituerit, oleum perdidiſſe & operam cenſendus erit.*

SAPO MEDICATUS.

℞. Salis Cauſtici Unciam unam,
Butyri Cacao leniſſimo calore liquati Uncias quatuor:
probe terantur.

Cum eximiarum virium ſapo ſit ad morbos præſertim ab obſtructione Viſcerum Abdominalium Oriundos, oleum præterea, quod ad ipſum recipitur, plurimum non ad ſaporis ſolum gra-

tiam, ſed virium quoque efficaciam conferat, Pharmacopolis utique incumbit, ut illum pro uſibus ſaltem internis ipſi ſibi parent.

SERUM LACTIS *Hippocratis.*

℞. Lactis Vaccini Uncias octo & quadraginta,
Ebullientibus adjiciatur
Cremoris Tartari ſeſqui Drachma:
Liquor coli ope depuratus clarificetur ſecundum artem, unius ovi albumine, clarificatum filtretur.

Polychreſtum remedium Abſtergens, Demulcens, Attenuans datur per cyathos.

Serum Lactis, in quo Ferrum candens aliquoties fuerit extinctum, CHALIBEATUM appellari & inde Roborantes vires expectari ſolent.

SCILLÆ PRÆPARATIO *Dioscoridis.*

Bulbus Scillæ involvatur paſta ex farina, aqua ſubacta; coquatur in clibano; tunc rejecta paſta ſquammæ a ſe invicem ſeparentur & exſiccentur.

SIEF ALBUM *Rhases.*

℞. Gummi Tragacanthæ Drachmam unam,
Sarcocollæ Drachmas tres,
Ceruſſæ Drachmas decem,
Opii Drachmam ſemis:
Miſceantur & terantur in Pulverem tenerrimum.

Sief Arabibus Collyrium denotat. Hoc medicamentum lacte aut aqua dilutum in Ophthalmia a Lippitudine acri oriunda Oculo inſtillari vulgo ſolet; ſed cum veteres æque ac recentiores Medici Opii uſum in Ophthalmia pernitioſum eſſe viderint, illud prudenti conſilio omittitur.

SOLUTIO MERCURII *Plenck.*

℞. Mercurii dulcis Uncias duas,
Aquæ fontanæ Uncias triginta ſex;

Coquantur in vaſe vitreo per horas quadraginta octo:
Filtretur Liquor:

Laudatur ad Ulcera Venerea purificanda.

SOTIRELLA PARVA *Mindereri.*

℞. Olei expreſſi Nucis Moſchatæ Drachmas duas,
Opii Thebaici,
Specierum Diambræ ana Drachmam unam,
Camphoræ, Pineis tritæ,
Extracti Croci ana Grana duodecim,
Olei deſtillati Caryophyllorum Guttas triginta:
Miſceantur probe.

Forma pilulæ immittitur denti carioſo.

SPARADRAPUM ALBUM seu TELA *Gualterii.*

℞. Emplaſtrorum Diapalmæ,
Diachyli ana Uncias octo,
Albi cocti Uncias quatuor:
Liquatis immiſceantur
Pulveris Iridis Florentinæ Drachmæ ſex, & immittantur linteo detrito ut totum maſſa Emplaſtica imbuatur.

Ad Excoriationes, Lactis coagulati diſſipationem, nec non ad Fonticulos adhibetur.

SPARADRAPUM ad CORPUS CONDITUM INVOLVENDUM *Pariſienſium.*

℞. Ceræ albæ Uncias centum viginti & octo:
Liquatis & ſemirefrigeratis immiſceantur
Oleorum Nucis Moſchatæ expreſſi Unciæ octo,
Citri,
Neroli,
Lavendulæ,
Thymi ana Unciæ quatuor,
Ambræ gryſeæ, Saccharo tritæ, Grana quindecim,
Moſchi Grana octo,

Zibethi Grana quatuor:
Immittatur linteum, ut fiat Sparadrapum.

SPARADRAPUM *Goulard*.

℞. Ceræ Citrinæ Uncias nonaginta ſex;
Olei Olivarum Uncias viginti octo:
Leni calore liquatis adjiciantur ſub perpetua agitatione
Extracti Saturni Unciæ quatuor:
Tandem addatur
Camphoræ paulo Olei ſolutæ Drachma una:
Fluidæ adhuc maſſæ immittantur lintea uſu detrita.

Multum laudatur a Goulard ad diſcutiendos dolores Arthriticos.

SPECIES.

Hoc nomine medio ævo comprehendebant varii generis Pulveres compoſitos. Hodie Ingredientia Decoctorum & Infuſorum ita appellari ſolent.

SPECIES AROMATICÆ ROSATÆ *Gabrielis*.

℞. Florum Roſarum rubrarum Unciam unam,
Radicum Liquiritiæ Unciam ſemis,
Galangæ Drachmam ſemis,
Lignorum Aloes,
Santali citrini ana ſeſqui Drachmam,
Cinnamomi acuti Drachmas duas ſemis,
Caryophyllorum,
Macis,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ ana Scrupulos quatuor,
Nucis Moſchatæ,
Cardamomi minoris ana Drachmam ſemis,
Spicæ Indicæ Scrupulum ſemis:
Miſceantur & reducantur in Pulverem.

A gravioribus morbis convaleſcentibus Pani toſto, Vino emollito, inſper-

inſperſæ laudantur quidem; ſed inconcinnum medicamentum evi-luit.

SPECIES PRO CATAPLASMATE EMOLLIENTE *Danorum.*

℞. Herbarum Malvæ,
Althææ ana Uncias ſex,
Meliloti,
Florum Sambuci Uncias octo,
Radicum Althææ Uncias decem,
Seminum Fœnugræci,
Lini ana Uncias quatuor & viginti:
Miſceantur, incidantur & contundantur in pulverem craſſum.
Vires ex nomine patent.

SPECIES CEPHALICÆ PRO CUCUPHIS *Argentoratenſ.*

℞. Radicis Ireos Florentinæ Uncias tres,
Herbarum Lavendulæ,
Majoranæ ana Unciam unam,
Lignorum Rhodii,
Santali citrini ana Drachmas ſex,
Corticum Cinnamomi Drachmas duas,
Aurantiorum Unciam ſemis,
Citri Unciam unam ſemis,
Caryophyllorum Drachmas duas ſemis,
Benzoes,
Maſtychis,
Storacis Calamitæ,
Succini Citrini ana Unciam ſemis:
Mixta contundantur craſſe, uſuſque tempore cujuſcunque Olei odorati guttis aliquot irrorentur.
Ad Roborandum Encephalum adhibentur.

SPECIES PRO DECOCTO ANTINEPHRITICO *Foresti.*

℞. Radicum Petroſelini,

Radicum Fœniculi ana Uncias duas,
Liquiritiæ,
Ireos Florentinæ ana Unciam unam ſemis,
Florum Malvæ,
Althææ ana Drachmas ſex,
Seminum Fœniculi,
Saxifragæ ana Drachmas ſex,
Cicerum Uncias ſex,
Jujubarum,
Caricarum ana Numero triginta,
Hordei mundati Uncias tres:
Inciſa & contuſa miſceantur:
Contra Nephritidem & Ardorem Urinæ commendantur.

SPECIES PRO DECOCTO CARMINATIVO *Auguſtanorum.*

℞. Radicum Liquiritiæ,
Florum Chamomillæ ana Drachmas ſex,
Paſſularum minorum Uncias ſex,
Seminum Aniſi,
Dauci,
Cumini,
Carvi,
Fœniculi ana Uncias duas,
Inciſa & contuſa miſceantur:
Unciæ duæ decoquantur cum Aquæ Unciis quindecim.
Pro Clyſmate Flatus pellente.

SPECIES PRO DECOCTO PECTORALI DE *AUGUSTIS.*

℞. Radicis Liquiritiæ,
Herbarum Capilli Veneris ana Unciam unam,
Hyſſopi Unciam ſemis,
Paſſularum minorum Uncias duas,
Dactylorum Uncias quatuor,
Caricarum Uncias duas,

Siliquarum dulcium,
Jujubarum ana Unciam unam ſemis,
Hordei mundati Uncias duas:
Inciſa miſceantur.

In affectibus Pectoris a ſtrictura aut ab acri oriundis cum ſucceſſu ex aqua decoctæ exhibentur.

SPECIES PRO DECOCTO PRO POTU INFANTUM *Argentoratenſium.*

℞. Raſurarum Cornu Cervi Uncias ſedecim,
Eboris Uncias quatuor,
Radicum Liquiritiæ Uncias duodecim,
Polypodii Uncias quatuor,
Florum Tiliæ Uncias duas,
Caricarum,
Siliquarum dulcium ana Uncias octo,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana Uncias quatuor:
Inciſa, contuſa miſceantur.

Olim in frequenti apud nos uſu erat Decoctum ex his Speciebus paratum; hodie, haud ſpernendo conſilio, infantibus parcius exhibetur.

SPECIES PRO DECOCTO VULNERARIO.

℞. Radicum Enulæ,
Symphyti,
Tormentillæ,
Vincetoxici ana Unciam ſemis,
Liquiritiæ Drachmas ſex,
Herbarum Alchymillæ,
Saniculæ,
Plantaginis,
Auriculæ muris,
Agrimoniæ,
Sanguiſorbæ,
Bugulæ,

Herbæ Virgæ Aureæ,
Florum Hyperici,
Bellidis ana Unciam ſemis,
Seminis Fœniculi Drachmas ſex:
Inciſa, contuſa miſceantur.
Laudantur Roborandi ſcopo in morbis Pectoris.

SPECIES DIACRETÆ *Mynsichti.*

℞. Cretæ albæ præparatæ Unciam unam ſemis,
Nucum Moſchatarum Drachmas ſex,
Liquiritiæ,
Seminis Cydoniorum ana Unciam ſemis,
Boli Armenæ præparatæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana Drachmas duas,
Lapidum Carpionum,
Macis,
Maſtychis electæ,
Croci Orientalis ana Scrupulos quatuor,
Sacchari albiſſimi Uncias ſedecim:
Miſceantur & redigantur in Pulverem ſubtiliſſimum.
Dantur in Ardore Stomachi, Soda dicto, ad Seſquidrachmam pro doſi.

SPECIES DIAIREOS SIMPLICES *Renodæi.*

℞. Radicum Ireos Florentinæ,
Sacchari candi albi,
Specierum Diatragacanthæ frigidarum ana Partes æquales:
Miſceantur & redigantur in Pulverem.
Muci incidendi & Acrimoniæ demulcendæ cauſa Tuſſi laborantibus exhibentur.

SPECIES DIAMBRÆ *Mesue.*

℞. Radicum Doronici,
Galangæ ana Drachmas tres,
Zinziberis Seſqui-drachmam,

Foliorum Malabatri,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana Drachmas tres,
Spicæ Indicæ Drachmam unam,
Cardamomorum minorum,
Lignorum Santali citrini,
Aloes,
Piperis longi ana Drachmas duas:
Miſceantur & reducantur in Pulverem; cui addantur
Ambræ gryſeæ Drachma una,
Moſchi Drachma ſemis
Sacchari parum trita:
Omnia probe miſceantur.

Capitis & Ventriculi Roborandi cauſa olim in frequenti uſu fuerunt. Doſis ad Drachmam ſemis.

SPECIES DIATRAGACANTHÆ *Præpositi* correctæ.

℞. Gummi Tragacanthæ electæ Uncias duas,
Arabici Drachmas decem,
Amyli Unciam ſemis,
Radicis Liquiritiæ Drachmas duas:
Miſceantur; Fiat Pulvis.

Cum Nicolaus calidas etiam Diatragacanthæ Species præſcripſerit, in eorum diſcrimen hæ FRIGIDÆ dicuntur & in Affectibus Pectoris ab Acri Demulcendi gratia adhibentur.

SPECIES DISCUTIENTES *Danorum.*

℞. Herbarum Majoranæ,
Menthæ,
Rutæ,
Salviæ,
Florum Lavendulæ,
Meliloti,

Baccarum Juniperi ana partes æquales:
Miſceantur & contundantur in groſſum Pulverem.
Vires ex nomine patent; applicantur ſub forma Fomentationis.

SPECIES EMOLLIENTES *Viennenſium.*

℞. Radicum Althææ Uncias quatuor,
Herbarum Althææ,
Malvæ,
Acanthi,
Parietariæ,
Violariæ ana Uncias duas,
Florum Chamomillæ Uncias tres:
Miſceantur & reducantur in craſſum Pulverem.
Ad Clyſmata & Enemata adhibentur.

SPECIES PRO EPITHEMATE CORDIS *Auguſtanorum* ET PULSUUM *Argentoratenſium.*

℞. Herbarum Roriſmarini,
Majoranæ,
Meliſſæ,
Florum Cheiri,
Tunicæ ana Unciam ſemis,
Lavendulæ,
Roſarum ana Drachmas ſex,
Lignorum Aloes;
Rhodii,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana Drachmas duas,
Cinnamomi Drachmas ſex,
Corticum Citri,
Aurantiorum ana Drachmas tres:
Miſceantur & contundantur in groſſum Pulverem.
Roborandi ergo Sacculis ex ſindone rubra confectis includebantur, Agonizantibus applicandæ.

SPECIES PRO FOTU AROMATICO *Pariſienſium.*

℞. Herbarum Roriſmarini,

Herbarum Rutæ,
Salviæ,
Hyſſopi,
Lavendulæ,
Abſynthii,
Origani,
Thymi,
Foliorum Lauri,
Florum Roſarum rubrarum,
Chamæmeli,
Meliloti,
Sambuci,
Salis Ammoniaci ana partes æquales:
Mixta redigantur in Pulverem craſſum:

Diſcutiendi ergo commoto Capiti forma Epithematis ſicci, ſive ex Vino coctæ, inſtar Fomentationis, imponuntur.

SPECIES PRO FOTU AD COLICAM *Palatinorum.*

℞. Florum Chamomillæ Uncias duas,
Baccarum Juniperi,
Lauri ana Unciam unam,
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Carvi,
Cumini,
Salis Ammoniaci ana Unciam ſemis:
Miſceantur & redigantur in craſſum Pulverem.

SPECIES IMPERATORIS *Auguſtanorum.*

℞. Cinnamomi optimi Drachmas decem,
Zinziberis,
Caryophyllorum ana Unciam unam ſemis;
Galangæ,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana Drachmas duas:
Miſceantur & redigantur in craſſum Pulverem:

Pro Roborando Ventriculo pani toſto Vinoque macerato inſperguntur.

SPECIES pro ODORAMENTO *POTPOURRI.*

℞. Florum recentium Roſarum rubrarum Unciam ſemis,
Lavendulæ Drachmas duas ſemis
Ligni Rhodii Unciam ſemis,
Radicis Ireos Florentinæ Uncias duas,
Herbarum recentium Baſilici,
Calaminthæ montanæ,
Majoranæ ana Drachmas duas,
Menthæ Piperitis Scrupulos quatuor,
Origani,
Polii,
Salviæ,
Saturejæ,
Corticum Aurantiorum,
Citri ana Drachmas duas,
Cinnamomi,
Summitatum Rorismarini,
Caryophyllorum,
Macis ana Drachmas tres,
Foliorum Lauri Unciam ſemis,
Moſchi, Saccharo triti, Grana duo,
Ambræ gryſeæ, Saccharo tritæ, Grana quatuor:
Contuſa in Pulverem groſſum miſceantur:
Vires ex nomine patent.

SPECIES RESOLVENTES *Danorum.*

℞. Herbarum Abſynthii,
Meliſſæ,
Menthæ,
Origani ana Uncias quatuor,
Florum Chamomillæ,
Sambuci ana Uncias tres,

Bacca-

Baccarum Lauri Uncias duas:
Miſceantur & reducantur in Pulverem craſſum.
Diſcutiendi ſcopo ſub forma Epithematis vel Fotus applicantur.

SPECIES TABACI PRO FUMO *Camerarii.*

℞. Styracis,
Maſtyches,
Benzoes,
Succini ana Unciam ſemis,
Olibani Drachmas duas,
Foliorum Tabaci Uncias octo,
Majoranæ Unciam unam,
Florum Lavendulæ,
Cyani,
Roſarum rubrarum,
Calendulæ ana Unciam ſemis,
Liliorum convallium,
Seminum Fœniculi,
Aniſi ana Drachmas duas,
Caryophyllorum Aromaticorum,
Cubebarum ana Drachmas tres:
Incidantur, contundantur & miſceantur.
Laudantur ad Defluxiones Catarrhales & Odontalgiam. Sola Tabaci Folia hodie illis præferuntur.

SPECIFICUM ANTEPILEPTICUM *Weismann.* CUPRUM AMMONIACUM *Edinburgenſium.*

℞. Vitrioli de Cypro, quantum placet:
Diſſolvatur in aqua; ſolutio filtretur; affundatur
Spiritus Salis Ammoniaci cum Sale Tartari quantum ſatis ad Saturationem; tunc affundatur
Spiritus Vini rectificatiſſimus, uſque dum Liquor totus turbidus evadat; Cryſtalli ad fundum ſecedentes charta bibula exſiccentur, & in vitro probe clauſo aſſerventur.

Edinburgenſes inde ope Micæ Panis PILULAS CÆRULEAS formant.

Pueris ad Grana quatuor, adultis ad novem uſque exhibetur & unicam doſin aliquot Epilepticos ſanitati reſtituiſſe Auctor teſtatur *N. A. Nat. Cur.* T. I. p. 279. & *Medical Comment. by a Society in Edinburg.* Vol. VI. 30.

SPECIFICUM ANTIFEBRILE *Crollii.*

Videantur Conchæ.

SPECIFICUM CEPHALICUM *Michaelis*, ab *Auguſtanis* correctum.

℞. Cinnabaris factitiæ Uncias tres,
Radicum Pæoniæ Unciam unam ſemis,
Lapidis Smaragdi præparati Drachmas duas,
Ungulæ Alcis Drachmam unam,
Cranii humani,
Coralliorum rubrorum,
Cornu Cervi ſine igne præparati ana Scrupulos duos,
Unicornu marini,
Margaritarum,
Succini ana Scrupulum unum:
Miſceantur, redigantur in Pulverem tenerrimum.

Ad affectus Capitis, Spaſmos, Convulſiones præſcribitur, quo vero ſucceſſu? experti norunt prudentes.

SPECIFICUM FEBRIFUGUM *Craanii.*

Videatur Regulus Antimonii Medicinalis.

SPECIFICUM JALAPPINUM *Argentoratenſium* seu SPECIES DIAJALAPPÆ *Bartholini* correctæ.

℞. Reſinæ Jalappæ, nucleis Pineis tritæ, Unciam unam ſemis,
Cremoris Tartari Uncias duas ſemis:
Miſceantur exactiſſime.

Radici Jalappæ, cujus incerta ſemper doſis eſt, Reſinam ſubſtituendam duximus, & hic ſaltem minus efficaci Tartaro Vitriolato Cremorem Tartari ſubſtituimus. Poteſt ad Drachmam ſemis pro doſi dari.

SPIRITUS ABSTRACTITII SIMPLICES.

Parantur in modum Aquarum abſtractitiarum, loco Aquæ Spiritum Vini recipiendo & deſtillando uſque dum Phlegma prodeat; ex tempore quoque ſurgunt, dum Oleum odoratum in Spiritu Vini rectificato diſſolvitur; illius rationem determinabit odor.

SPIRITUS BALSAMI PERUVIANI *Hoffmann*.

℞. Balſami Peruviani Uncias duas,
Salis Tartari Unciam unam:
Probe mixtis adjiciantur
Spiritus Roſarum Unciæ duodecim:
Abſtrahatur Spiritus.

Hoffmann Obſervat. Phyſic. Chym. L. I. Obſ. 23. hunc Spiritum non modo a ſaporis gratia virtuteque Analeptica commendat, ſed Diureticam quoque ejus virtutem laudat.

SPIRITUS BEZOARDICUS *Bussii*.

℞. Spiritus Eboris Uncias duas,
Salis Ammoniaci Succinati Uncias duodecim,
Vini rectificati Uncias triginta & ſex,
Olei de Cedro Drachmas duas:
Miſceantur probe.

Valide Sudorem & Urinam movet; olim multum ad promovendam Exanthematum eruptionem laudabatur; datur ad guttas triginta.

SPIRITUS CARMINATIVUS *Sylvii*.

℞. Radicum Imperatoriæ,
Galangæ ana Drachmam unam ſemis,

Radicis Angelicæ Drachmam unam,
Herbarum Roriſmarini,
Majoranæ,
Rutæ,
Baſilici,
Florum Centaurii minoris ana Drachmas duas,
Baccarum Lauri Drachmas tres,
Seminum Angelicæ,
Leviſtici,
Aniſi ana Unciam ſemis,
Zinziberis,
Nucum Moſchatarum,
Macis ana Drachmam unam ſemis,
Cinnamomi Drachmas ſex,
Caryophyllorum,
Corticum Aurantiorum ana Drachmam unam ſemis:
Inciſis & contuſis affundantur
Vini albi generoſi Unciæ quadraginta octo,
Spiritus Vini rectificati Unciæ duodecim:
Digerantur per biduum, tunc deſtillentur ad dimidias.

Ad diſcutiendos Flatus & diſſipanda, quæ inde oriuntur, incommoda ad Semiunciam exhibetur.

SPIRITUS CARMINATIVUS DE TRIBUS.

Videatur Spiritus Nitri dulcis.

SPIRITUS COCHLEARIÆ *Pariſienſium.*
SPIRITUS COCHLEARIÆ COMPOSITUS *Brunſvicenſium.*

℞. Foliorum recentium Cochleariæ Uncias octoginta,
Radicum Raphani ruſticani recentium Uncias decem;
Minutim conciſa infundantur per nycthemerum cum
Spiritus Vini Unciis nonaginta ſex:
Inſtituatur deſtillatio, uſque dum liquor albeſcens prodeat.

Aqua temperatus hic Spiritus Collutorio ſcopo ad vitia Oris Scorbutica adhibetur.

SPIRITUS CORNU CERVI *Mœbii.*

℞. Cornu Cervi in minora fruſta comminuti quantum placet; immittatur in Retortam terream; cui juncto veſicæ ope excipulo, inſtituatur igne nudo deſtillatio. Hoc negotio Spiritus, Oleum, ac Sal Volatilis obtinebitur. Filtri ope Spiritus ab Oleo, ipſi innatante, curate ſeparandus eſt.

Diſſolvendo humores & ſolida ſtimulando Excretiones promovet aquoſas. Datur ad Scrupulum unum.

SPIRITUS DE TRIBUS.

Videatur Mixtura ſimplex.

SPIRITUS JASMINI *Beaumé.*

℞. Olei Jaſmini Uncias ſedecim,
Spiritus Vini rectificati Uncias octodecim:
Miſceantur; crebro concutiantur; exponantur frigori, quo Oleum conſiſtat & ſupernatet Spiritui; Liquor defundatur.

Ad odoramenta exhibetur.

SPIRITUS *Mindereri.*
MIXTURA SALINA VOLATILIS *Suecorum.*

℞. Spiritus Salis Ammoniaci cum Sale Tartari; cui inſtilletur
Aceti vulgaris quantum ſatis ad Saturationem:
Liquor filtretur.

Reſolvendi & Excretiones aquoſas promovendi cauſa laudatur. Doſis ad Drachmam dimidiam.

SPIRITUS NITRI.

Videatur Aqua fortis.

SPIRITUS NITRI DULCIS *Kellii.*
NAPHTA NITRI *Kunckelii.*
SPIRITUS ÆTHEREUS NITRATUS *Suecorum.*

℞. Alcoholis vini Uncias quatuor:
Immittantur in vitrum amplum epiſtomio vitreo obturandum & glaciei immerſum; affundantur tum

Spiritus Nitri fumantis Unciæ duæ:
Claudatur vitrum; elapſis aliquot horis adjiciatur iterum
Spiritus Nitri fumantis Uncia ſemis:
Obturetur vitrum, negotiumque hoc repetatur poſt aliquot horarum intervallum, donec Naphta liquori ſupernatet, hæc ubi apparuerit, affundatur adhuc
Spiritus Nitri ſemiuncia:
Elapſis aliquot horis infundibuli ope Naphta a liquore, cui ſupernatat, ſeparetur, larga aquæ copia diluatur, & adjecto ipſi Alcali, uſque dum nulla ulterius effervefcentia ſurgat, omne quod ipſi adhæret acidum inde auferatur. Diſtilletur tunc leniſſimo igne aqua, quæ Naphtam habet, ex cucurbita, donec iſta omnis in excipulum deſcenderit, & Naphta inde ſeparata vitro optime clauſo aſſervetur. Liquori acido, ex quo Naphta ſurrexerat, addatur Alcoholis quadruplum & deſtilletur ex cucurbita, quoad liquor deſtillans acidum ſapiat, & ſub nomine *SPIRITUS NITRI DULCIS* aſſervetur.

Reſpectu virium cum Liquore Anodyno convenit; multum ſcopo Carminativo laudatur; gratiæ ergo Julapiis adjicitur; datur ad Drachmam ſemis; optime ſubſtituitur SPIRITUI CARMINATIVO DE TRIBUS.

SPIRITUS NITRI FUMANS *Glauberi.*

℞. Nitri depurati Uncias duas & triginta:
Retortæ immiſſis per vices affundantur
Olei Vitrioli Unciæ ſedecim:
Inſtituatur deſtillatio ex Balneo Arenæ, Spiritus hac ratione obtentus vitro probe clauſo aſſervetur. Reſiduum eſt *TARTARUS VITRIOLATUS* ſive *NITRUM VITRIOLATUM Londinenſium.*
Paratur pro præparatione Spiritus Nitri Dulcis.

SPIRITUS ad PERNIONES *Darelii.*

℞. Spiritus Vini Camphorati Uncias tres,
Salis Ammoniaci Unciam unam,

Petrolei nigri Unciam unam ſemis:
Miſceantur.

Vires ex nomine patent.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI TARTARISATUS. *Pharmacopœæ Bateanæ.* ALCALI AMMONIACUM AQUOSUM *Suecorum.*

℞. Salis Ammoniaci Uncias ſedecim,
Cinerum clavellatorum Uncias quadraginta octo:
Mixta deſtillentur Retorta, excipulo veſicæ ope munita; Liquori obtento adjiciantur
Aquæ fontanæ Unciæ quadraginta & octo:
Aſſervetur cum Cryſtallis deſtillatione obtentis.
Si liquor urinoſus diluitur,
Aquæ fontanæ Unciis ſedecim,
Spiritus Vini rectificati Unciis triginta duabus,
Surgit *SPIRITUS SALIS AMMONIACI VINOSUS.*

Egregium medicamentum pro attenuandis Humoribus, Aſthmaticis multum commendatur; Diureticos quoque & Diaphoreticos effectus edit; nec minus egregie a Vipera morſis conducit. In Odontalgia & qualicunque Animi deliquio naribus admovetur. Doſis eſt ad Scrupulum unum.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI cum CALCE VIVA *Glauberi.* SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS *Meyeri* vel AMMONIACUM ALCALI VOLATILE CAUSTICUM *Suecorum.* ALCALI FLUOR *Roſſorum.*

℞. Salis Ammoniaci Uncias ſedecim,
Calcis vivæ pulveriſatæ Uncias quadraginta octo:
Celerrime mixta committantur Cucurbitæ Alembico & excipulo inſtructæ; ope caloris balnei eliciatur Spiritus, qui vulgo Aquæ Unciis triginta dilui ſolet.

Medicamentum antecedente multo vehementius rariſſime interne datur; ſcopo quoque Excitandi priore longe efficacius, hinc non bene in officinis dilutum proſtare jubetur.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI OLEOSI.

Spiritus Salis Ammoniaci Vinoſi Unciæ uni addatur Olei odorati Scrupulus dimidius, Spiritus Vini rectificati paululo diſſolutus.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI SUCCINATUS *Auguſtanorum.* EAU DE LUCE.

℞. Spiritus Salis Ammoniaci cum Calce viva Uncias quatuor,
Olei deſtillati Succini grana octo, diſſoluta
Spiritus Vini rectificatiſſimi Uncia ſemis.

Hic Spiritus præcipue contra affectus Capitis Catarrhales efficacior eſſe putatur, quam Spiritus Salis Ammoniaci cum Calce viva ſimplex.

Obſervetur quod Roſſi *SPIRITUS SALIS AMMONIACI LIXIVIA ALCALINA* appellant.

SPIRITUS SALIS COMMUNIS *BASILII. VALENTINI.*

℞. Salis communis partem unam,
Argillæ albæ partes tres:
Miſceantur & deſtillentur ex Retorta terrea, igne nudo.

Internus ejus uſus rariſſimus, externus ad Perniones commendabilis eſſe perhibetur.

SPIRITUS SALIS DULCIS.

℞. Spiritus Salis fumantis Uncias octo,
Alcoholis Uncias ſex:
Miſceantur & deſtillentur ex cucurbita; liquor deſtillatus denuo ex Retorta leniſſimo igne deſtilletur & aſſervetur *NAPHTA SALIS COMMUNIS* quæ inde prodit: hujus Uncia una miſceatur cum Alcoholis Unciis quatuor pro SPIRITU SALIS DULCI.

Qualicunque alia ratione parati Spiritus Salis dulcis eminet aciditas. Hoc vero medicamentum cum reliquorum acidorum dulcificatorum viribus congruit.

SPIRITUS SALIS FUMANS *Glauberi.*

℞. Salis communis Uncias triginta duas:
Affundantur ſenſim
Olei vitrioli Unciæ ſedecim, dilutæ
Aquæ Unciis duodecim:
Inſtituatur deſtillatio ex Balneo arenæ,
Paratur proxime præcedentis laboris ergo.

SPIRITUS SAPONIS.

℞. Saponis Veneti Uncias quatuor,
Salis Tartari Uncias duas:
Probe tritis adjiciantur
Spiritus Vini rectificati Unciæ duodecim,
Quintæ Eſſentiæ Bergamotte Drachma ſemis,
Diſcutiendi ſcopo multum laudatur.

SPIRITUS SUCCINI.

Videatur Sal Succini.

SPIRITUS SULPHURIS.

Is cum ſub deſtillatione Vitrioli ultro obtineatur, cur potius per ambages & cum diſpendio, Sulphur nimirum ſub campana accendendo ortosque inde vapores colligendo parari debeat, non video.

Spiritus Vitrioli aqua dilutus, fœtido huic medicamento prudenter ſubſtituitur.

SPIRITUS SULPHURIS VOLATILIS *Beguini.*

℞. Salis Ammoniaci Uncias octo,
Calcis vivæ Uncias duodecim,
Florum Sulphuris Uncias quatuor:
Miſceantur, & deſtillatione inde elicitus Spiritus aſſervetur.

Scopo medicato, quamvis ab Hoffmanno laudatus, non adhibetur. Detegendo Vini per Plumbum mangonio præcipue inſervit.

SPIRITUS TARTARI *Lullii.*
ACIDUM TARTARI DESTILLATUM *Suecorum.*

Paratur ex Tartaro eodem modo, quo Spiritus e lignis elici ſuo loco docuimus.

SPIRITUS VINI ALCALISATUS *Libavii.*

Alcoholi quantæ libuerit copiæ immittatur Sal Tartari, uſque dum ulterius immiſſus non liquetur.

Ad extrahendas & ſolvendas Reſinas adhibetur.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS *Cordi.*
ESSENTIA CAMPHORÆ *Quercetani.*

℞. Spiritus Vini rectificati Uncias ſedecim,
Camphoræ Unciam unam,
Solutio aſſervetur.

Polychreſtum medicamentum eſt, quo Diſcutiendi ergo ſolent uti.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS CROCATUS
AQUA PESTILENTIALIS *Hartmanni.*

℞. Spiritus Vini Camphorati Uncias duodecim,
Eſſentiæ Croci Scrupulum unum:
Miſceantur.

Ratione virium ab antecedente vix differre videtur.

SPIRITUS VINI LOTUS *Kunckelii.*

℞. Spiritus Vini Tartariſati,
Aquæ fontanæ ana partes æquales:
Deſtillatione eliciatur Alcohol ſinceriſſimum.

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS *Hollandi.*

Spiritus Vini quantum lubuerit:
Deſtilletur, donec lacteſcentes prodeant guttæ.
Liquor reſiduus *PHLEGMA* dicitur.

SPIRITUS VINI TARTARISATUS *Lemery.*

Eſt Spiritus Vini Alcaliſatus ex Cucurbita deſtillatus.

SPIRITUS VITRIOLI.

℞. Olei Vitrioli partem unam,
Aquæ fontanæ partes tres:
Senſim ſenſimque miſceantur.

SPIRITUS VITRIOLI DULCIS.

Videatur Liquor Anodynus.

SPODIUM.

Videatur Ebur album uſtum.

SPONGIÆ PRÆPARATÆ *Danorum.*

Spongiæ finiſſimæ probe exſiccatæ, in laminas ſectæ, immittantur Ceræ flavæ, igne liquatæ; exprimatur inde torcularis ope Cera excedens.

Pro Turundis dilatatoriis adhibentur.

SUCCI EXPRESSI.

Vegetabile recens inciſum & contuſum immittatur ſacco linteo, exprimatur torculari ſuccus, qui per ſubſidentiam defæcatus clarificetur Albumine ovorum & ſi per aliquod tempus ſit aſſervandus, committatur vitro anguſtioris colli, ſuperfuſoque ipſi paululo olei Amygdalarum vitrum exactiſſime obturetur.

SUCCI ANTISCORBUTICI *Danorum.*

℞. Herbarum recentium Cochleariæ partes duas,
Beccabungæ,
Naſturtii Aquatici,
Pedunculorum recentium Taraxaci,
Pulpæ recentis Aurantiorum ana partem unam:
Inciſa committantur prelo.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII *Basil. Valentini.*

Aqua, cujus ope Hepar Antimonii fuerit edulcoratum, reponatur per aliquot menſes; defundatur ab IMPURO, quod ad

fundum depoſuit, SULPHURE; affundatur ipſi Acetum, quoad iſtius ope nihil ulterius præcipitetur; pulvis ad fundum deſidens probe edulcoratus ſervetur.

Eximium medicamentum ad humorum Spiſſitudinem attenuandam. Datur ad Granum unum.

SUPPOSITORIA *GAUBII.*

℞. Salis communis Unciam unam,
Saponis Veneti Uncias duas,
Mellis ad conſiſtentiam ſpiſſam cocti quantum ſatis:
Formentur coni, baſis rotundæ & variæ magnitudinis.

Ad reſerandam Alvum oleo inuncta intruduntur ano.

SYRUPI
Canones.

I. Σεράπια ACTUARII, qui ea barbare Syrupos dici monet, ſunt liquores in ſpiſſitudinem minorem quam ſaparum, ope Sacchari ſive Mellis condenſati.

II. Pro parandis ex Succis, aliisve coctionem non admittentibus Syrupis, illis diſſolvendum Sacchari puriſſimi duplum, paratusque hoc modo Syrupus colandus erit.

III. Syrupi Aromatici optime parantur Elæoſacchara dimidio aquæ diſſolvendo.

IV. Reliqui Syrupi Saccharo cum Decocto, quod *BRODIUM* dicunt, ad juſtam conſiſtentiam coquendo; Albumine deinde Ovorum clarificando perque pannum trajiciendo conficiuntur.

V. Optima ex Floribus parandi Syrupos ratio ea eſt, qua Floribus recentibus adjicitur Sacchari ad conſiſtentiam tabulandi cocti duplum; cuncta per duodecim fere horas digeſtioni frigidæ relinquuntur; leni dein calore foventur; linteo immittuntur, torcularique denique exprimitur deſideratus Syrupus.

SYRUPUS ALTHÆÆ *FERNELII.*

℞. Radicum Althææ,

Radicum Graminis,
Aſparagi,
Glycyrrhizæ,
Herbarum Althææ,
Parietariæ,
Sanguiſorbæ,
Plantaginis,
Rutæ murariæ,
Capilli Veneris ana Drachmas tres,
Paſſularum minorum Unciam ſemis,
Cicerum rubrorum Unciam unam:
Inciſa & contuſa coquantur ex
Aquæ fontanæ Unciis quadraginta, ad reſiduum Unciarum triginta:
In colatura diſſolvantur
Sacchari Unciæ quinquaginta:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, qui Clarificatus aſſervetur.

Proprie quidem contra affectus Nephriticos commendatur, ſed Demulcentium quoque remediorum vicem ſuſtinet haud pœnitendam.

SYRUPUS AMYGDALINUS HORDEATUS *Pariſienſium.* EMULSIVUS vulgo.

℞. Amygdalarum dulcium Uncias decem,
Amararum Uncias ſex,
Aquæ fontanæ Uncias quatuor & quadraginta:
Paretur ſecundum artem Emulſio:
Addantur Sacchari albi Unciæ octoginta:
Inſtituatur coctio ad conſiſtentiam Syrupi:
Colato addantur
Aquæ Florum Naphæ Unciæ duæ.

SYRUPUS DE AMMONIACO *Klein.*

℞. Gummi Ammoniaci Uncias duas;
Diſſolvantur in

Aquæ Hyſſopi,
Vini albi ana Unciis quinque:
Solutio colata miſceatur cum
Sacchari albi ad conſiſtentiam tabulandi cocti Unciis ſedecim:
Agitentur ad refrigerationem uſque.
Egregium Medicamentum Reſolvens.

SYRUPUS ANTISCORBUTICUS *Pariſienſium.*

℞. Succorum non defæcatorum Foliorum Cochleariæ,
Beccabungæ,
Naſturtii aquatici,
Radicum Armoraciæ ana Uncias duodecim,
Aurantiorum amarorum Uncias viginti,
Corticum Aurantiorum amarorum recentium Unciam unam:
Miſceantur & digerantur frigide in cucurbita probe clauſa aliquoties ſuccutienda, donec fæces ſubſederint, id quod ut plurimum duodecim demum horis elapſis accidere ſolet; liquor clarus filtretur, menſuretur, committatur denuo cucurbitæ; Adjiciatur ipſi.
Sacchari albiſſimi duplum:
Solutione leni calore peracta adjiciantur
Spiritus Cochleariæ,
Aquæ Cinnamomi ana Uncia una:
A fæcibus denuo ſubſidentibus decantetur Syrupus & aſſervetur in Vitris probe clauſis.
Præter Antiſcorbuticas, Diureticas quoque, Emenagogas, & Humores Depurantes vires edit.

SYRUPUS BALSAMICUS *Hoffmann.*

℞. Julepi Roſarum Uncias duodecim,
Spiritus Balſami Peruviani Drachmas tres:
Miſceantur.
Roborandi Ulcerumque internorum curandorum cauſa adhibetur.

SYRUPUS BALSAMI TOLUTANI *Klein.*

℞. Sacchari albiſſimi Uncias triginta duas,
Aquæ fontanæ Uncias viginti:
Brevi coctione ad ſpiſſitudinem redactis, colatis & ſemi refrigeratis immiſceantur, aſſidue agitando,
Balſami Tolutani Drachmæ ſex cum Sacchari albi ſeſquiuncia in pulverem tritæ.

Efficacia virium antecedenti par, gratia ſaporis ſuperior eſt.

SYRUPUS BOYLEANUS.

℞. Radicis Symphyti recentis Uncias ſex,
Herbæ Plantaginis majoris Uncias tres:
Ex contuſis exprimatur torculari Succus, cui per ſubſidentiam depurato addatur
Sacchari æquum pondus:
Coquatur ad conſiſtentiam Syrupi, qui clarificatus & colatus ſervetur.

Commendatur maxime Hæmoptyſi laborantibus, nec inefficax erit in aliis quoque Evacuationibus.

SYRUPUS BYZANTINUS *Mesue.*

℞. Succorum depuratorum Apii,
Endiviæ ana Uncias quatuor & viginti,
Bugloſſi,
Lupuli ana Uncias duodecim,
Sacchari albi Uncias octo & quadraginta:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, qui clarificetur & coletur.

Ad morbos ab obſtructione Viſcerum Abdominalium cum ſucceſſu adhibetur; olim contra Febres pertinaces commendari ſolebat.

SYRUPUS CHINÆ *Lemery.*

℞. Corticum Chinæ craſſe contuſorum Uncias quatuor,

Vini rubri Uncias duas & triginta:
Infundantur per biduum in vaſe probe clauſo:
Liquore filtrato diſſolvantur
Sacchari albiſſimi Unciæ ſexaginta.
Contra Febres & morbos Putridos in uſum trahitur.

SYRUPUS CICHOREI CUM RHABARBARO. *Poterii.*

℞. Radicum Cichorei Uncias duas cum ſemiſſe:
Coquantur cum
Aquæ fontanæ Unciis octodecim,
Ad reſiduum Unciarum duodecim:
In colatura infundatur per noctem,
Rhabarbari minutim inciſi Uncia una,
Salis Tartari Scrupulus unus:
Colaturæ adjiciantur
Sacchari albi Unciæ viginti duæ:
Denuo coletur.
Infantibus maxime Evacuandi ſcopo exhibetur.

SYRUPUS CITRI E TOTO *Dorncrellii.*

℞. Flavedinis Corticum Citri recentium Uncias duas ſemis:
Infundantur per noctem in
Succi Citri recentis Unciis quatuor & viginti:
In colatura diſſolvantur
Sacchari albi Unciæ quadraginta:
Colatus Syrupus ſervetur.
Ad fallendam Sitim, ſedandum æſtum, arcendam Putredinem merito commendabilis.

SYRUPUS CORALLIORUM *Quercetani.*

℞. Coralliorum rubrorum in pulverem redactorum Uncias duas,
Succi Berberum Uncias duodecim:
Poſt digeſtionem aliquot dierum colentur:
In colatura diſſolvantur
Sacchari albi Unciæ viginti:

Cola-

Colatura ſervetur.

Coralliorum nihil ſubit hunc Syrupum, SYRUPO BERBERUM omnino poſtponendum.

SYRUPUS CORTICUM CITRI *Serapionis.*

℞. Flavedinis Corticum Citri recentium Uncias quatuor,
Granorum Chermes Drachmas tres,
Vini albi generoſi Uncias duodecim:
Macerentur per viginti quatuor horas in vaſe probe tecto:
Liquor filtratus commiſceatur cum
Sacchari albiſſimi ad conſiſtentiam Tabulandi cocti Unciis octodecim.

Refocillandi & Roborandi cauſa exhibetur.

SYRUPUS DIACODII, DIACODIUM LIQUIDUM *Montani.*

℞. Capitum Papaveris Uncias duas,
Siliquarum dulcium Uncias duas ſemis:
Minutim inciſa coquantur cum
Aquæ fontanæ Unciis octodecim,
ad reſiduum Unciarum decem; ſub finem coctionis addantur
Liquiritiæ recentis minutim inciſæ Uncia una ſemis:
In colatura diſſolvantur
Sacchari albi Unciæ ſedecim:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, qui clarificatus aſſervetur.

Sopiendæ Tuſſi conducit.

SYRUPUS DOMESTICUS vel de SPINA CERVINA *Val. Cordi.*

℞. Succi baccarum Rhamni Cathartici depurati Uncias viginti,
Sacchari albi Uncias duas & triginta,
Zinziberis,
Cinnamomi,
Caryophyllorum ana Drachmam unam ſemis,

Maſtychis,
Seminis Aniſi ana Drachmas tres:
Pauliſper coquantur, clarificentur & ſerventur.
Alvum ducit, Urinam ciet, Hydropicis & Arthriticis datur cum ſucceſſu ad Unciam unam pro doſi.

SYRUPUS EMETICUS *Brandeburgenſium.*

℞. Vitri Antimonii Hyacinthini Drachmas duas,
Vini albi generoſi Uncias duodecim:
Stent in Digeſtione per triduum; filtratis diſſolvantur
Sacchari albi Unciæ quatuor & viginti:
Semel ebulliant & colentur.
A Drachmis ſex ad Unciam pro doſi datur.

SYRUPUS EMETICUS *Glauberi.*

℞. Florum Antimonii Unciam unam,
Cremoris Tartari Uncias duas,
Sacchari Uncias ſex:
Coquantur per ſex horas cum
Aquæ fontanæ Unciis octoginta:
Filtrentur & evaporentur ad conſiſtentiam Mellis.
Addantur Spiritus Vini rectificati Unciæ ſedecim:
Per decem horas digerantur & leni igne evaporentur ad conſiſtentiam Syrupi
Scopo Emetico Guttæ aliquot miſcentur cum aqua & ſingulo horæ dimidio repetuntur, quoad deſideratus ſurgat, effectus.

SYRUPUS EMULSIVUS.

Videatur Syrupus Amygdalinus.

SYRUPUS DE ERYSIMO *Lobelii*

℞. Radicum Enulæ recentium Unciam unam,
Ireos Germanicæ Uncias tres,
Liquiritiæ,
Farfaræ ana Unciam unam,

Herbarum Eryſimi Manipulos decem,
Botryos Manipulos ſeptem,
Farfaræ,
Polytrichi,
Hyſſopi recentis ana Manipulos ſex,
Endiviæ,
Borraginis,
Moldavicæ ana Manipulos quatuor,
Marrubii recentis,
Scabioſæ,
Cardui benedicti ana Manipulos duos;
Chamædryos,
Violariæ,
Betonicæ ana Seſqui manipulum,
Thymi,
Florum Violarum,
Borraginis,
Bugloſſi,
Roſarum,
Stœchados ana Manipulum unum,
Salviæ Pugillos duos,
Paſſularum minorum,
Caricarum ana Uncias ſex,
Baccarum Lauri,
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Carvi,
Cumini ana Unciam ſemis,
Hordei Unciam unam:
Inciſa & contuſa coquantur cum
Aquæ Unciis ducentis,
Ad reſiduum Unciarum centum & quinquaginta:
Colatis adjiciantur
Succi Eryſimi depurati,
Aceti ana Unciæ duodecim,

Mellis Unciæ ſex & triginta,
Sacchari albi Unciæ nonaginta ſex:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, qui clarificatus aſſervetur.
Magnopere laudatur pellendis affectibus Pectoris Pituitoſis; contra Raucedinem peculiariter efficax fertur.

SYRUPUS GLYCYRRHIZÆ *Mesue.*

℞. Radicum Liquiritiæ Uncias duas,
Herbarum Capilli Veneris Unciam unam,
Hyſſopi Unciam ſemis:
Inciſa infundantur cum
Aquæ fervidæ Unciis quatuor & viginti;
Colatis diſſolvantur.
Mellis Unciæ octo,
Sacchari albi Unciæ ſedecim:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, cui clarificato adjiciantur
Aquæ Roſarum Unciæ quatuor.
In morbis Pectoris adhibetur.

SYRUPUS HORDEATUS.

Videatur Syrupus Amygdalinus.

SYRUPUS HYSSOPI *Zwœlferi.*
SYRUPUS SCILLITICUS *Suecorum.*

℞. Squillæ præparatæ Unciam unam,
Foliorum Hyſſopi Uncias duas,
Zinziberis Unciam ſemis:
Inciſa macerentur in vaſe clauſo per nycthemerum cum
Aquæ Hyſſopi Unciis ſex & triginta:
Colatura expreſſa & per ſubſidentiam depurata diſſolvantur
Sacchari albiſſimi Unciæ ſex & triginta.
Reſolvendi ergo cum Succeſſu ad morbos Pectoris mucoſos adhibetur.

SYRUPUS DE JUJUBIS *Mesue.*

℞. Jujubarum Uncias tres,

Radicum Liquiritiæ,
Herbæ Capilli Veneris,
Hordei mundati ana Unciam unam:
Inciſa, contuſa coquantur cum
Aquæ Unciis quadraginta quatuor, ad triginta ſex Uncias reſiduas:
Sub finem coctionis adjiciantur
Florum Violarum Unciæ quinque:
Colatura Emulgeantur
Seminum Malvæ Unciæ quinque,
Cydoniorum,
Papaveris albi,
Melonum,
Lactucæ ana Drachmæ tres:
Colatura diſſolvantur
Sacchari Unciæ viginti & quatuor,
Gummi Tragacanthæ Drachmæ tres:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, qui edulcoratus aſſervetur.
Conducit Demulcendo in Tuſſi ſicca.

SYRUPUS LONGÆ VITÆ.

Videatur Syrupus Mercurialis.

SYRUPUS DE MANNA *ECHHOLDI.*

℞. Radicum Polypodii Drachmas ſex,
Ireos Florentinæ Unciam ſemis,
Paſſularum Drachmas tres,
Mellis Uncias quatuor,
Aquæ fontanæ Uncias quatuor & viginti:
Inciſa coquantur ad reſiduum Unciarum duodecim:
In Colatura infundantur per noctem
Florum quatuor Cordialium ana Pugillus unus,
Foliorum Sennæ ſine ſtipitibus Uncia una ſemis,
Cinnamomi Drachma ſemis:
Colatis diſſolvantur

Mannæ Calabrinæ Unciæ tres,
Sacchari Unciæ duodecim:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, qui clarificatus ſervetur.

Datur infantibus ſcopo Purgandi, neque perperam ad affectus Pectoris pituitoſos adhibetur.

SYRUPUS MERCURIALIS, PROPHYLACTICUS LONGÆ VITÆ *Zwingeri*.

℞. Radicum recentium Gentianæ Uncias quatuor,
Ireos noſtratis Uncias octo:
Inciſæ infundantur cum
Vini albi Unciis octo & quadraginta,
Infundantur per quatuor & viginti horas:
Colaturæ addantur
Succorum Mercurialis Unciæ nonaginta,
Borraginis,
Bugloſſi ana Unciæ quatuor & viginti,
Mellis albi Unciæ duæ & triginta:
Coquantur ad Syrupi conſiſtentiam, qui clarificatus ſervetur.

Zwinger Acad. N. C. Dec. III. Vol. 7 & 8. p. 18. hujus Syrupi in talia quam maxime celebrati inſignem ſibi quoque probatam efficaciam in præcavenda Vertigine, Arthritide, Podagra, Hemicrania periodica, Cardialgia, Dolore Iſchiadico, Phthiſi, Hydrope, Obſtructionibus, Alvi conſtipationibus aliisque morbis quam plurimis, maximopere commendat, documentique loco duo refert exempla hominum, qui ejus uſu vitam ultra centum annos extenderunt. Prophylactico ſcopo quotidie mane ejus cochlear unum hauritur.

SYRUPUS DE NICOTIANA *Quercetani*.

℞. Succi Nicotianæ Uncias octo & quadraginta,
Oxymellis Simplicis Uncias quatuor,
Hydromellis Uncias duodecim:
Digerantur in loco tepido per quatuor dies, liquor clarus a fæce decantetur, eique adjiciantur

Sacchari Unciæ octo & quadraginta.

Valide Mucum reſolvit. In Aſthmate pituitoſo ad Unciam ſemis cum ſucceſſu exhibetur.

SYRUPUS PAPAVERIS ALBI, CONFECTIO DIACODION *Galeni.*

℞. Capitum Papaveris albi Uncias octo,
Aquæ Uncias octo & quadraginta:
Decoquantur ad dimidium:
Colaturæ addantur
Sacchari Unciæ quadraginta:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, qui clarificatus ſervetur.

Lene Anodynum medicamentum datur ad Unciam ſemis pro doſi.

SYRUPUS RUBI IDÆI cum ACETO *Beaumé.*

℞. Succi Rubi Idæi Uncias quadraginta,
Aceti rubri Uncias quatuordecim,
Sacchari albi Uncias centum:
Clarificatus Syrupus aſſervetur.

Syrupus palato gratiſſimus fallendæ ſiti inſervit. In morbis Inflammatoriis multum conducit.

SYRUPUS SCELOTYRBTICUS *Foresti.*

℞. Succorum Naſturtii Aquatici,
Beccabungæ ana Uncias ſex,
Fumariæ,
Lupuli ana Uncias tres,
Sacchari albi Uncias ſedecim:
Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi, qui aſſervetur clarificatus.

Adhibetur ut plurimum ad medicamenta ſtomachica.

SYRUPUS de SPINA CERVINA.

Videatur Syrupus Domeſticus.

SYRUPO E SYMPHYTO *Fernelii* optime ſubſtituitur SYRUPUS BOYLEANUS.

SYRUPUS VIPERARUM *Pariſienſium.*

℞. Viperarum, Capitibus & Caudis abſciſſis & Inteſtinis exſectis Numero duodecim,
Radicum Chinæ,
Sarſaparillæ ana Unciam unam:
Inciſa coquantur cum
Aquæ Unciis quatuor & ſexaginta,
Ad reſiduum Unciarum triginta:
Colaturæ clarificatæ addantur
Liquoris Unciæ decem, quæ priores prodeunt dum ex Cucurbita abſtrahuntur
Vini albi generoſi,
Aquæ Florum Naphæ ana Unciæ quatuor & ſexaginta,
Ligni Santali citrini,
Cinnamomi ana Uncia una,
Cardamomi minoris,
Nucis Moſchatæ,
Ligni Aloes ana Drachmæ tres:
In Liquoribus commixtis diſſolvantur
Sacchari albiſſimi Unciæ octoginta:
Syrupo refrigerato admiſceatur
Tincturæ Ambræ Uncia una.

Multum commendatur hic Syrupus ad refocillandas vires gravibus morbis aut ab uſu Veneris fractas.

TABULÆ vel TABELLÆ

Videantur ROTULÆ & TROCHISCI.

TABULÆ ALIMENTARIÆ *Beaumé.*

℞. Pedes Vitulinos quatuor,
Carnis de femore Bovis centum nonaginta & duas Uncias,
Carnis

Carnis de femore poſteriore Vervecis Centum & ſexaginta Uncias,
interno Vituli Uncias quadraginta octo:
Inciſa coquuntur leni igne cum Aquæ quantitate ſufficiente: Decoctum deſpumatur & exprimitur per pannum: caro quæ remanet iterum cum aquæ idonea quantitate coquitur, deſpumatur, exprimitur: Jus expreſſum priori additur; a jure refrigerato pinguedo aufertur eique adjicitur Salis quantitas, quæ ſufficit: Colatur per pannum & leni calore ad conſiſtentiam Gelatinæ ſpiſſæ evaporatur, quæ ſuper lapidem effunditur & in tabulas ſecatur calore leniori exſiccandas, & in vitro probe clauſo aſſervandas.

Pro Jure ex tempore parando diſſolvuntur aqua.

TARTARUS CHALYBEATUS *Angeli Salæ.*

℞. Cremoris Tartari Uncias ſedecim,
Limaturæ Ferri Uncias quatuor:
Coquantur per integram horam cum
Aquæ fontanæ quantitate ſufficiente:
Liquor filtratus redigatur in Cryſtallos.

Aperiendi ſcopo datur ad Scrupulum unum in largiore aqua copia diſſolutus.

TARTARUS EMETICUS *Macquer.*
TARTARUS ANTIMONIALIS *Suecorum.*

℞. Mercurii Vitæ Uncias quatuor cum dimidia,
Cremoris Tartari Uncias decem:
Coquantur in Vaſe vitreo cum
Aquæ Unciis centum:
Solutio filtrata evaporetur ad ſiccitatem.

Emeticum vulgatiſſimum, cujus Doſis ad Grana tria extenditur.

TARTARUS SOLUBILIS SEU TARTARISATUS *Barchhusen.*
ALCALI VEGETABILE TARTARISATUM *Suecorum.*

℞. Cremoris Tartari quantum placet:

Aqua diſſoluto & ebullienti adjiciatur

Salis Tartari quantum ſatis ad ſaturationem:

Liquor filtratus evaporetur ad cuticulam, aſſerventur Cryſtalli.

Ob indolem Saponaceam, qua gaudet, in attenuanda Spiſſitudine mucoſa & aperiendis Obſtructionibus reliqua quoque Salia media vincit. Datur hoc ſcopo ad Drachmam unam, Purgandi autem fine ad Unciam unam.

TARTARUS VITRIOLATUS *Tachenii.*
ALCALI VEGETABILE VITRIOLATUM *Suecorum.*

Vitriolo viridi in larga Aquæ quantitate diſſoluto adjiciatur Solutio Cinerum clavellatorum, uſque dum nova hujus Solutionis portio ex illo liquore nihil ulterius dejiciat, nec cum eo efferveſcat; defundatur liquor a Terra metallica, quæ inde receſſerit; evaporetur ad cuticulam; filtretur; in locum frigidum reponatur; Cryſtalli hac ratione ortæ, ſi leviſſimum qualiscunque coloris veſtigium habent, denuo fervida diſſolvantur, & affuſa adhuc Solutione Cinerum clavellatorum ab omni, quod ipſis accreverit, heterogeneo liberentur.

Hoc labore Pharmacopœi commode ſuperſedere poſſunt, quippe qui eundem omnino Salem ſub nomine *Arcani duplicati* aſſervant.

Incidendi & Excretiones aquoſas permovendi ergo exhibetur.

TELA *Gualteri.*

℞. Emplaſtrorum Diapalmæ,
Diachyli ana Uncias octo,
Albi cocti Uncias quatuor:

Liquatis immiſceantur

Pulveris Ireos Florentinæ Drachmæ ſex:

Emplaſtro liquato immergatur linteum, quod Emplaſtro probe imbutum lævigetur cylindro ligneo.

Imponitur Ulceribus.

TERRA FOLIATA TARTARI *Lullii.* ARCANUM TARTARI *Zwœlffer.* OXYTARTARUS *Suecorum.*
TARTARUS REGENERATUS *Tachenii.*

℞. Salis Sodæ Uncias duodecim:

Affundatur Aceti deſtillati quantum ſatis ad ſaturationem:

Evaporetur ad cuticulam; filtretur & redigatur in Cryſtallos: ſi recipiendus eſt Sal Tartari, liquor evaporetur ad conſiſtentiam Syrupi, tunc exſiccetur leni calore, ut in formam Foliatam concreſcat.

Ob indolem Saponaceam inprimis inter Aperientia militat. Datur ad Drachmam unam.

Medicamentum non minore tantum ſui pretio, ſed virium quoque præſtantia commendandum auctore BOERHAAVE paratur Cineres clavellatos Aceto crudo ſaturando, liquorem filtrando & leni calore inſpiſſando.

THERIACA *ANDROMACHI*.

Videatur ſub Electuariis.

THERIACA COELESTIS *HOFFMANNI*.

℞. Myrrhæ electæ Unciam ſemis,
Galbani,
Maſtyches,
Opoponacis ana Scrupulos duos,
Storacis Drachmas tres,
Extractorum Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Scordii,
Tormentillæ,
Contrajervæ,
Angelicæ ana Unciam ſemis,
Opii Drachmas ſex,
Croci,
Vincetoxici,
Valerianæ,
Gentianæ,
Ariſtolochiæ rotundæ ana Drachmas tres,
Reſinarum Ligni Aloës,
Guajaci,
Ladani ana Drachmam unam,

Bezoardici mineralis,
Cinnabaris factitiæ,
Succini præparati,
Pulveris Viperarum ana Unciam ſemis,
Salium Volatilium Succini,
Cornu Cervi ana Drachmam unam ſemis,
Oleorum deſtillatorum Cinnamomi,
Zedoariæ,
Cardamomi,
Cubebarum,
Macis,
Caryophyllorum,
Juniperi,
Citri ana Guttas duodecim,
Olei expreſſi Nucis Moſchatæ,
Balſami Peruviani ana Drachmas tres,
Camphoræ,
Ambræ gryſeæ ana Scrupulum unum:

Miſceantur ſecundum artem in Maſſam digitis non adhærentem.

Primus QUERCETANUS *de medicamento ſamoſæ Theriacæ analogo, & magis quidem concentrato ſollicitus erat. Quæ ſub Ejus nomine proſtat, quæque poſt eum ſunt divulgatæ deſcriptiones, una alteram abſurditate vincunt. Quæ hic traditur, quamvis & ipſa admodum inconcinna, reliquis tamen omnino præſtat. A quibusdam adhuc ſcopo Antiſeptico & Anodino uſurpatur. Drachma una quatuor circiter Grana Opii continet.*

TINCTURÆ.

Canones.

I. Tincturis Spirituoſis ſimplicibus parandis affunduntur Unciæ uni ſubſtantiæ extrahendæ, comminutæ, cucurbitæque immiſſæ Spiritus Vini rectificati Unciæ duodecim; cucurbitæ imponitur alembicus; continuatur per aliquot dies digeſtio calore Balnei Mariæ inſtituta; qua quidem durante cucurbita aliquo-

ties ſuccutitur: Spiritus qui per Alembicum deſtillavit, cucurbitæ rurſus committitur, & poſt ſufficientem digeſtionem Tinctura per filtrum depuratur.

II. Pro Tincturis Aquoſis requiruntur ad Unciam Vegetabilis unam affundendæ Aquæ ebullientis Unciæ octo; Digeſtio fiat in vaſe clauſo ſuper cineribus calidis per noctem; liquori poſtridie mane filtrato adjiciantur Olei Vitrioli Scrupuli duo; Tinctura tamen Rhabarbari hic excipienda, quippe quæ nullum Acidum admittit, atque ob id ipſum vix per aliquot dies aſſervari poteſt.

III. Tincturæ Reſinoſæ citra Reſinæ turbationem, cum Aqua miſceri non poſſunt. Reſina, antequam Spiritus Vini ipſi affunditur, pauxillo Salis Tartari teritur.

TINCTURA ALEXIPHARMACA *Huxham.*

Videatur ESSENTIA CHINÆ.

TINCTURA AMARA *Londinenſium.*

Videatur ELIXIR STOMACHICUM.

TINCTURA ANTIMONII ACRIS *Hoffmann.*

℞. Reguli Antimonii Uncias quatuor,
Nitri crudi Uncias octo:

Pulveriſata detonentur; relinquantur in fuſione per integram horam; effundantur in mortarium & cum conſtiterint, mox redigantur in pulverem, qui immittatur
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciis duodecim:

Digerantur per aliquot dies calore balnei arenæ, & filtretur Tinctura ruberrima.

Si Spiritus Vini prius Saponis Unciis duabus in lixivio Cauſtico ſolutis & denuo inſpiſſatis per biduum digeritur, ſurgit TINCTURA ANTIMONII SAPONATA *Schulzii* & ſaturiore colore & majoribus viribus gaudens.

Multum laudatur a Virtute Reſolvente, ſed in Spiſſitudine Humorum uti medicamento Alcohol continente, quod Humores ſeroſos cogit, ego quidem non auderem.

Cl. Dehne, laudanda omnino encheireſi, jubet ab hac Tinctura Spiritum uſque ad conſiſtentiam ſpiſſi Extracti abſtrahere, & hoc deinde in Aqua diſſolvere.

TINCTURA ANTIMONII TARTARISATI *Basilii Valentini.*

℞. Pulveris Antimonii Unciam unam,
Cinerum clavellatorum Uncias tres:
Fundantur in Crucibulo; effundantur in mortarium, & quamprimum conſtiterint, redigantur in Pulverem, qui fervens adhuc immittatur in
Spiritus Vini rectificatiſſimi Uncias quatuor & viginti:
Poſt digeſtionem aliquot dierum filtretur Tinctura.

Huic Tincturæ, uti verum Sulphur Antimonii inhæret, ita efficacior, quam antecedenti virtus Reſolvens ineſſe videtur. Sed quæ ad illam monuimus, huc quoque pertinent.

TINCTURA ANTIVENEREA *Falckii.*

℞. Mercurii ſublimati Scrupulum unum:
Diſſolvatur in
Spiritus Vini rectificati Uncia una:
Addantur
Balſami Canadenſis,
Gummi de Guajaco ana Uncia una,
Diſſolutis in
Spiritus Vini Rectificati Unciis ſeptem, & filtratis:
Adjiciantur
Olei deſtillati Saſſafras Drachmæ duæ, Vitrum ſuccutiendo diſſolvendæ.

Hoc Medicamento, cujus decem ad viginti Guttæ in vehiculo aquoſo mane & ſub veſperam exhibentur, inveteratos etiam Venereos morbos feliciſſime curari Auctor monet, & illud contra alias quoque Acrimonias commendat.

TINCTURA AURI *Geoffroy.*

AURUM POTABILE *Helvetii.*

℞. Auri per Antimonium depurati Drachmam unam,
Aqua Regis Unciam unam:
Solutioni affundantur
Olei deſtillati Rorismarini Unciæ duæ:
Relinquantur in quiete, quoad Aquæ Regis flavedo prorſus evanuerit, abſorpta quippe ab Oleo ipſi ſupernatante:
Hoc jam diſſolvatur
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciis octo.

Cum Aurum nullius ſit in Corpus humanum efficaciæ, quem alium hæc Tinctura quam Aquæ Reginæ Hungariæ valde concentratæ effectum edere poſſit, non video. Doſis eſt ad Guttas decem.

TINCTURA BEZOARDICA *Michaelis.*

℞. Radicum Zedoariæ Uncias duas,
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Valerianæ,
Vincetoxici,
Calami Aromatici ana Unciam unam,
Coſti,
Flavedinis Corticum Citri recentium,
Baccarum Juniperi ana Uncias duas,
Myrrhæ Uncias tres,
Herbarum Scordii,
Meliſſæ,
Millefolii,
Rutæ ana Unciam ſemis,
Spiritus Vini ſimplicis Uncias duas & ſeptuaginta:
Digerantur in Cucurbita per octiduum; tunc addantur
Theriacæ Andromachi Unciæ ſedecim:
Deſtillatione eliciantur Spiritus Unciæ quatuor & viginti, quibus addantur

Spiritus Tartari Unciæ ſex,
Vitrioli Unciæ tres:
Diſſolvatur his
Camphoræ Uncia una.

Ex copioſa, quæ apud Auctores occurrunt, Bezoardicarum Tincturarum tribu, hanc unam produco, cui in Febribus putridis locus eſſe ſubinde poſſit. Doſis eſt ad Drachmam dimidiam.

TINCTURA CORALLIORUM *Kunrath.*

℞. Coralliorum rubrorum Uncias duas:
Diſſolvantur
Aceti crudi quantitate ſufficiente:
Solutio leni calore inſpiſſetur; Sali inſpiſſato affundantur
Spiritus Vini Unciæ ſex:
Digerantur per aliquot dies; Tinctura filtretur.

Ex iſtis Coralliis in hanc Tincturam ne hilum quidem penetrare, ægrique ſomniis ſimillimas eſſe miras, quæ inde Paracelsistæ olim oſtentabantur virtutes, ſuo itaque merito noſtra ætate ejus uſum eviluiſſe, quis non videt?

TINCTURA LACCÆ *Danorum.*

℞. Gummi Laccæ a baculis abraſi Unciam unam,
Aluminis crudi ſeſqui Drachmam,
Aquarum Salviæ Uncias tres:
Roſarum Unciam unam ſemis:
Coquantur ad Extractionem Tincturæ rubræ, quæ filtretur.

Ad Laxitatem & Cruentationem Gingivarum adhibetur.

TINCTURA MARTIS APERITIVA AROPH PARACELSI, *Zwoelfferi.*

℞. Florum Salis Ammoniaci Martialium Unciam unam,
Spiritus Vini rectificatiſſimi Uncias quatuor:
Digerantur per quatuor & viginti horas; filtrentur.

Ejus Virtuti Aperienti ſit ſua laus; ſed Flores Salis Ammoniaci

niaci Martiales citra ullam præparationem exhibiti eandem præſtabunt.

TINCTURA MARTIS APERITIVA *Glauberi.*

℞. Vitrioli Martis Uncias quatuor,
Cremoris Tartari Uncias octo:
Coquantur cum
Aquæ Unciis centum
Ad conſiſtentiam mellaginis; immittantur cucurbitæ & affundantur
Spiritus Vini ſimplicis Unciæ ſexaginta,
Florum Papaveris Rhœados Manipulus unus:
Poſt aliquot dies Digeſta filtrentur.

Vulgo a Ludovici *ſolet denominari a* Glaubero *jam in Philoſoph. Ofen. II. Cap. 70. deſcripta. Tonico ſcopo a gravioribus morbis reconvaleſcentibus ad Drachmam dimidiam cum Aqua Cinnamomi exhibetur.*

TINCTURA MARTIS CYDONIATA, POMATA &c.

℞. Extracti Martis Cydoniati, Pomati &c. Unciam unam:
Diſſolvatur
Aquæ fontanæ Unciis duodecim:
Filtrentur.

Valide adſtringit: datur ad Drachmam unam pro Doſi.

TINCTURA MARTIS HELLEBORATA *Wedelii.*

℞. Tincturæ Martis Aperitivæ Glauberi Uncias quatuor:
In quibus diſſolvantur
Extracti Hellebori nigri Drachmæ duæ:
Solutio filtrata ſervetur.

Ad aperienda Viſcera Abdominalia datur ad Drachmam unam pro Doſi.

TINCTURA MARTIS *Zwœlfferi.*

℞. Terræ foliatæ Tartari nigræ Uncias tres,

Vitrioli Martis Uncias duas:
Redigantur cum
Aquæ quantitate ſufficiente
In paſtam, cui per aliquot dies aſſervatæ affundantur
Spiritus Vini Unciæ quatuor & viginti:
Per tres dies in Balneo Mariæ digeſtæ filtrentur.

Cum antecedente uſu ſuo coincidit.

TINCTURA METALLORUM *Mæts.*

℞. Reguli Antimonii Martialis Uncias duas,
Cupri,
Stanni Anglici ana Unciam unam:
Cupro in crucibulo fluenti adjiciantur duo reliqua Metalla: Metallum refrigeratum redigatur in Pulverem & commiſceatur cum
Nitri Unciis duodecim:
Detonentur & poſt detonationem per integram adhuc horam detineantur in fluxu; tunc effundatur maſſa, & quam primum conſtiterit, reducatur in Pulverem immittendum
Alcoholis Vini Unciis viginti:
Ex Digeſtione calida orta Tinctura filtretur.

Hoc medicamentum, cum ſuam virtutem perinde ac Tinctura Antimonii acris ſolummodo Nitro cauſtico debeat, ejuſdem plane cum iſta tenoris eſſe cenſendum eſt.

TINCTURA RHABARBARI

INFUSUM RHEI SALINUM *Suecorum.*

℞. Aceti vulgaris Uncias novem:
Saturentur
Salis Tartari quantitate ſufficiente:
Liquor ſaturatus digeratur cum
Rhabarbari minutim contuſi Uncia una:
Duodecim horis poſt filtretur.

Egregium ad reſerandas Obſtructiones abdominales reſtituendamque Digeſtionem Medicamentum. Exhibetur ad Unciam ſemis pro doſi.

TINCTURA SALINA *Danorum.*

℞. Corticum Aurantiorum recentium,
Radicum Gentianæ ana Uncias tres:
Conciſa infundantur
Aquæ fontanæ Unciis ſex & triginta,
Salis Tartari Unciis duodecim:
Digerantur per quatriduum; Colatis addantur
Spiritus Vini rectificati Unciæ octodecim:
Filtrentur.

Aperiendi ſcopo in Obſtructionibus Viſcerum Abdominalium ad Drachmas duas pro doſi datur.

TINCTURA STOMACHICA *Danorum.*

℞. Radicum Calami aromatici,
Gentianæ ana Sesquiunciam,
Corticum Chinæ Uncias duas,
Aurantiorum recentium,
Herbæ Cardui benedicti,
Summitatum Centaurii minoris ana Unciam unam,
Limaturæ Martis in petia ligatæ Uncias duas:
Inciſa digerantur frigide cum
Vini albi Unciis centum:
Poſt triduum filtrentur.

Ventriculi roborandi cauſa ſumitur ad unum Cyathum, una ante prandium hora.

TINCTURA STOMACHICA *Whytt.*

℞. Radicis Gentianæ,
Corticum Aurantiorum ana Seſquiunciam,
Chinæ Chinæ Uncias quatuor:
Inciſa digerantur per ſex dies in Balneo arenæ cum
Spiritus Vini rectificati Unciis octo & quadraginta:
Filtrentur.

Hujus Tincturæ Cochlear unum, aquæ Cochlearibus ſex dilutum, mane & veſperi exhibetur in languore Ventriculi. Contra

Arthritidem quoque uſus ejus laudatur, per plures menſes continuandus.

TINCTURA SULPHURIS *Zwœlfferi.*

℞. Florum Sulphuris Unciam unam,
Salis Tartari Uncias duas:
Miſceantur, fundantur & cum conſtiterint, reducantur in Pulverem committendum
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciis octo:
Poſt digeſtionem aliquot dierum filtretur Tinctura.

Commendatur adverſus Scabiem alioſque morbos ab Humoribus acribus oriundos. Datur ad Guttas ſexaginta.

TINCTURA TARTARI *Raymundi Lullii.*

℞. Salis Tartari Uncias octo,
Calcis vivæ Uncias tres:
Fundantur in Crucibulo per integram horam; effundantur & ſimulac conſtiterint, reducantur in Pulverem committendum
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unciis quatuor & viginti:
Poſt Digeſtionem aliquot dierum filtretur Tinctura.

Viribus cum Tinctura Antimonii acri convenit.

TRAGEA ALBA *Argentoratenſium.*

℞. Radicum Liquiritiæ,
Ireos Florentinæ ana Drachmas tres,
Gummi Arabici Unciam unam,
Tragacanthæ Unciam ſemis,
Amyli Uncias quinque,
Sacchari Uncias ſedecim:
Miſceantur & reducantur in Pulverem.

Demulcendi ergo in morbis ab Acri oriundis exhiberi poteſt. Olim frequens ejus apud noſtrates uſus erat in Torminibus infantum arcendis & curandis.

TRAGEA AROMATICA.

℞. Cinnamomi Drachmas duas,
Zinziberis Drachmam unam,

Caryophyllorum aromaticorum,
Calangæ minoris,
Granorum Paradiſi,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana Drachmam ſemis:

Mixta reducantur in Pulverem craſſiuſculum, cui admiſceantur

Pulverum Santali rubri Drachmas ſex,
Sacchari Unciæ ſedecim.

Ventriculum roborandi ergo pani toſto Vino rubro madenti inſpergitur. Doſis ad Unciam dimidiam extenditur.

TRAGEA GRANORUM ACTES *Wolffii*,

Succo baccarum Sambuci imbuatur Farina Secalina, ex qua bene depſta formentur parvi panes in furno ad duritiem coquendi; cocti redigantur in pulverem, iterum Succo baccarum Sambuci imbuendum, depſendum, in panes formandum, quibus coctis, in pulverem tritis, quin tertia etiam vice toto negotio repetito, adjiciatur obtento denique pulveri ponderis ejus octava pars de Nuce Moſchata in pulverem trita.

Olim hujus Medicamenti Drachmæ duæ exhibebantur Dyſentericis; hodie eviluit.

TRAGEA OPHTHALMICA *Heisteri*.

℞. Millepedum,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana Unciam dimidiam,
Radicis Valerianæ Drachmas duas,
Cinnamomi,
Cubebarum ana Drachmam unam,
Sacchari albi Uncias duas:

Redigantur in pulverem & miſceantur.

Attenuandis Humoribus Oculorum adhibetur.

TROCHISCI.

Ex quocunque Pulvere formari poſſunt, ſiquidem ipſi ea, quæ par eſt, quantitas Mucilaginis Tragacanthæ adjicitur, ut maſſa inde ſurgat digitis non adhærens. Hujus maſſæ particulæ in orbiculos formatæ, alterutri ſuperficiei qualicunque ſigno impreſſo, appellantur *Trochiſci* ſive Tabellæ, in aliam qualemcunque formam coactæ *Paſtilli.*

TROCHISCI ALBI *Rhasis* VULGO COLLYRIUM ALBUM *Rhases.*

℞. Ceruſſæ albæ Drachmas decem,
Sarcocollæ Drachmas tres,
Amyli Drachmas duas,
Tragacanthæ Drachmam unam,
Opii Drachmam unam:
Miſceantur in Pulverem.

Pariſini Opio Camphoram ſubſtituunt.

Extus contra Ophthalmiam adhibetur.

TROCHISCI ALHANDAL *Mesue.*

Ex Pulpa Colocynthidis, cortice ſeminibusque rejectis addita Mucilagine Tragacanthæ Trochiſci formantur. Hodie pulvis ipſe hoc nomine aſſervatur, cum quæ a virulentia medicamentorum metuuntur noxæ, prudenti potius adminiſtratione Medici, quam remediis corrigentibus ſunt avertendæ.

TROCHISCI ALIPTÆ *Nicolai.*

Eis ſubſtituuntur TROCHISCI FUMALES.

TROCHISCI ALKERMES *Argentoratenſium.*

℞. Confectionis Alkermes completæ Drachmam unam ſemis,
Coccionellæ pulveriſatæ Grana quinque,
Salis Tartari Grana tria,
Sacchari albi Uncias tres,

Mucilaginis Tragacanthæ quantum ſatis:
Miſceantur & fiant lege artis exigui Trochiſci.

Cardiaco & Cephalico ſcopo nec non ad corrigendum Oris fœtorem adhibentur.

TROCHISCI SIVE TABULÆ ALTHÆÆ *Pariſienſium.*

℞. Radicum Althææ Unciam unam,
Ireos Florentinæ Drachmam unam,
Sacchari albiſſimi Uncias ſedecim:
Miſceantur, redigantur in pulverem &
Mucilaginis Tragacanthæ quantum ſatis
Fiant Trochiſci.

Cum Paſta Althææ quoad Vires conveniunt.

TROCHISCI BECCHICI ALBI *Valerii Cordi.*

℞. Pulveris Radicis Ireos Florentinæ Uncias duas,
Amyli Uncias duas ſemis,
Pulveris Sacchari albiſſimi Uncias quatuor & viginti,
Mucilaginis Tragacanthæ quantum ſatis:
Fiant lege artis Trochiſci.

Exhibentur Tuſſientibus.

TROCHISCI BECCHICI CITRINI *Hamburgenſium.*

℞. Radicis Liquiritiæ Unciam unam,
Croci Drachmam unam,
Sacchari albiſſimi Uncias ſedecim:
Pulveriſentur, miſceantur & cogantur cum
Mucilaginis Tragacanthæ quanto ſufficiente in Trochiſcos.

Reſolvendi vim habent majorem etiam, quam proxime prædicti.

TROCHISCI BECCHICI NIGRI *Hamburgenſium.*

℞. Radicum Ireos Florentinæ Uncias tres,
Liquiritiæ,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana Uncias quinque,
Succi Liquiritiæ Uncias novem,

Styracis Calamitæ Unciam unam,
Sacchari albi Uncias ſex & nonaginta:
Pulveriſentur, miſceantur additaque
Mucilagine Tragacanthæ
In Trochiſcos efformentur.

Supra prolatis omnibus efficaciores ſunt.

TROCHISCI CYPHEOS vulgo CYPHOIDES *Galli.*

℞. Pulpæ Paſſularum Uncias duas cum dimidia,
Terebinthinæ Chiæ Drachmas ſex,
Gummi Bdellii Unciam Semis,
Myrrhæ,
Ligni Aloës,
Croci,
Cinnamomi,
Spicæ Indicæ,
Caſſiæ ligneæ ana Drachmam unam,
Schœnanthi Drachmas tres,
Calami Aromatici Drachmas duas,
Mellis Uncias quinque,
Vini Græci quantum ſatis:
Miſceantur.

Hoc Medicamentum eo, quod in compoſitiones, quæ a Veteribus ad nos deſcenderunt, etiamnum recipi ſolet, hic præterire nolui.

TROCHISCI ESCHAROTICI *Pariſienſium.*

℞. Minii Unciam ſemis,
Mercurii ſublimati corroſivi Unciam unam,
Micæ panis recentis Uncias quatuor:
Optime mixta cogantur in Paſtillos granum Avenæ æquantes.

Cathæretico ſcopo a Chirurgis adhibentur.

TROCHISCI FUMALES *Schrœderi.*

℞. Florum Roſarum rubrarum Unciam unam,
Ligni Rhodii Drachmas ſex,

Caryophyllorum

Caryophyllorum Drachmas duas,
Benzoës Uncias ſedecim,
Styracis Uncias ſeptem,
Sacchari Uncias octo:
Pulveriſentur, miſceantur; fiant cum Mucilagine Tragacanthæ Trochiſci.

Vires ex nomine patent.

TROCHISCI HEDYCHROI *Magni.*

℞. Radicum Calami aromatici,
Phu,
Coſti,
Aſari,
Schœnanthi,
Caſſiæ ligneæ ana Drachmas ſex,
Ligni Aloës Seſquiunciam,
Cinnamomi,
Cardamomorum excorticatorum ana Uncias tres,
Herbarum Majoranæ,
Mari veri ana Seſquiunciam,
Spicæ Indicæ Uncias duas,
Foliorum Malabatri,
Gummi Maſtychis ana Drachmas ſex,
Myrrhæ Uncias tres,
Croci Seſquiunciam,
Balſami de Meccha Drachmas ſex,
Vini Græci quantum ſatis pro formandis Trochiſcis:

Ingrediuntur Theriacam.

TROCHISCI HERMETICI *Scretæ.*

℞. Mercurii dulcis Drachmas quinque,
Cinnamomi acuti Grana quadraginta,
Reſinæ Jalappæ Pineis tritæ, Grana quinque & ſeptuagi nta,
Sacchari albi Seſquiunciam:
Exactiſſime trita redigantur cum

Mucilagine Tragacanthæ in Trochiſcos centum.

Scopo Anthelmintico dantur Infantibus, ut plurimum eorum ætati numero adæquato, ſed ultra decem non augetur numerus.

TROCHISCI SIVE MUSCERDÆ CATECHU.

℞. Pulverum Terræ Catechu Unciam unam,
Sacchari Unciam ſemis,
Caryophyllorum Scrupulum unum,
Quintæ Eſſentiæ Citri Scrupulum ſemis:
Miſceantur & redigantur ope Mucilaginis Tragacanthæ in Paſtillos teneros, oblongos.

Detinentur ſub lingua Fœtori animæ avertendo.

TROCHISCI DE NITRO.

℞. Nitri depurati Unciam unam,
Sacchari albi Uncias ſex,
Succi Citri Unciam unam:
Miſceantur & cum Mucilagine Tragacanthæ redigantur in Trochiſcos.

Cum ſummo ſucceſſu ad ſedandum Ardorem Sanguinis & mitigandam Tuſſim adhibentur.

TROCHISCI PECTORALES REGII *Danorum.*

℞. Succi Liquiritiæ,
Sacchari ana Unciam unam,
Extracti Opii Grana quatuor:
Pulveriſentur; miſceantur exactiſſime & formentur in Trochiſcos granum Piperis æquantes.

Egregie contra Tuſſes ſpaſmodicas conducunt.

TROCHISCI SEU ROTULÆ BECCHICÆ *Pariſienſium.*

CONFECTIO DE REBECHA.

℞. Pulverum Ireos Florentinæ,
Gummi Arabici ana Unciam ſemis,
Liquiritiæ Unciam unam ſemis,

Sacchari albiſſimi Uncias octo & quadraginta:
Miſceantur, additaque Mucilagine Tragacanthæ, ope Aquæ Florum Naphæ parata, fiant vel Trochiſci vel Paſtilli.
A Tuſſientibus in uſum trahuntur.

TROCHISCI REFRIGERANTES.

℞. Nitri depurati Unciam unam,
Salis Acetoſellæ Unciam ſemis,
Sacchari albiſſimi Uncias ſex,
Quintæ Eſſentiæ Citri Scrupulum ſemis:
Miſceantur & cum Mucilagine Tragacanthæ redigantur in Trochiſcos.
Apprime Refrigerant & Sitim ſedant.

TROCHISCI DE SCILLA *Damocratis.*

Scillæ præparatæ, antequam ejus lamellæ exſiccatæ fuerint, admiſceatur Farinæ Ervi tantundem & formentur Paſtilli.
Ingrediuntur Theriacam.

TROCHISCI VIPERINI *Andromachi.*

Viperæ capite & cauda truncatæ, detracta cute & rejectis viſceribus coquantur ex aqua, cui aliquantulum Foliorum Anethi & Salis cibarii fuerit immiſſum, uſque dum caro a ſpina ſeceſſerit; hæc caro contuſa cum Panis Siliginei ea, qua par eſt, quantitate in Trochiſcos formetur.
Recipiuntur in Theriacam.

TRYPHERA MAGNA *Galeni.*

℞. Opii Uncias duas,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Spicæ,
Zinziberis,
Coſti,
Styracis,

Calami aromatici,
Cyperi rotundi,
Ireos Florentinæ,
Noſtratis,
Peucedani,
Mandragoræ,
Lavendulæ,
Roſarum,
Piperis,
Aniſi,
Apii,
Fœniculi,
Petroſelini Macedonici,
Dauci,
Ocymi ana Unciam unam:
Redigantur in Pulverem, miſceantur & cum
Mellis quantitate ſufficiente
Fiat Electuarium:

A quibuſdam ſcopo Anodyno, maxime contra Tormina, ſubſtituitur Theriacæ.

TURPETHUM MINERALE *Crollii.*
MERCURIUS EMETICUS FLAVUS *Londinenſium.*

℞. Mercurii vivi Uncias quatuor:
Unde abſtrahantur
Olei Vitrioli Unciæ ſex:
Sali in Retorta remanenti affundatur aqua fervida; Pulvis citrinus, qui ad fundum ſecedit, probe edulcoratus aſſervetur. Aqua evaporata gignit Salem, qui deliquium patitur, & *Oleum Mercuriale* nominari ſolet.

Turpethum minerale ad quinque uſque Grana exhibebatur olim ad oppugnandum virus Venereum; recentiori ætate contra Hydrophobiam laudabatur; his vero noſtris temporibus cum medicamenta Mercurialia tutiora exiſtant, Draſtico ſurſum & deorſum vehementius æquo purgante jure meritoque abſtinemus. Oleum Mercuriale *Vires rodentes edit.*

VINUM AMARUM *Edinburgenſium.*

℞. Radicis Gentianæ Unciam ſemis,
Corticum Chinæ Unciam unam,
Aurantiorum recentium Unciam ſemis,
Winterani Drachmam unam:
Infundantur calide cum
Spiritus Vini ſimplicis Unciis quatuor:
Refrigeratis addantur
Vini albi Hiſpanici Unciæ quatuor & viginti:
Poſt macerationem quatuordecim dierum filtretur liquor.
Ad roborandum Ventriculum datur cochleatim.

VINUM ANTIMONIATUM *Huxham.*

℞. Vitri Antimonii Unciam unam:
In tenerum pulverem redacto adjiciantur
Vini Hiſpanici Unciæ quatuor & viginti:
Digerantur per biduum; filtretur liquor.
Reſolvendi & Sanguinem depurandi cauſa pueris ad Scrupulum unum, adultis ad Drachmam unam exhibetur; Vomendi ſcopo illis ad Unciam ſemis, his ad Seſquiunciam datur.

VINUM ANTISCORBUTICUM *Dumorette.*

℞. Radicum recentium Raphani ruſticani Uncias duodecim,
Bardanæ Uncias quinque,
Foliorum recentium Cochleariæ,
Naſturtii aquatici,
Beccabungæ,
Fumariæ,
Seminis Sinapi ana Uncias ſex,
Salis Ammoniaci Uncias tres:
Inciſa & contuſa infundantur cum
Vini albi Unciis tercentenis & octoginta per octiduum:
Expreſſa filtrentur.
Datur per cyathos.

VINUM CHALYBEATUM *Danorum.*

℞. Limaturæ Ferri Uncias quatuor,
Cinnamomi,
Macis ana Unciam ſemis:
Craſſiuſcule contuſa miſceantur & infundantur cum
Vini Rhenani Unciis octo & quadraginta:
Digerantur per menſem ſub frequenti agitatione in vaſe clauſo, deinde colentur.

Ad roboranda Viſcera Chylopoïetica exhibetur per cyathos.

VINA PER CONFERMENTATIONEM PARATA.

Vegetabilis qualiſcunque inciſi Unciæ centum immittantur Muſti recens expreſſi Unciis octingentis; finita fermentatione Vinum a fæcibus detractum aſſervetur.

VINUM EMETICUM.

Videatur AQUA BENEDICTA *Rulandi.*

VINUM HIPPOCRATICUM *Alexandri Benedicti.*

℞. Cinnamomi Uncias tres ſemis,
Zinziberis Unciam dimidiam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cardamomorum minorum excorticatorum,
Nucum Moſchatarum ana Drachmas duas:
Contuſa in pulverem craſſum infundantur per aliquot dies cum
Vini rubri Unciis quadringentis & quinquaginta:
Colentur per manicam Hippocratis; in colatura diſſolvantur
Sacchari albi Unciæ ſex & nonaginta:
Colentur denuo.

Tam voluptatis, quam Ventriculi roborandi gratia bibitur per cyathos.

VITRIOLUM MARTIS *Basilii Valentini.*

SAL MARTIS *Londinenſium.*

℞. Limaturæ Martis Uncias octo,

Spiritus Vitrioli Uncias triginta duas,
Aquæ Uncias duodecim:
Peracta ſolutione, calore etiam adjuvanda, liquor redigatur in Cryſtallos.

Tonum reſtituendi, Obſtructiones reſerandi, Hæmorrhagias ſiſtendi, Vermes necandi cauſa exhibetur; Doſis ad octo Grana extendi poteſt.

VITRUM ANTIMONII *Basilii Valentini.*

℞. Antimonii quantum lubet:
Uſtuletur, uſque dum nullos ulterius vapores Sulphur redolentes dimittat; calx hac ratione parata fundatur per unam circiter horam in crucibulo; quo facto effundatur.

Medicamentum olim ab Auctoribus non infimæ notæ ciendi Vomitus cauſa vel ad novem uſque grana exhibitum, cum hodie conſtet æquo vehementius Primas irritare Vias, per ſe non amplius datur.

VITRUM ANTIMONII CERATUM *Edinburgenſium.*

℞. Ceræ citrinæ Drachmam unam:
Liquefactæ immittatur
Vitri Antimonii Uncia una:
Sub perpetua agitatione detineantur per dimidiam horam ſuper ignem; effundantur in chartam, materia refrigerata redigatur in pulverem.

In Dyſenteria & Hæmorrhagia Uteri egregios effectus præſtitiſſe, egregii Auctores teſtantur.

Doſis a Granis quinque ad decem uſque extenditur.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM *Hildani.*
MEL ÆGYPTIACUM *Londinenſium.*
OXYMEL ÆRUGINIS *Suecorum.*

℞. Viridis Æris Uncias quinque,
Aceti Uncias ſeptem,
Mellis Uncias quatuordecim:
Mixta coquantur in conſiſtentiam Unguenti.

Medicamentum, impropriè Unguentum dictum, ad depuranda Ulcera ſordida & fiſtuloſa adhibetur.

UNGUENTUM ALBUM *Montagnanæ.*

℞. Axungiæ Porcinæ Uncias ſedecim,
Ceruſſæ albæ Uncias octo:
Miſceantur.
Ad Ambuſta & Intertriginem adhibetur.

UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM *Manlii.*

℞. Unguenti albi ſimplicis Uncias duodecim,
Camphoræ Drachmas tres:
Miſceantur.
Valet ad Refrigerandum levioresque Diſcutiendas Inflammationes.

UNGUENTUM ALTHÆÆ *Præpositi.*

℞. Mucilaginum Radicum Althææ Uncias ſedecim,
Seminum Fœnugræci,
Lini ana Uncias octo,
Butyri Uncias quatuor & ſexaginta:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis:
Addantur
Ceræ flavæ Unciæ ſedecim,
Reſinæ Unciæ ſex,
Terebinthinæ Unciæ duæ:
Liquatis ingeratur
Pulveris Radicis Curcumæ Uncia una:
Miſceantur.
Emolliendi & Reſolvendi ſcopo adhibetur.

UNGUENTUM AD AMBUSTA *Pharmacop. Charas 1753.*

℞. Foliorum Sambuci,
Hyoſcyami,
Solani ſcandentis,
Stramonei ana Manipulum unum,

Axungiæ

Axungiæ Porcinæ Uncias duas & triginta:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis & ſerventur colata.
Vires ex nomine patent.

UNGUENTUM ANODYNUM *Brandeburgenſium.*

℞. Radicum recentium Althææ Uncias duas,
Herbarum recentium Anethi,
Hyóſcyami,
Malvæ,
Florum recentium Meliloti,
Verbaſci ana Unciam unam,
Chamomillæ Uncias duas & triginta,
Seminum Lini,
Fœnugræci ana Drachmas tres:
Inciſa & contuſa coquantur cum
Olei Olivarum Unciis duabus & triginta:
Ad conſumtionem humiditatis, in colaturá colliquentur
Ceræ flavæ Unciæ quatuor:
Miſceantur.
Relaxando vires Paregoricas edit.

UNGUENTUM APOSTOLORUM seu DODECAPHARMACUM *Avicennæ.*

℞. Lithargyrii Unciam unam,
Viridis Æris Drachmas tres:
Diſſolvantur coquendo cum
Olei Olivarum Unciis ſex & triginta,
Aceti Unciis duabus:
Liquentur in coctis
Terebinthinæ,
Reſinæ,
Ceræ ana Unciæ duæ,
Addantur denique
Pulverum Ariſtolochiæ longæ,
Olibani,

Pulverum Bdellii,
Myrrhæ,
Galbani ana Uncia dimidia,
Oppoponacis Drachmæ duæ:
Miſceantur.

Detergendis Ulceribus adhibetur.

UNGUENTUM DE ARTHANITA *Mesue.*

℞. Succorum Cyclaminis Uncias ſedecim,
Cucumeris agreſtis,
Butyri ana Uncias quinque ſemis,
Olei Olivarum Uncias undecim,
Polypodii Uncias duas,
Pulpæ Colocynthidis Unciam unam ſemis:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis:
In colatura liquentur
Ceræ flavæ Unciæ duæ:
Addantur
Pulverum Aloës,
Baccarum Mezeræi,
Colocynthidis,
Scammonei,
Turpethi ana Drachmæ duæ ſemis,
Euphorbii Scrupuli ſeptem,
Salis Gemmæ,
Florum Chamomillæ,
Myrrhæ,
Piperis longi,
Zinziberis ana Drachma una ſemis,
Fellis Tauri inſpiſſati,
Sagapeni ana Drachmæ duæ:
Probe miſceantur.

Hujus Unguenti, Abdomini inungendi, laus in movenda Alvo puerorum, nec non eorum omnium ponitur, quorum palatum difficile hauriendis Purgantibus reluctatur; quin & ad necandos Vermes expellendaſque Hydropicorum aquas adhiberi ſolet.

UNGUENTUM BASILICUM *Mesue.*
TETRAPHARMACON *Galeni.*

℞. Ceræ,
Picis navalis,
Reſinæ ana Uncias duodecim,
Olei Olivarum Uncias octo & quadraginta:
Leni calore liquata colentur.
Ad Digerendum Suppurationemque promovendam valet.

UNGUENTUM BERNHARDINUM *Wecker.*

℞. Axungiæ Porcinæ Uncias octodecim,
Olei Roſarum Uncias ſex,
Pulverum Sulphuris citrini Uncias novem,
Caryophyllorum,
Granorum Paradiſi,
Zinziberis ana Unciam unam ſemis:
Probe miſceantur.
Scabiem prohibet.

UNGUENTUM CONTRA CANCRUM APERTUM *Jacobi.*

℞. Vitri Antimonii in tenerrimum Pulverem triti Unciam unam:
Cogatur cum
Olei Vitrioli quantitate ſufficiente in paſtam:
Affundatur
Acetum gelu concentratum ad eminentiam trium digitorum:

Poſt digeſtionem calidam per triduum inſtitutam filtretur liquor, ejuſque ope paretur, ratione ſuo loco dicta, Acetum Saturni; miſcendum agitando cum duplo Balſami Sulphuris, parati ex Sulphure impuro, quod ſub præparatione Sulphuris Aurati Antimonii obtinetur, cum Olei Papaveris octuplo cocto.

Ulcus Cancroſum ſaluberrima hujus medicamenti vi feliciſſime extinctum fuiſſe aſſeverat Auctor N. A. N. C. T. I. p. 235.

UNGUENTUM CARDIACUM *Schrœderi.*

℞. Herbarum recentium Cardiacæ,
Chamædryos,
Malvæ,
Senecionis,
Solani ſcandentis,
Scabioſæ,
Sempervivi,
Alſines,
Jaceæ ana Manipulos duos:
Inciſa coquantur cum
Butyri Unciis centum & viginti octo ad conſumtionem humiditatis;
Colatura ſervetur.

Olim in frequenti uſu erat contra Cardiagmum Infantum.

UNGUENTUM CARMINATIVUM *Brandeburgenſium.*

℞. Summitatum recentium Abrotani,
Hederæ terreſtris,
Menthæ criſpæ,
Tanaceti,
Florum recentium Meliloti ana Manipulum unum,
Chamomillæ Manipulos duos,
Baccarum Lauri Unciam ſemis,
Seminum Cumini,
Leviſtici ana Drachmas duas:
Inciſa & contuſa infundantur per quatuordecim dies in
Oleorum Chamomillæ Unciis duodecim,
Anethi,
Ruthæ ana Uncia ſemis,
Axungiæ porcinæ Unciis duodecim:
Coquantur inde ad conſumtionem humiditatis: colatura liquentur
Ceræ Unciæ duæ:

Semirefrigeratis immiſceantur
Oleorum deſtillatorum Aniſi,
Menthæ,
Carvi ana Drachma una.

Illinitur Abdomini contra Inteſtinorum tormina.

UNGUENTUM CLYSMATICUM *Auguſtanorum.*

℞. Radicum recentium Althææ,
Liliorum alborum ana Uncias duas,
Herbarum recentium Parietariæ,
Malvæ,
Mercurialis ana Unciam unam ſemis,
Althææ,
Violariæ,
Florum recentium Chamomillæ,
Meliloti ana Unciam unam:

Inciſa coquantur cum
Butyri Unciis duabus & triginta ad conſumtionem humiditatis;
Colatura ſervetur.

Clyſmatibus Emollientibus ad tres uſque Uncias adjicitur.

UNGUENTUM COMITISSÆ *VARIGNANÆ.*

℞. Radicis Tormentillæ,
Foliorum Pruni ſilveſtris,
Quercus,
Plantaginis,
Equiſeti,
Corticum Caſtanearum,
Quercus,
Glandium,
Calicum Glandium,
Baccarum Myrti,
Gallarum,
Sorborum,
Meſpilorum ana Unciam ſemis:

Inciſa coquantur cum
Succi Agreſtæ Unciis duabus,
Aquæ,
Vini rubri ana Unciis duodecim,
Olei Myrtillorum Unciis octodecim ad conſumtionem humiditatis;
In colatura liquentur
Ceræ Unciæ octo ſemis:
Addantur
Olei Maſtychini Unciæ octodecim,
Pulverum Corticum Quercus,
Sanguinis Draconis,
Nucis Moſchatæ,
Succi Hypociſtidis,
Baccarum Myrti,
Sorborum,
Succini,
Florum Balauſtiorum,
Maſtychis,
Gummi Laccæ ana Uncia ſemis:
Miſceantur probe.

Ad præcavendum Abortum facere VARIGNANA *&* SCHULZ *ſunt experti; ad Hæmorrhagiam Uteri, nimias Hæmorrhoides, Ani & Uteri Prolapſum, nec non ad Incontinentiam Urinæ laudatur, inungendum Abdomini, Lumbis & Femoribus.*

UNGUENTUM DIGESTIVUM *Hamburgenſium.*

℞. Terebinthinæ Argentoratenſis Uncias octo:
Subigantur cum
Vitellis ovorum Numero quatuor
Addantur
Olei Hyperici Uncia una ſemis,
Pulverum Olibani,
Myrrhæ ana Drachmæ tres:
Miſceantur.

Remedium polychreſtum ad ſuſtentandam Suppurationem aptatum.

UNGUENTUM DODECAPHARMACUM.

Videatur Unguentum Apoſtolorum.

UNGUENTUM ENULATUM *Colonienſium.*

℞. Radicum Enulæ recentium Uncias ſedecim:
In pultem contuſæ coquantur cum
Axungiæ porcinæ Unciis octo,
Olei Olivarum Unciis quatuor, ad conſumtionem humiditatis;
Colatura liquentur
Ceræ,
Terebinthinæ ana Uncia una.
Miſceantur.
Contra affectus Cutaneos adhibetur.

UNGUENTUM FUSCUM *Pariſienſium.*

℞. Axungiæ Porci,
Butyri,
Sevi Vervecini ana Uncias ſedecim,
Olei Olivarum Uncias duas & triginta:
In lebete vivide ferventibus addantur
Lithargyrii Unciæ ſedecim:
Sub perpetua agitatione coquantur, donec colorem induerint fuſcum; quo facto liquentur in eis
Ceræ Unciæ ſedecim.
Hoc Unguentum Gallis ſub nomine Onguent de la Mere *venit, tam Digerendis quam Abſtergendis Ulceribus adhibendum.*

UNGUENTUM HÆMORRHOIDALE *Plenck.*

℞. Unguenti Nutriti Drachmas ſex,
Olei cocti Hyoſcyami Drachmas duas,
Pulveris Croci Scrupulum unum,
Camphoræ Oleo ſubactæ Scrupulos duos:
Miſceantur.
Hæmorrhoides cœcas diſcutit; Dolores earum ſedat.

UNGUENTUM DE LINARIA *Plenck.*

℞. Herbarum Linariæ Uncias duodecim,

Sempervivi Uncias duas,
Hyoſcyami Unciam unam:
Contuſa macerentur per aliquot dies cum
Butyri Unciis octodecim:
Coquantur deinde ad conſumtionem humiditatis & exprimantur.

Specifice commendatur contra Hæmorrhoides cœcas.

UNGUENTUM DE LIQUIRITIA *Auguſtanorum.*

℞. Radicum Liquiritiæ recentium in pultem contuſarum,
Butyri ana Uncias ſedecim:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis:
Prelo expreſſis addantur
Pompholygos Drachmæ ſex,
Ceruſſæ Unciæ tres,
Camphoræ, paululo Olei ſubactæ Scrupuli duo:
Miſceantur.

Ad Intertriginem, Excoriationes, Fiſſuras Papillarum adhibetur.

UNGUENTUM DE LITHARGYRIO, NUTRITUM, TRIAPHARMACUM *Mesue.*

℞. Lithargyrii Uncias ſex,
Olei Olivarum Uncias octodecim,
Aceti fortis Uncias ſex:
In vaſe vitreato prunis ſuperimpoſito probe agitentur, donec penitus coierint.

Laudatur ad Ambuſtiones, Excoriationes &c.

UNGUENTUM MARTIATUM *Nicolai.*

℞. Foliorum recentium Lauri Uncias octo,
Rutæ Uncias quinque,
Majoranæ Uncias quatuor,
Roriſmarini Uncias tres,
Myrti,

Ebuli,

Foliorum recentium Ebuli,
Menthæ,
Baſilici ana Unciam unam:
Inciſa infundantur per aliquot dies cum
Olei Olivarum Unciis ſedecim,
Butyri recentis,
Axungiarum Urſi,
Gallinæ,
Medullæ Cervi ana Drachmis ſex:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis; expreſſis & colatis liquentur
Ceræ Unciæ octo:
Refrigeratis adjiciantur
Pulverum Styracis Drachmæ quinque,
Maſtyches Uncia ſemis,
Olibani Drachmæ tres:
Miſceantur.

Partibus debilitatis & Abdomini infantum Torminibus laborantium inungitur.

UNGUENTUM MATURATIVUM *Reinesii.*

Vix differt ab Unguento Digeſtivo.

UNGUENTUM MERCURIALE ALBUM *Plenck.*

UNGUENTUM AD SCABIEM *Zelleri.*

℞. Mercurii præcipitati albi Unciam ſemis,
Unguenti Roſati Uncias tres ſemis:
Probe miſceantur.

Contra Scabiem & Herpetem commendatur.

UNGUENTUM DE MINIO CAMPHORATUM *Florentini.*

℞. Unguenti de Lithargyrio Uncias quindecim:
Cum his ſubigantur
Camphoræ Drachmæ duæ:

Addantur
Minii Uncia una ſemis,
Tutiæ præparatæ Drachmæ duæ:
Miſceantur.
Ambuſtis & ſerpentibus Ulceribus obnititur.

UNGUENTUM MUNDIFICANS *Poterii.*

℞. Foliorum Nicotianæ Manipulos ſex,
Butyri Uncias quatuor & viginti,
Terebinthinæ Uncias quatuor:
Mixta inſolentur per octiduum, tum exprimantur:
Denique immiſceantur ipſis
Pulverum Gummi Ammoniaci,
Galbani ana Unciæ duæ,
Antimonii crudi,
Cinnabaris ana Drachmæ tres,
Myrrhæ,
Olibani ana Drachmæ duæ.
In Ulceribus fiſtuloſis ſanandis magnopere ab Auctore laudatur.

UNGUENTUM MUNDIFICANS *Stahlii.*

℞. Mercurii vivi,
Plumbi ana Unciam unam:
Fiat Amalgama ſecundum artem, quod probe teratur cum
Terræ Tripolitanæ Uncia una:
Hic pulvis permiſceatur penitiſſime cum
Unguenti albi Camphorati Unciis octo.
Commendatur ad extinguendas Efflorеſcentias Cutis ſcabioſas ſiccas & pruriginoſas.

UNGUENTUM NEAPOLITANUM *Pariſienſium.*

℞. Axungiæ Porcinæ,
Mercurii vivi ana quantum libuerit:
Probe terantur, donec omnes globuli Mercuriales diſparuerint.
Adhibetur ad Frictiones, quæ, qua ſolertia ſint adminiſtran-

dæ, Chirurgia docet. Si Mercurio duplum aut quadruplum Axungiæ adjeceris, ſurgit UNGUENTUM CÆRULEUM FORTIUS ET MITIUS Londinenſium.

UNGUENTUM NERVINUM *Suecorum.*

℞. Sevi Ovilli Uncias octo:
Leni calore liquatis addantur
Oleorum Laurini Unciæ duodecim,
deſtillatorum Terebinthinæ Uncia una,
Succini Uncia ſemis:
Subigantur probe.
Roborandis Membris inungitur.

UNGUENTUM DE NICOTIANA *Jouberti.*

℞. Foliorum Nicotianæ inciſorum Uncias quatuor & viginti,
Succi Nicotianæ Uncias quatuor cum ſemiſſe,
Axungiæ porcinæ Uncias duodecim:
Macerentur per noctem, deinde coquantur ad conſumtionem humiditatis, & expreſſis liquentur
Reſinæ Uncia una ſemis,
Ceræ Drachmæ ſex:
Addatur
Pulveris Ariſtolochiæ rotundæ Uncia una ſemis:
Miſceantur.
Pro pellendis, ſanandis Scrophulis, Ulceribus, Tineis, Scabie quoque, commendabile.

UNGUENTUM NIHILI *Colonienſium.*

℞. Tutiæ præparatæ,
Nihili albi ana Unciam unam,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Matris Perlarum præparatæ ana Unciam ſemis,
Pinguedinis porcinæ Uncias duodecim:
Miſceantur.
Ophthalmiæ ſeroſæ obſiſtit.

UNGUENTUM NUTRITUM.

Videatur Unguentum de Lithargyrio.

UNGUENTUM OCULARE *Pringle.*

℞. Unguenti albi Drachmas quinque,
Sacchari Saturni Scrupulum unum,
Balſami Commendatoris Scrupulos duos:
Miſceantur probe.

Laudatur multum ad Palpebras excoriatas.

UNGUENTUM OCULARE *Sloane.*

℞. Tutiæ præparatæ Unciam unam,
Lapidis Hæmatitæ præparati Scrupulos duos,
Pulveris Aloës Grana duodecim,
Margaritarum præparatarum Grana quatuor,
Axungiæ Viperarum quantum ſatis ad conſiſtentiam Unguenti:
Probe miſceantur.

In Ophthalmia hujus Medicamenti quantum fert penicillum pictorium laboranti Oculo affricatur, hac lege, ut clauſis illico Palpebris aliquamdiu retineatur. Adhibetur mane & veſpera.

UNGUENTUM OPHTHALMICUM *Saintyves.*

℞. Butyri cocti Uncias tres,
Ceræ Unciam ſemis:
Liquatis commiſceantur
Tutiæ præparatæ Drachma una,
Mercurii præcipitati rubri Drachmæ duæ ſemis,
Camphoræ, paululo Olei Ovorum diſſolutæ Drachma ſemis:
Miſceantur penitiſſime.

Medicamentum egregie ſanans Lippitudinem & cornea Ulcuſcula.

UNGUENTUM OPODELDOCH
est
Balſamum Saponaceum.

UNGUENTUM PARALYTICUM *Plenck.*

℞. Saponis officinalis Uncias ſex:
Subigantur cum
Olei deſtillati Baccarum Juniperi Uncia una,
Pulveris Seminis Erucæ Drachmis ſex:
Miſceantur.
Vires titulus indicat.

UNGUENTUM PECTORALE *Auguſtanorum.*

℞. Olei Amygdalarum dulcium Uncias quatuor,
Chamomillæ,
Violarum ana Uncias tres,
Butyri Uncias ſex,
Axungiarum Gallinæ,
Anatis ana Uncias duas,
Ceræ albæ Uncias tres:
Leni calore colliquatis addantur
Pulverum Ireos Florentinæ Drachmæ duæ,
Croci Drachma ſemis:
Miſceantur.
Ad Aſthma & Tuſſim infantum adhibetur.

UNGUENTUM CONTRA PEDICULOS *Plenck.*

℞. Unguenti Neapolitani Uncias octodecim,
Pulverum Seminum Sabadilli,
Staphis agriæ ana Uncias duas,
Radicis Hellebori albi Unciam unam,
Oleorum Lauri Uncias novem,
Spicæ Unciam unam:
Miſceantur.
Exiguis modo portionibus locis, quibus Pediculi inſident, inungitur.

UNGUENTUM AD PERNIONES *Plenck.*

℞. Axungiæ porcinæ,
Sevi Cervini,

Olei Laurini,
Ceræ ana Uncias duas:
Colliquatis leni igne & refrigeratis addatur
Camphoræ Uncia ſemis, diſſoluta in
Spiritus Vini rectificati Uncia una:
Miſceantur.
Vires titulus docet.

UNGUENTUM POMATUM *Danorum.*

℞. Axungiæ Porcinæ, aqua Roſarum ſæpius lotæ Uncias duodecim:
Adjiciantur ſenſim ſub perpetua agitatione
Aquarum Roſarum Unciæ tres,
Naphæ,
Spiritus Roſarum ana Uncia ſemis,
Oleorum Lavendulæ Semidrachma;
Ligni Rhodii,
de Cedro ana Guttæ ſedecim:
Exactiſſime mixta aſſerventur.

A Pomis, quæ ſuperioribus ſeculis Unguentis fragrantibus adjici moris erat, id genus Unguenta, re quidem ſublata, nomen tamen hodieque ſervant. Quæ ex Floribus recentibus parantur, optime ex Gallia Meridionali aut Italia accerſuntur.

UNGUENTUM DIAPOMPHOLYGOS *Amſtelodamenſium.*

℞. Olei Solani Uncias ſedecim,
Ceræ Uncias quinque:
Liquatis leni igne addantur
Ceruſſæ Unciæ duæ,
Pompholygos præparatæ,
Plumbi uſti,
Pulveris Olibani ana Uncia una:
Miſceantur.
Commendatur ad Ulcera ſananda, nec non ad diſcutiendam Ophthalmiam.

UNGUENTUM POPULEUM *Præpositi.*

℞. Oculorum Populi recentium Uncias quatuor & viginti,
Pinguedinis porcinæ Uncias quatuor & ſexaginta:
Aſſerventur in illud tempus, quod ſequentia Vegetabilia ſubminiſtrare valet recentia, nimirum
Summitatum Rubi,
Herbarum Papaveris ſativi,
Hyoſcyami,
Bardanæ cum radicibus,
Solani,
Lactucæ viroſæ,
Violariæ ana Unciæ tres,
Sempervivi Unciæ quatuor,
Sedi acris Unciæ tres:
Inciſa addantur Pinguedini, quæ Gemmas Populi habet:
Coquantur ad conſumtionem humiditatis; exprimantur & colentur.

Paregorico & Refrigeranti ſcopo Hæmorrhoidibus, Ambuſtis, Mammis induratis inungitur.

UNGUENTUM PURPUREUM *Wurzii.*

℞. Radicum Scrophulariæ recentium,
Herbarum Plantaginis recentis,
Chelidonii majoris recentis ana Drachmas tres:
Inciſa macerentur per aliquot dies cum
Aceti Unciis quinque:
Colatura addantur
Capitis mortui Vitrioli edulcorati Unciæ duæ,
Viridis Æris Drachmæ decem,
Mellis Unciæ octo:
Coquantur ad conſiſtentiam Mellis.

Cum Unguento Ægyptiaco quoad vires convenit.

UNGUENTUM ROSATUM *Wurtembergenſium.*
UNGUENTUM SIMPLEX *Londinenſium.*

℞. Axungiæ Porcinæ Uncias duodecim:

Lavetur Aqua Roſarum, donec ejus odore fuerit imbuta; tunc addantur

Olei Ligni Rhodii Guttæ ſedecim:

Miſceantur.

Unguento Pomato ſubſtituitur; Demulcendi quoque virtute gaudet.

UNGUENTUM RUBRUM POTABILE *Danorum.*

℞. Radicis Alkannæ Uncias duodecim,

Vini rubri Uncias decem:

Macerentur per aliquot dies; tunc adjiciantur

Butyri Unciæ ſexaginta:

Coquantur ad conſumtionem humiditatis, exprimantur & colentur.

Relaxandi & Emolliendi ſcopo olim uſurpabatur.

UNGUENTUM SAMBUCINUM *Præpositi.*

℞. Sevi ovilli Uncias ſex & triginta,

Olei Olivarum Uncias duodecim:

Liquefactis committantur

Florum Sambuci Unciæ octo & quadraginta:

Relinquantur per aliquot dies; tunc leniſſimo igne denuo liquata colentur.

Laudatur maxime ad Ambuſta.

UNGUENTUM SATURNINUM *Edinburgenſium.*

℞. Olei Olivarum Uncias duodecim,

Ceræ albæ Uncias tres:

Liquatis, partitis vicibus, ſub perpetua agitatione adjiciatur

Sacchari Saturni Semuncia:

Probe miſceantur.

Cum Unguento Nutrito reſpectu virium convenit.

UNGUENTUM AD SCABIEM *Pariſienſium.*
UNGUENTUM CITRINUM *Suecorum.*

℞. Mercurii vivi Uncias tres;

Diſſolvantur

Diſſolvantur
Spiritus Nitri Unciis quatuor:
Solutio affundatur ſenſim
Axungiæ Porcinæ calore liquatæ Unciis duabus & triginta:
Agitentur piſtillo ligneo; probe mixta effundantur ſuper chartam; refrigerata diſſecentur in taleolas.

Articulis Pedum & Manuum ad Drachmarum duarum pondus affricatur; laudatur quoque ad efloreſcentias Herpeticas.

UNGUENTUM SOLANI *Bergamenſium.*

℞. Succi ex foliis & baccis Solani expreſſi Uncias ſex & triginta,
Olei Olivarum Uncias quatuor & quinquaginta,
Ceruſſæ Uncias octodecim,
Lithargyrii Uncias ſex & triginta:
Coquantur ad Diſſolutionem Calcium metallicarum;
Addantur deinde
Ceræ albæ Unciæ ſex,
Pulveris Olibani Unciæ tres:
Miſceantur.

Adhibetur ad Ambuſta, nec non ad conſolidanda Ulcera.

UNGUENTUM SPLENITICUM *Wurtembergenſium.*

℞. Radicum Filicis,
Ari ana Uncias duas,
Herbarum Aſari,
Hyoſcyami,
Cicutæ,
Naſturtii Aquatici ana Unciam unam ſemis,
Nicotianæ Drachmas tres,
Florum Chamomillæ,
Hyperici,
Geniſtæ,
Sambuci ana Unciam unam:
Contuſa macerentur per aliquot dies cum

Axungiæ Porcinæ Unciis quatuor & viginti:
Coquantur deinde ad conſumtionem humiditatis:
In expreſſis liquetur
Ceræ Uncia una ſemis:
Addantur
Pulverum Gummi Ammoniaci,
Galbani ana Drachmæ ſex:
Refrigeratis adjiciantur
Oleorum deſtillatorum Cumini,
Anethi,
Ceræ ana Drachma una:
Probe miſceantur.

Ad prohibendam duritiem Hypochondriorum, & pellendos Flatus adhibetur.

UNGUENTUM STOMACHICUM *Viennenſium.*

℞. Oleorum Maſtychis,
Menthæ,
Cydoniorum,
Ceræ citrinæ ana Uncias octo:
Liquatis & ſemirefrigeratis addantur
Pulverum Ligni Aloës,
Calami Aromatici,
Caryophyllorum,
Macis ana Uncia una,
Balſami Peruviani Uncia ſemis,
Oleorum deſtillatorum Caryophyllorum Scrupuli duo,
Aniſi Scrupulus unus:
Miſceantur.

Ad roborandum Ventriculum, ſiſtendum Vomitum & Fluxus Alvi, regioni Epigaſtricæ & Umbilico inungitur.

UNGUENTUM DE STYRACE *Lemery.*

℞. Olei Nucum Uncias duodecim,
Colophonii Uncias quindecim,
Gummi Elemi,

Ceræ ana Uncias octo:
Liquentur leni calore, liquatis & ab igne remotis addantur
Storacis liquidæ Unciæ decem:
Colentur per linteum; elapſis aliquot diebus cultri ope inde ſeparentur ſordes, quæ ad fundum ſeceſſerint.

Scopo Antiſeptico ad Ulcera putrida & Gangrænam adhibetur.

UNGUENTUM DE UVIS
eſt
Unguentum ad Labia.

UNGUENTUM CONTRA VERMES *Wurtembergenſium.*

℞. Radicum Filicis,
Bryoniæ,
Allii ana Unciam unam ſemis,
Herbarum Abrotani,
Abſynthii,
Tanaceti ana Drachmas duas,
Butyri Uncias ſedecim:
Inciſa coquantur ad conſumtionem humiditatis; in expreſſis liquetur
Ceræ Uncia una ſemis:
Refrigeratis adjiciantur
Pulverum Aloës Uncia una,
Trochiſcorum Alhandal Uncia ſemis,
Fellis Tauri inſpiſſati Unciæ duæ:
Miſceantur.

Mitius agit, quam Unguentum de Arthanita, cujus in modum adhibetur.

UNGUENTUM VIRIDE POTABILE *Wurtembergenſium.*

℞. Herbarum recentium Abrotani,
Artemiſiæ,
Bellidis,
Betonicæ,
Fœniculi,
Hyſſopi,

Herbarum recentium Menthæ,
Matriſylvæ,
Millefolii,
Majoranæ,
Plantaginis,
Veronicæ,
Verbenæ,
Salviæ,
Ruthæ ana Unciam unam,
Baccarum Juniperi viridium Uncias tres:
Inciſa & contuſa coquantur cum
Butyri Unciis octo & quadraginta ad conſumtionem humiditatis:
Colentur & aſſerventur.

Laudabatur ex Alto lapſis & Parturientibus ad aliquot cochlearia; ſed inconcinna compoſitio merito eviluit.

ZINZIBER COCTUM *Argentoratenſium.*

℞. Cinnamomi electi Drachmas duas,
Nucis Moſchatæ Drachmam unam,
Caryophyllorum Scrupulos duos,
Macis Scrupulum unum:
Craſſe contuſis addantur
Pulveris Zinziberis Drachmæ ſex:
Mixtæ cum
Sacchari ad conſiſtentiam tabulandi cocti Unciis ſedecim:
Formentur inde Morſuli.

Cum ſucceſſu ad morbos Capitis & Ventriculi a Muco oriundos adhibetur.

INDEX

INDEX

Aal, I. 30.
Abelmoſch, I. 14.
Aben, I. 10.
Abricots, I. 35.
Abrotanum, I. 14.
Abſynthe, I. 14.
Abſynthium, I. 14.
Acacia, I. 15.
Acajou, I. 28.
Acanthus, I. 15.
Acer, I. 16.
Acetabulum, I. 9.
Acetoſa, I. 16.
Acetoſella, I. 16.
Acetum, I. 17. II. 1.
Antiſepticum, II. 1.
Aromaticum, II. 2.
Bezoardicum, II. 3.
Camphoratum, II. 3.
Chalybeatum, II. 3.
Colchicum, II. 4.
Concentratum, STAHL, II. 4.
WESTENDORF, II. 4.
Deſtillatum, II. 5.
Hyſtericum, II. 5.
Odoratum, II. 5.
Saturninum, II. 6.
Scilliticum, II. 6.
Ache, I. 33.
Acidum Tartari Cryſtalliſatum, II. 292.
Deſtillatum, II. 314.
Ackerſchwendel, I. 211.
Acmella, I. 17.
Aconitum, I. 17.
Acorus, I. 17. I. 57.
Actes grana, I. 187.
Adamas, I. 18.
Adar, I. 8.
Adhatoda, I. 18.
Adianthum, I. 18.
Adlerſtein, I. 19.
Ægagropila, I. 18.
Æris Flores, II. 7.
Ærugo, I. 213.
Æs, I. 19.
uſtum, II. 7.
Æſaſſe, I. 10.
Æther Vitrioli, II. 206.
Æthiops Antimonialis, II. 7.
Martialis, II. 7.
Mineralis, II. 8.
Vegetabilis, I. 176.
Agallochum Lignum, I. 23.
Agarie, I. 19.
Agaricus, I. 19.
Mineralis, I. 128.
Præparatus, II. 18.
Pedis equini facie, I. 19.
Agley, I. 33.
Agnus caſtus, I. 19.
Agreſta, I. 214.
Agricome, I. 63.
Agrimonia, I. 20.
Agtſtein, I. 201.
Ahorn, I. 16.
Ail, I. 21.
Aimant, I. 138.
Airelles, I. 152.
Alabaſtrum, I. 20.
Alabaſtre, I. 20.
Alabatre, I. 20.
Alant, I. 101.
Alaun, I. 24.
Album Græcum, I. 20.

Alcaheſt Glauber. II. 227.
Alcali Ammoniacum aquoſum, II. 311.
cauſticum, II. 311.
Fluor, II. 311.
Minerale Tartariſatum, II. 290.
de Rocou, I. 111.
Vegetabile Tartariſat. II. 329.
Vitriolatum, II. 230.
Volatile cauſticum, II. 311.
Alcantus, I. 10.
Alcaubolus, I. 8.
Alcea, I. 20.
Alcée, I. 20.
Alces Ungulæ, I. 20.
Alchemion, I. 8.
Alchi, I. 8.
Alchymilla, I. 20.
Alcovanus, I. 8.
Alhandal Trochiſci, I. 87.
Alkilat, I. 9.
Alleluja, I. 16.
Alkanna, I. 20.
Alkekengi, I. 21.
Allermannsharniſch, I. 211.
Alliaria, I. 21.
Alliaire, I. 21.
Allium, I. 21.
Aſcalonicum, I. 22.
Scorodopraſum, I. 22.
Almuneſi, I. 10.
Alnus, I. 22.
Aloës, I. 22.
Depurata, II. 9.
Inſuccata, I. 23. II. 9.
Lignum, I. 23.
Lota, I. 23. II. 9.
Roſata, I. 23. II. 9.
Alpſchos, I. 46.
Alſine, I. 23.
Althæa, I. 20.
Alumen, I. 24.
Catinum, I. 197.
Plumoſum, I. 25.
Romanum, I. 24.
Rupeum, I. 24.
Saccharinum, II. 9.
Tinctum, II. 10.
Uſtum, II. 10.
Alun, I. 24.
d'Amandes pâte, II. 270.
Amara dulcis, II. 24.
Amazonum Lapis, I. 154.
Ambra, I. 24.
Liquida, I. 25.
Ambre jaune, I. 201.
Ambroiſie, I. 52.
Ameiſe, I. 107.
Amethyſtus, I. 25.
Amianthus, I. 25.
Amidon, I. 28.
Ammi, I. 26.
Ammoniacum Gummi, I. 26.
Sal, I. 27.
Amomi ſemen, I. 26.
Amomum, I. 26.
Amphora, I. 9.
Amygdalæ, I. 27.
Amylum, I. 28.
Anacardium: I. 28.
Anagallis, I. 28.
Anas, I. 29.
Anatron, I. 105.
Anckenblümlein, I. 177.
Anchuſa, I. 29.
Ancoline, I. 33.
Andorn, I. 140.
ſchwarzer, I. 44.
Andouilleιs, I. 74.
Aneſime, I. 10.

Anet, I. 20.
Anethum, I. 20.
Angelica, I. 29.
Anglicum Sal, I. 30.
Anguilla, I. 30.
Anguille, I. 30.
Anguria, I. 84.
Anime Gummi, I. 30.
Anis de la Chine, I. 31.
Stern, I. 31.
Aniſum, I. 30.
ſtellatum, I. 31.
Annulus, I. 9.
Anodynum minerale, II. 12.
Anſer, I. 31.
Anſerina, I. 31.
Anthophylli, I. 31.
Anthora, I. 32.
Anthos, I. 32.
Antidotaria, I. 2.
Antidotus Mithridatis, II. 119.
Antihecticum Poterii, II. 10.
Antimoine, I. 32.
Antimonium, I. 32.
Diaphoreticum, II. 11.
Præparatum, II. 12.
Antiquartium Riverii, 239.
Apalachine, I. 32.
Apparine, I. 32.
Aper, I. 33.
Apfel, I. 142.
Apium, I. 33.
Apothecarius, I. 2.
Apozema, II. 13.
Febrifugum laxans, II. 101.
Apri dentes, I. 33.
Arret de bœuf, I. 157.
Aqua Abſynthii compoſita, II. 13.
Vinoſa, II. 13.
Acuſtica, II. 14.
Aqua Alexiteria, II. 15.
Aloëtica Mercurialis, II. 37.
Aluminoſa Fallopii, II. 15.
Pariſienſium, II. 15.
Anhaltina, II. 16.
Anodyna, II. 16.
Apoplectica, II. 17.
Aromatica, II. 17.
Aſthmatica, II. 18.
Balſami Embryonum, II. 18.
Benedicta Rulandi, II. 19.
Calcis, II. 20.
compoſita, II. 20.
Caponis, II. 20.
Carbunculi, II. 21.
Carmelitarum, II. 22.
contra Cariem; II. 24.
Carminativa Dorncrelli II. 22.
Regis Boruſſ. II. 23.
Vulgaris, II. 23.
Catapultarum, II. 21.
Cinnamomi Bugloſſata, II. 24.
Cordialis, II. 24.
Cydoniata, II. 24.
Hordeata, II. 24.
Simplex, II. 24.
cum Vino, II. 24.
ſine Vino, II. 24.
Vulgaris, II. 24.
Colonienſis, II. 25.
Confortativa, II. 25.
Cornu Cervi citrata, II. 25.
Tenellorum, II. 41.
Divina, II. 37.
Epileptica, II. 26.
Florum omnium, II. 27.
Fimi, II. 27.
Fœtida, II. 27.
Fortis, II. 28.
Mercurialis, II. 28.

Aqua Fortis præcipitata, II. 28.
ad Gingivas, II. 28.
Gryſea, II. 28.
Hyrundinum, II. 29.
cum Caſtoreo, II. 29.
Hungarica, II. 30.
Laxativa Anglica, II. 30.
Viennenſis, II. 31.
Magnanimitatis, II. 31.
Maſtichina, II. 32.
Meliſſæ compoſita, II. 33.
Mellis, II. 32.
Odorata, II. 32.
Menthæ compoſita, II. 33.
Mercurialis, II. 33.
CHARRAS, II. 219.
Mercuriata, II. 32.
Millepedum, II. 34.
Mirabilis, II. 26.
Mulſa, II. 34.
Myrrhæ, II. 34.
Ophthalmica alba, II. 35.
CHARRAS, II. 35.
Cœleſtis, II. 35.
Cærulea, II. 35.
DAGUIN, II. 36.
Panis, II. 26.
Perlata, II. 36.
Peſtilentialis, II. 37.
HARTMANN. II. 314.
Phagedænica, II. 37.
Picis, II. 198.
RABELII, II. 37.
Raphani compoſita, II. 37.
Reginæ Hungariæ, I. 81. II. 30.
Regis, II. 38.
Sclopetaria, II. 44.
Serpylli compoſita, II. 38.
Sine pari, II. 39.
Stibiata, II. 39.
Aqua Styptica *Berolinenſium*, II. 39.
Danorum, II. 39.
Thediana, II. 40.
Theriacalis, II. 40.
Londinenſium, II. 40.
ad Tormina Infantum, II. 41.
de Tribus, II. 222.
Typhor. Cervi compoſita, II. 41.
Veronicæ cum Vino, II. 42.
Vegeto-mineralis, II. 41.
Violacea, II. 41.
Viridis, II. 42.
Vitæ mulierum, II. 43.
Saponacea, II. 43.
Vitriolica, II. 44.
Cærulea, II. 44.
Londin. II. 40.
Vulneraria aquoſa, II. 46.
BAUMÉ, II. 45.
LEMERY, II. 44.
Mercurialis, II. 46.
Mineralis, II. 46.
Rubra, II. 46.
Vinoſa, II. 46.
Aquila alba, II. 46.
Aquilæ Lignum, I. 23.
Aquilegia, I. 33.
Arabicum Gummi, I. 33.
Aranea, I. 34.
Araignée, I. 34.
Arbor vitæ, I. 34.
Arcanum Corallinum, II. 47. 220.
Duplicatum, II. 47.
Tartari, II. 47. 330.
Ardea, I. 34.
Argentina, I. 31.
Argent, I. 34.
Argentum, I. 34.
Vivum, I. 146.
Ariſtolochia, I. 34. 35.

Ariſtoloche de vigne, I. 35.
Armeniaca, I. 35.
Armenius lapis, I. 36.
Armoiſe, I. 38.
Armoracia, I. 36.
Arnica, I. 36.
Aron, I. 38.
Arroche, I. 40.
puante, I. 216.
Arſenicum, I. 37.
Artanita, I. 95.
Artemiſia, I. 38.
Arum, I. 38.
Arundo, I. 38.
As, I. 7.
Aſarum, I. 39.
Asbeſtus, I. 25.
Aſcia, I. 39.
Aſche, I. 39.
Aſpalatum lignum, I. 23.
Aſparagus, I. 39.
Aſperge, I. 39.
Aſphaltum, I. 39.
Aſphodelus, I. 40.
Aſſa dulcis, I. 47.
Fœtida, I. 40.
Aſſalit, I. 8.
Aſtrantia, I. 40.
Atogochilus, I. 8.
Atractylis, I. 40.
Attich, I. 100.
Atriplex, I. 40. 41.
Avellana, I. 9. 41.
Avena, I. 41.
Auguen, I. 8.
Augentroſt, I. 103.
Aunée, I. 101.
Avoine, I. 41.
Aurantia, I. 42.
Aureus, I. 8.
Auricula Judæ, I. 43.
Auricula Muris, I, 43.
Auripigmentum, I. 37.
Aurone, I. 14.
Aurum, I. 43.
Fulminans, II. 47.
Horizontale, II. 48.
Potabile, II. 48.
Autruche noir, I. 40.
œufs, I. 201.
Autulas, I. 9.
Azedarach, I, 44.
Azoph PARACELS. II. 337.

Bachates parva, I. 10.
Bachbungen, I. 45.
Bachilea, I. 9.
Bacile, I. 91.
Bacilli ad fornacem, II. 48.
de Liquiritia, II. 48.
Baculi pectorales, II. 204.
Bær, I. 216.
Bærlapp, I. 137.
Bærwurzel, I. 147.
Bærenklau, I. 53.
Balanus, I. 9.
Myrepſicus, I. 46.
Balauſtiorum Flores, I. 114.
Baldrian, I. 210.
Baleine, I. 75.
Ballotta, I. 44.
Balſamapfel, I. 148.
Balſama, II. 48. 59.
Balſamita, I. 44.
Balſamum adſtringens, II. 49.
Anodynum, II. 49.
Apoplecticum, II. 49.
Arcæi, II. 50.
liquefactum, II. 50.
Aromaticum, II. 50. 59.

Balſamum Burrhianum, II. 50.
Canadenſe, I. 59.
Carpaticum, I. 65. 178.
Caryophyllorum, II. 60.
Catholicum, II. 51. 57.
Cellenſe, II. 50.
Cephal. Saxonicum, II. 50.
Chalybeatum, II. 51.
Cinnamomi, II. 60.
Commendatoris, II. 57.
ad Dentitionem, II. 51.
FIORAVENTI, II. 52.
Hungaricum, I. 178.
Hyſtericum, II. 53.
Iſchæmeticum, II. 53.
Lavendulæ, II. 60.
Lectorenſe, II. 53.
Lithuanicum, II. 54.
ad Loricand. cadaver, II. 55.
LOCATELLI, II. 54.
Majoranæ, II. 60.
Mercuriale, II. 55.
Metenſium, II. 62.
Nervinum, II. 55.
Odontalgicum, II. 56.
Ophthalmicum, II. 56.
Rubrum, II. 56.
Pectorale, II. 57.
Rutæ, II. 60.
Samaritanum, II. 58.
Saponaceum, II. 58.
Saturni, II. 58.
Schaueriamum, II. 58.
SCHERZERI, II. 59.
Sulph. Antimoniale, II. 61.
Craſſum, II. 60.
RULANDI, II. 61.
Tranquillans, II. 61.
Traumaticum, II. 57.
Edinburgenſium, II. 62.
Londinenſium, II. 62.
Balſamum Viride, II. 62.
Vitæ externum, II. 63.
FUNNII, II. 63.
HOFFMANNI, II. 63.
TEICHMEYERI, II. 64.
Vulnerar. *Edinburg.* II. 65.
Londinenſ. II 65.
MINDER. II. 65.
STAHLII, II. 66.
Bamia Moſchata, I. 14.
Barba Capræ, I. 44.
Barbarea, I. 44.
Barbe de bouc, I. 209.
Bardana, I. 45.
Baſilicum, I. 45.
Baſilic, I. 45.
de Baſſora Gummi, I. 208.
Baumwoll, I. 50.
Baurenſenf, I. 207.
Bdellium, I. 44.
Beaume d'Aiguilles, II. 51.
de Carthagene, I. 208.
Condom, II. 53.
de Laicture, II. 53.
de Vinceguere, II. 53.
Beaumier, I. 143.
Bec de grue, I. 113.
Beccabunga, I. 45.
Bedeguar, I. 96.
Behen album, I. 45.
Nuces, I. 46.
Rubrum, I. 46.
Belemnites, I. 46.
Belladonna, I. 46.
Belledame, I. 40.
Bellis, I. 47.
Bengalenſis Nux, I. 47.
Benedictenwurzel, I. 65.
Benjoin, I. 47.
Benoite, I. 65.
Benzoës, I. 47.

Berberis, I. 47.
Bergmünze, I. 59.
Bergſalz, I. 185.
Bernſtein, I. 201.
Berſingſtein, I. 164.
Bertram, I. 175.
wilder, I. 174.
Berufkraut, I. 88. 195.
Beſchreykraut, I. 195.
Beſenkraut, I. 197.
Beſſis, I. 7.
Beta, I. 48.
Betoine, I. 48.
des montagnes, I. 36.
Betonica, I. 48.
Bettlerlæuſe, I. 217.
Bettſtroh, I. 111.
Betula, I. 48.
Beurre, I. 54.
Beyfus, I. 38.
Bezetta, I. 49.
Bezoar, I. 49.
Bezoardicum Joviale, II. 10.
Martiale, II. 66.
Minerale, II. 66.
Bibergeil, I. 69.
Biberklee, I. 209.
Bier, I. 44.
Bigarreaux, I. 73.
Bilances, I. 5.
Bilſam, I. 175.
Bingelkraut, I. 146.
Birke, I. 48.
Birne, I. 175.
Biſam, I. 149.
Saamen, I. 14.
Biſmuthum, I. 49.
Biſtorta, I. 50.
Bitumen Judaicum, I. 39.
Blaſelwaſſer, I. 111.
Blaireau, I. 205.
Blanc de baleine, I. 75.
manger, II. 194.
de Plomb, I. 175.
Blatta Byzantina, I. 50.
Bled noir, I. 104.
Sarraſin, I. 104.
Bley, I. 71.
Bleyweis, I. 75.
Bleywurzel, I. 98.
Bluet, I. 95.
Blutygel, I. 120.
Blutſtein, I. 116.
Bock, I. 120.
Bocksbart, I. 209.
Bœuf, I. 51.
Bohnen Sau-, I. 104.
welſche, I. 104.
Bois gentil, I. 147.
de Garou, I. 147.
Sain-, I. 147.
Boletus Cervinus, I. 50.
Boli Lithontriptici, II. 67.
in Quartana, II. 67.
Vermifugi, II. 67.
Bolus, I. 50.
Anthelminticus purgans, II. 67.
Armena præparata, II. 66.
Bombax, I. 50.
Bondacute, I. 9.
Bonette, I. 53.
Bonne dame, I. 40.
Bonus Henricus, I. 51.
Borax, I. 51.
Boretſch, I. 51.
Borrago, I. 51.
Bos, I. 51.
Botrys, I. 52.
Mexicana, I. 52.
Bouc, I. 120.

Bougie, II. 142.
Bouillon blanc, I. 211.
Bouleau, I. 48.
Bouquetine, I. 168.
Bourgene, I. 108.
Bourrache, I. 51.
Boviſt, I. 52.
Boviſta, I. 52.
Bouſſerole, I. 216.
Branca urſina, I. 53.
Branche urſine, I. 53.
Braſſica, I. 52.
Braunwurzel, I. 192.
Bray ſec, I. 87.
Briale, I. 10.
Britannica, I. 53.
Brochet, I. 136.
Brod, I. 161.
Brombeeren, I. 182.
Bruchkrautel, I. 119.
Brunella, I. 53.
Brunnkreſſen, I. 153.
Bruſcus, I. 53. 180.
Bruſtbeerlein, I. 126.
ſchwarze, I. 192.
Bruyere, I. 102.
Bryonia, I. 53.
Bubendiſtel, I. 99.
Buchwaizen, I. 104.
Buchen, I. 105.
Buchs, I. 55.
Bufo, I. 54.
Bufonites, I. 54.
Bugle, I. 54.
Bugloſſum, I. 54.
Bugula, I. 54.
Bui, I. 55.
Burſa Paſtoris, I. 54.
Butte, I. 96.
Butter, I. 54.
Butterweckel, I. 164.
Butyrum, I. 54.
Antimonii, II. 10.
Cacao, I. 55. II. 68.
Majoranæ, II. 68.
Rubrum, II. 68.
Viride, II. 68.
Buxus, I. 55.

Caapeba, I. 55.
Cabaret, I. 39.
Cabbage barck, I. 55.
Caoutchou, I. 71.
Cacao, I. 55.
Cachou, I. 70.
Cadus, I. 9.
Caffé, I. 55.
Cajepœt, I. 56.
Caille de lait, I. 111.
Caillou, I. 195.
Calambuc, I. 23.
Calament, I. 57.
Calaminaire, I. 56.
Calaminaris lapis, I. 56.
Calamintha, I. 57.
Calamus Aromaticus, I. 57.
Calcaire, I. 57.
Calcarius, I. 57.
Calcitrappa, I. 58.
Calendula, I. 58.
Calmus, I. 57.
Calomelas, II. 239.
Calx, I. 57.
Antimonii lota, II. 11.
Calyx, I. 10.
Camillen, I. 76.
Camomille, I. 76.
Campechianum Lignum, I. 58.
Camphora, I. 58.

Camphorata, I. 59.
Cancrorum Chelæ, I. 59.
Lapides, I. 59.
Oculi, I. 59.
Candelæ Chirurgicæ, II. 68.
Mercuriales, II. 69.
Fumales, II. 69.
Candeolæ, II. 142.
Canella alba, I. 60.
Canellæ Clavelli, I. 60. 82.
Canelle, I. 82.
Girofflée, I. 61.
Caneſſirinde, I. 86.
Cannabis, I. 60.
Canneberge, I. 160.
Cantharides, I. 160.
Capaun, I. 61.
Capillus Veneris, 61.
Capillaire, I. 61.
Capo, I. 61.
Capparis, I. 61.
Capres, I. 61.
Caprifolium, I. 61.
Capucine, I. 153.
Capucinerlein, I. 153.
Carannæ Gummi, I. 62.
Cardamine, I. 62.
Cardamomum, I. 63.
Cardenbenedicten, I. 63.
wilde, I. 40.
Cardiaca, I. 63.
Cardopatium, I. 64.
Carduus benedictus, I. 60.
Mariæ, I. 64.
Tomentoſus, I. 64.
Carica, I. 64.
Carlina, I. 64.
Carneol, I. 65.
Carneolus, I. 65.
Carobes, I. 196.
Carottes, I. 99.
Carouge, I. 196.
Carpe, I. 65.
Carpio, I. 65.
Carpobalſamum, I. 142.
Carthamus, I. 65.
Carvi, I. 65.
Caryophyllata, I. 65.
Caryophylli, I. 66.
Caſcarilla, I. 66.
Caſſe en batons, I. 67.
Caſſepierre, I. 162.
Caſſia Caryophyllata, I. 67.
pro Clyſteribus, II. 70.
Extracta, II. 70.
Fiſtula, I. 67.
Lignea, I. 67.
cum Manna, II. 70.
Caſſiæ Flores, I. 82.
Caſſonade, I. 184.
Caſſuminar, I. 68.
Caſtanea, I. 68.
Caſtanie, I. 68.
Roſs, I. 119.
wilde, I. 119.
Caſtoreum, I. 68. 69.
Caſumanar, I. 68.
Catagambar, I. 69. 70.
Cataplaſma Anodynum, II. 70.
Antiſepticum, II. 71.
ex Bryonia, II. 71.
Emolliens, II. 71.
Maturans, II. 72.
Saponaceum, II. 72.
de Mica Panis, II. 72.
Pomaceum, II. 72.
Reſolvens. II. 73.
ad Scirrhos, II. 73.
Cataputia, I. 69. 70.
Catechu, I. 70.

Catholicum, II. 73.
Catus, I. 70.
Cauſticum Antimoniale, II. 10.
Commune, II. 73.
Mitius, II. 73.
Lunare, II. 202.
Potentiale, II. 73. 201.
Celeri, I. 33.
Cendres gravellées, I. 81.
Centaurée petite, I. 71.
Centaurium minus, I. 71.
Centumnodia, I. 71.
Centumpondium, I. 8.
Cepa, I. 72.
Cera, I. 72.
Arborea, II. 74.
Citrina, II. 74.
ad Crines, II. 74.
Viridis, II. 74.
Ceraſa, I. 73.
Ceraſorum Gummi, I. 73.
Ceraſus Racemoſa, I. 73.
Ceratum, II. 142.
Amygdalatum, II. 76.
Coſmeticum, II. 75.
Detergens, II. 75.
ad Labia, II. 75.
Refrigerans, II. 76.
Saturninum, II. 76.
Cerberus triceps, II. 270.
Cerefolium, I. 74.
Cereoli, II. 68. 142.
Cereviſia, I. 74.
Cerf, I. 74.
Cerfeuil, I. 74.
Ceriſes, I. 73.
à grappes, I. 73.
Cervaria, I. 112.
Ceruſſa, I. 75.
Antimonii, II. 77.
Cervus, I. 94.
Ceterach, I. 75.
Ceti Sperma, I. 75.
Chacrille, I. 66.
Chalcitis, I. 215.
Χαλκος, I. 8.
Chalybs, I. 106.
Chamædrys, I. 76.
Chamæpitys, I. 76.
Chamaras, I. 91.
Chamomilla, I. 76.
Chanvre, I. 60.
Chapon, I. 61.
Characteres, I. 10. 11. 12.
Chardon benit, I. 63.
à Foulon, I 99.
Marie, I. 64.
Roland, I. 102.
Sauvage, I. 64.
Chat, I. 70.
Chataigne, I. 68.
d'Eau, I. 209.
Chaſſetaupe, I. 69.
Chaſſis, I. 180.
Chauſſetrappe, I. 58.
Chaux vive, I. 57.
Cheiri, I. 77.
Chelidoine, I. 77.
Chelidonium, I. 77.
Chene, I. 176.
Chermes, I. 178.
Chevrefeuille, I. 62.
Chicorée, I. 80. 101.
Chiendent, I. 114.
Chinæ Cortex, I. 78.
Radix, I. 79.
Χηρη, I. 9.
Chocalata, II. 77.
Choux, I. 52.
marin, I. 197.

Chryſolithus, I. 79.
χȣ̃ς, I. 9.
Ciboule, I. 72.
Cicer, I. 79.
Cichorium, I. 80.
Cicum, I. 114.
Cicuta, I. 80.
Cigüe, I. 80.
des Marais, I. 167.
Cina, I. 81.
Cineres, II. 78.
Clavellati, I. 81.
Depurati, II. 78.
Cinnabaris, I. 82.
Antimonii, II. 10.
Cremor, II. 78.
Factitia, II. 78.
Nativa præparata, II. 79.
Cinnamomum, I. 82.
Cire, I. 72.
Citreum Malum, I. 83.
Citron, I. 83.
Citronade, I. 83.
Citrullus, I. 84.
Clareta, II. 79.
Claretum Aurantiorum Florum, II. 81.
Barbadenſe, II. 79.
Cacao, II. 80.
Caffée, II. 81.
Coronarium, II. 81.
Fructuum, II. 81.
Huile de Venus, II. 82.
Nucleorum, II. 82.
Clematis, I. 84.
Cloportes, I. 148.
Cloux de Giroffles, I. 66.
Clyſma Carminativum, II. 83.
Commune, II. 83.
Emolliens, II. 83.
Leniens, II. 84.
Clyſma Nutriens, II. 84.
Opiatum, II. 84.
Simplex, II. 84.
ad Soporoſos affectus, II. 84.
Terebinthinatum, II. 85.
Clyſſus Antimonii, II. 11.
Cnidium Granum, I. 85.
Coatus, I. 10.
Cobaltum, I. 84.
Coccognidium, I. 85.
Cocculi, I. 85.
Cochenille, I. 85.
Cochlea, I. 86.
Cochlearia, I. 85.
Codagapala, I. 86.
Coins, I. 95.
Colanos, I. 10.
Colchicum, 81.
Collutorium Antiſcorbuticum, II. 85.
Gingivale, II. 85.
Odontalgicum, II. 86.
Collyrium adſtringens, II. 86.
Album, II. 343.
Cæruleum, II. 35.
COMITIS DU BOURG, II. 36.
HELVETII, II. 202.
LANFRANCI, II. 86.
Reſolvens, II. 87.
Roborans, II. 87.
Sapphirinum, II. 35. 87.
Colocynthis, I. 86.
Coloquint, I. 86.
Colombo, I. 87.
Colophonium, I. 87.
Colubrinum Lignum, I. 87.
Conchæ, I. 81.
Citratæ, II. 87.
Præparatæ, II. 87.
Concombre, I. 92.
Sauvage, I. 93.

Condita, II. 88.
Conditum de Cidoniis, II. 221.
Confectio Alkermes, II. 88.
Aniſi Laxativa, II. 89.
Hamech, II. 90.
de Hyacintho, II. 91.
Japonica, II. 114.
de Rebecha, II. 92. 346.
Univerſalis, II. 92. 111.
Confectionarius, I. 2.
Confectiones ſiccæ, II. 90.
Congius, I. 7. 9.
Conos, I. 10.
Conſerva Millepedum, I. 148.
Roſarum ſolida, II. 286.
Conſervæ, II. 92.
Vitriolatæ, II. 93.
Conſolida, I. 88.
Major, I. 202.
Media, I. 54.
Conſoude grande, I. 202.
Contra Semence, I. 81.
Contrajerva, I. 88.
Conyza Cærulea, I. 88.
Media, I. 89.
Vulgaris, I. 89.
Copaiba Balſamum, I. 89.
Copal Gummi, I. 89.
Coq, I. 44.
Coquelicot, I. 162.
Coquelourde, I. 174.
Coquerets, I. 21.
Coquilles, I. 81.
Corailles, I. 89. 90.
Corallen, I. 90.
Corallenmoos, I. 90.
Corallia, I. 89. 90.
Præparata, II. 93.
Corallina, I. 90.
Coralline de Corſe, I. 118.
Coralline de Malte, I. 118.
Coriander, I. 90.
Coriandrum, I. 90.
Corinthen, I. 163.
Corna, I. 90.
Cornaline, I. 65.
Corne de Cerf, I. 90.
Cornichons, I. 93.
Cornouilles, I, 90.
Cornu Cervi, I. 74.
Auratum, II. 93.
ſine Igne præparat. II. 94.
Philoſoph. præparat. II. 94.
Raſpatum, I. 74.
Raſura, I. 74.
Tornatum, I. 75.
Uſtum, II. 94.
Præparatum, II. 94.
Cornuſum, I. 10.
Cornuum præparatio, II. 94.
Coronopus, I. 90.
Corrector, II. 293.
Corticum collectio, I. 10.
Coryli Lignum, I. 41.
Coſmeticum Clavii, II. 94. 215.
Coſtus, I. 91.
Hortenſis, I. 44.
Coton, I. 80.
Cotula fœtida, I. 77.
Coulevrée, I. 53.
Bois, I. 87.
Courbaril, I. 30.
Cranium humanum, I. 91.
Crapaud, I. 54.
Crapaudine, I. 54. 195.
Craie, I. 91.
Craſſula, I. 91.
Crayon rouge, I. 81.
Cremor Barbadenſis, II. 80.
Tartari, II. 94.

Crepitus Lupi, I. 52. 91.
Creſſon, I. 153.
d'Eau, I. 153.
des Prés, I. 62.
de Roche, I. 154.
Sauvage, I. 154.
Creta, I. 91.
Creuzkraut, I. 92.
Creuzelkraut, I. 193.
Crithmum, I. 91.
Crocus, I. 91.
Antimoniatus, II. 95.
Antimonii, II. 95. 96.
Martis, adſtringens, II. 95.
Aperitivus, II. 95.
Metallorum, II. 96. 197.
Solis, II. 96.
Croiſette, I. 92.
Cruciata, I. 92.
Crues, I. 75.
Cropal, I. 86.
Cryſtalli Lunæ, II. 96. 202.
Cryſtallum Minerale, II. 96. 203.
Cryſtallus montana, I. 92.
præparata, II. 96.
Cuabus, I. 10.
Cubebæ, I. 92.
Cucumer, I. 92.
Cucumis, I. 92.
aux Cuillerées herbe, I. 85.
Cuivre, I. 94.
Culeus, I. 9.
Culilawan, I. 93.
Cuminum, I. 93.
Cumulus, I. 9.
Cupreſſus, I. 94.
Cuprum, I. 94.
Antimoniatum, II. 96. 305.
Curage, I. 165.
Curaſſavenſis Cortex, I. 42.
Curcuma, I. 94.
Cuſcuta, I. 95.
Cyanes, I. 10.
Cyanus, I. 95.
Cyathus, I. 9.
Cyclamen, I. 95.
Cydonia, I. 95.
Cymbalaria, I. 96.
Cymbelkraut, I. 96.
Cynogloſſum, I. 96.
Cynosbatos, I. 96.
Cyperus longus, I. 96.
Rotundus, I. 96.
Cyprès, I. 94.

Dachs, I. 205.
Dacrydion, II. 104.
Dactyli, I. 97.
Daguet, I. 74.
Danich, I. 9.
Darchimi, I. 8.
Datteln, I. 97.
Dattes, I. 97.
Daucus, I. 97.
Decoctum album, II. 97.
Amarum, II. 97.
Antipſoricum, II. 97.
Antiſcorbuticum, II. 98.
Antivenereum, II. 98.
Laxans, II. 99.
Avenaceum, II. 99.
Chinæ Radicis, II. 100.
Citri, II. 100.
Commune, II. 100.
Cornu Cervi citrat. II. 100.
Febrifugum, II. 101.
Laxans, II. 101.
ad Fungos Articulor. II. 101.
Hordei, II. 102.
Citratum, II. 100. 102.

Decoctum Ipecacuanhæ, II. 102.
Lapathi, II. 102.
Lignorum, II. 103.
Pectorale, II. 103.
Saturninum, II. 6.
Sudoriferum, II. 103.
Déſenſes, I. 33.
Defrutum, I. 214.
Demiſeptier, I. 7.
Denarius Conſularis, I. 8.
Imperialis, I. 8.
Dens Leonis, I. 204.
Dent de Cheval marin, I. 120.
Dentalia, I. 98.
Dentellaria, I. 98.
Dentaria, I. 98.
Dentium præparatio, II. 104.
Deunx, I. 7.
Dextans, I. 7.
Diacaryon, II. 283.
Diacodion, II. 104.
Diacodium liquidum, II. 321.
Diacrydium, I. 190. II. 104.
Diacydonium Aromaticum, II. 104.
Jalappinum, II. 105.
Lucid. Jalapp. II. 105.
Simplex, II. 106.
Diamant, I. 18.
Diaphoreticum Joviale, II. 10.
Dictamnus, I. 98.
Digeſtivum liquefactum, II. 106.
Digitalis, I. 99.
Dintenbeerlein, I. 134.
Dipſacus, I. 99.
Diſpenſatorium, I. 2.
Dodrans, I. 7.
Doitier, I. 99.
Dompte Venin, I. 120.
Doronicum, I. 99.
Douce amere, I. 24.
Drachma, I. 8. 10.
Δραχμη, I. 8.
Draconis ſanguis, I. 99.
Dracunculus, I. 100.
Dragun, I. 100.
Dreche, I. 138.
Dreyfaltigkeit, I. 123.
Duellus, I. 8.
Dulcamara, I. 100.
Durchwachs, I. 164.
Dürrwurz, I. 88.
Dyll, I. 29.

Eau d'Arquebuſade, II. 44.
de Bouquets, II. 81.
Divine, II. 79.
de Lavande, II. 131.
de Madame la Vrilliere, II. 85.
Sans pareille, II. 39.
Ebenum Lignum, I. 100.
Eberia, I. 10.
Eberswurzel, I. 64.
Ebulus, I. 100.
Ebur, I. 100.
Foſſile, I. 101.
Uſtum, I. 107.
Eclaire, I. 77.
Eclegma, II. 107.
Ehrenpreis, I. 211.
wilder, I. 101.
Eiche, I. 76.
Einbeere, I. 163.
Einhorn, I. 215.
Eiſen, I. 105.
Eiſenhütlein, I. 117.
Eiſenkraut, I. 211.
Ejub, I. 10.
Elæoſaccharum, II. 107.
Aurantiorum, II. 107.
Citri, II. 107.

Elaterium, II. 108.
Elatine, I. 101.
Electuarium Anthelminticum, II. 108.
Antifebrile, II. 109.
e Baccis Lauri, II. 109.
Cathol. II. 110.
proClyſter II. 110.
Dupl.c.Rh. II. 111.
Chalybeatum, II. 112.
Dentifric. II. 112. 115.
Diaſatyrium, II. 112.
Diaſcord. FRAC. II. 113.
Suecor. II. 114.
Diatragacanthæ, II. 114.
adGingiv. TRIL. II. 115.
Gingivale, *Argent.* ibid.
Hamech, II. 16.
Hiera picra, II. 116.
Hydragogum, II. 116.
pro Infantibus, II. 117.
Joviale, II. 117.
Lenitiv. *Auſtr.* II. 117.
FLORENZ. II. 117.
ad morbosPſoricos, II. 118.
de Manna, II. 119.
Mithridaticum, II. 119.
Mundificans, II. 121.
pro Pecoribus, II. 121.
Pectorale, II. 121.
Philonium Rom. *ibid.*
Purgans, II. 122.
Reſumtivum, II. 123.
Requies NICOL. II. 120.
ad Stomacacen, II. 124.
ad Tænias, II. 117.
Tamarind. II 117. 124.
Elemi Gummi, I. 101.
Elendsklauen, I. 20.
Elfenbein, I. 100.
Elixir, II. 127.
Elixir Acidum DIPPELII, II. 32. 127.
HALLER, II. 127.
Aloës Saponaceum, II. 128.
Antharthriticum, II. 129.
Anthelminticum, II. 129.
Anticolicum Crocatum, II. 129.
Antinephriticum, II. 37.
Antipodag. DIPPELII, II. 37.
GULDENKLEE, II. 129.
Antiſcorbuticum, II. 130.
Antivenereum, II. 130.
Aperitivum, II. 131.
Balſamicum HOFFM. II. 131.
Pectorale, II. 132.
Temperatum, II. 132.
WERLHOFII, II. 132.
Citri, II. 133.
Purgans, II. 133.
de GARUS, II. 134.
Juniperinum, II. 134.
Pectorale Regis Daniæ, II. 134.
RINGELMANNI, II. 134.
WEDELII, II. 135.
Polychreſtum, II. 135.
Proprietatis ſine Acido, II. 136.
Album, II. 136.
Amarum, II. 128.
Dulce, II. 136.
PARACELSI, II. 136.
Rhabarbar. II. 137.
STAHLII, II. 128.
Stomachicum *Edinb.* II. 137.
ROSENSTEIN, II. 138.
STOUGHTON, II. 138.
Uterinum, II. 138.
Elſenbaum, I. 73.
Emeraude, I. 196.
Emery, I. 197.
Emplaſtrum, II. 142.
Abbat. DE GRACE, II. 143.

Emplaſtrum Adhæſivum, II. 143.
Album coctum, II. 144.
de Ammoniaco, II. 144.
c. Mercur. II. 144.
Anglicum, II. 144.
Anodynum, II. 145.
in Cancro, II. 145.
Antapoplecticum, II. 146.
Attrahens, II. 147.
de Baccis Lauri, II. 147.
Suecor. II. 151.
de Belladonna, II. 147.
de Betonica, II. 148.
ad Bubones vener. II. 148.
Camphoratum, II. 149.
Catagmaticum, II. 149.
Cephalicum, II. 149.
de Cicuta, II. 150.
Citrinum, II. 150.
ad Clavos Pedum, II. 151.
Commune, II. 151. 155.
de Cruſta Panis, II. 151.
de Cumino, II. 151.
Defenſivum, II. 151.
Diabotanum, II. 151.
Diachalcitis, II. 154. 155.
Diachylon c. Gum̃. II. 155.
Diapalmæ, II. 155.
Diaphœnicon, II. 155.
Diaphoreticum, II. 156.
Diapompholygos, II. 156.
Diaſulphuris, II. 157.
Divinum, II. 157.
ad Dolor. dentium, II. 150.
Domus Miſericordiæ, II. 149. 164.
Filii Zachariæ, II. 168.
ad Fonticulos, II. 76.
ad Fracturas, II. 149.
Frigidum, II. 158.
Emplaſtrum ad Fungos Articul. II. 159.
de Galbano, II. 160.
ad Ganglia, II. 159.
Gryſeum, II. 160.
Gummoſum, II. 155.
ad Hernias, II. 161.
de Hyoſcyamo, II. 161.
Incognitum, II. 162. 167.
Iſchiaticum, II. 162.
de Lap. Calamin. II. 155.
Weck. II. 160.
ad Lupiam, II. 162.
Magneticum, II. 162.
Mammillare, II. 163.
Malacticum, II. 163.
Manus Dei, II. 158.
de Meliloto, II. 163.
Mercuriale, II. 163.
de Minio, II. 163.
Miraculoſum, II. 164. 168.
de Nicotiana, II. 164.
Nigrum, II. 164.
Noricum, II. 164. 165.
Opodeldoch, II. 158. 165.
Polychr. II. 143. 166. 168.
de Ranis, II. 166.
c. Merc. II. 166.
Santalinum, II. 167.
Saponatum, II. 167.
Saturn. Barbett II. 167.
Goulard, II. 168.
Mynsicht. II. 168.
de Spermate Ceti, II. 168.
Ranarum II. 168.
Spleneticum, II 150. 169.
Stictic. Crollii, II. 169.
Plenck. II. 144. 170.
Stomachicum, II. 151.
de Tacamachuca, II. 170.
ad Tempora, II. 150. 170.

Emplaſtrum Tetrapharmacum, II. 150.
Triapharm. II. 164 170.
Veſicatorium, II. 170.
Viride, II. 151. 170.
Emulſio, II. 70.
Arabica, II. 171.
Balſamica, II. 171.
Camphorata, II. 171. 172.
Nitrata, II. 171. 172.
Simplex, II. 172.
Violata, II. 172.
Encens, I. 157.
Ende, I. 74.
Endivia, I. 101.
Endivien, I. 101.
Engelſüs, I. 172.
Engliſcher Taffet, II. 145.
Entalia, I. 101.
Ente, I. 29.
Ens Veneris, II. 172.
Enula, I. 101.
Epheu, I. 116.
Epine blanche, I. 160.
Vinette, I. 47.
Epithymum, I. 95. 102.
Eponge, I. 199.
Eppich, I. 33.
Epſonenſe Sal, I. 30.
Epurge, I. 70.
Equiſetum, I. 102.
Erable, I. 16.
Erdbeeren, I. 107.
Erica, I. 102.
Erinaceus, I. 102.
Erlen, I. 22.
Erndtroſe, I. 139.
Eruca, I. 102.
Ervum, I. 160.
Eryngium, I. 102.
Eryſimum, I. 103.
Eſchalodes, I. 22.
Eſchen, I. 108.
Eſprit de Savon, II. 43.
Eſſentia, II. 72.
Alexipharmaca, II. 173.
Temperata, II. 174.
Amara, II. 174.
Ambræ, I. 25. II. 74.
Sicca, II. 175.
Anodyna, II. 175.
Antimonii, II. 19. 175.
Balſamica, II. 175.
Bezoardica, II. 175.
Calami, II. 175.
Camphoræ, II. 175. 314.
Carminativa TRILLER. II. 175.
WEDEL. II. 177.
Caſtorei, II. 177.
Catholica, II. 129.
Purgans, II. 178.
Chinæ, II. 178.
Dulcis, II. 178.
Fuliginis, II. 178.
Hyſterica, II. 179.
Lignorum, II. 179.
Sicca Aurantiorum, II. 107.
Citri, II. 107.
Myrrhæ, II. 108.
Stomach. HOFFMANN. II. 180.
Polychreſta, II. 180.
Succini, II. 181.
Traumatica, II. 181.
Eſſig, I. 17.
Eſtragon, I. 108.
Eſula, I. 103.
Etain, I. 199.
Eufraiſe, I. 103.
Eupatoire, I. 103.
Eupatorium, I. 103.
Euphorbium, I. 103.

Euphraſia, I. 103.
Extractum, II. 182.
Aconiti, II. 182.
Aloës, II. 9.
Belladonnæ, II. 182.
Catholicum, II. 183.
Chelidonii Majoris, II. 182.
Cicutæ, II. 182.
Cochleariæ, II. 182.
Hellebori nigri, II. 183.
Hyoſcyami, II. 182.
Liquiritiæ gummoſ. II. 184.
Marocoſtinum, II. 184.
Nicotianæ, II. 182.
Opii, II. 185.
Cydoniatum, II. 185.
Panchymagogum, II. 185.
Rudi, II. 186.
Saturni, II. 186.
Strammonei, II. 182.
Taraxaci, II. 182.
Eydexe, I. 129.
Eyer, I. 111.

Faba, I. 104.
Ægyptia, I. 9.
Alexandrina, I. 9.
Craſſa, I. 104.
Græca, I. 9.
Sancti Ignatii, I. 104.
Marina, I. 215.
Syriaca, I. 9.
Færberrœthe, I. 182.
Fagopyrum, I. 104.
Fagus, I. 105,
Fangzahn, I. 33.
Faon, I. 74.
Farfara, I 105.
Farinæ Emollientes, II. 186.
Reſolventes, II. 186.
Farren, I. 106.
Faulbaum, I. 108.
Febrifugum Craanii, II. 187.
Fecula, II. 187.
Feigbohnen, I. 137.
Feigen, I. 64.
Feigwarzwurzel, I. 77.
Fel Vitri, I. 105.
Feldkreſſen, I. 154.
Fenchel, I. 106.
Fenouil, I. 106.
de Mer, I. 91.
Fer, I. 105.
Ferrum, I. 105.
Fette Henne, I. 91. 104.
Feve des Marais, I. 104.
Fiala, I. 10.
Fieberkraut, I. 206.
Fiel de Verre, I. 105.
Figues, I. 64.
Filipendula, I. 106.
Filix, I. 106.
Fingerhut, I. 99.
Fiſchbein, I. 194.
Flachs, I. 135.
Flagerina, I. 10.
Flambe batarde, I. 17.
Flammula Jovis, I. 84.
Fleurs de Muſcade, I. 138.
Fliegen Spaniſche, I. 60.
Flœhkraut, I. 165.
Floehſaamen, I. 173.
Flores Antimonii, II. 187.
Benzoës, II. 187.
Cordiales, I. 13.
Salis Ammoniac. Mart. II. 188.
Sulphuris, II. 188.
Viridis Æris, II. 188.
Zinci, II. 189.
Florum collectio, I. 10.

Fœniculum, I. 106.
Dulce, I. 107.
Italicum, 107.
Fœnugræcum, I. 107.
Foliorum collectio, I. 10.
Fomentatio frigida, II. 189.
Fomentum Anodynum, II. 189.
ad Eryſipelas, II. 189.
Formica, I. 107.
Formicæ Ova, I. 107.
Fotus ad Gangrænam, II. 190.
Fougere, I. 106.
Fourmis, I. 107.
Fragaria, I. 107.
Fraicaſſe, I. 71.
Frais de Grenouilles, I. 176.
Fraiſes, I. 107.
Fraiſier, I. 107.
Framboiſes, I. 182.
Frangula, I. 108.
Franchipane, I. 128.
Franzoſenholz, I. 115.
Faueneis, I. 113.
Frauenhaar, I. 61.
Frauenmantel, I. 20.
Frauenmünz, I. 44.
Fraxinus, I. 108.
Frene, I. 108.
Fromage, I. 66.
Froſch, I. 176.
Froſchlaich, I. 176.
Fructuum collectio, I. 10.
Fuchs, I. 216.
Fudenfaule, I. 88.
Fuligo, I. 108.
Fumaria, I. 109.
Fume terre, I. 109.
Fünf Finger Kraut, I. 164.
Furfures, I. 109.
Amygdalarum, I. 28.
Galanga, I. 109.
Galbanum, I. 110.
Galbuli, I. 94.
Galda, I. 110.
Galega, I. 110.
Galeopſis, I. 110.
Gallæ, I. 110.
Gallæpfel, I. 110.
Gallium, I. 111.
Gallitrichum, I. 121.
Gallon, I. 7.
Galmey, I. 56.
Gamænderlein, I. 76.
Ganchus, I. 9.
Gans, I. 31.
Gænsblume, I. 47.
Gænsdiſtel, I. 197.
Gænſerich, I. 31.
Garance, I. 182.
Garderobe, I. 14.
Gargariſma Acetoſum, II. 190.
Adſtringens, II. 190.
Antiſcorbuticum, II. 190.
Detergens, II. 191.
Emolliens, II. 191.
Mercuriale, II 192.
ad Pituitam, II. 192.
c. Spir. Sal. Ammon. II. 192.
Gartencypreſſen, I. 14.
Gauchheil, I. 28.
Geigenharz, I. 87.
Geisbart, I. 44.
Geisrauten, I. 110.
Gelatina, II. 193. 233.
Analeptica, II 193.
Cornu Cervi Amygd II. 194.
Citrata, II. 194.
Cydoniorum, II. 106.
Fructuum, II. 194.
Liquiritiæ, II. 184.

Gelatum, II. 195. 283.
Gemſenkugel, I. 18.
Gemſenwurzel, I. 99.
Genet, I. 112.
Genevre, I. 126.
Genippi, I. 14.
Geniſta, I. 112.
Gentiana, I. 112.
Gentianella, I. 113.
Gentienne, I. 112.
Geranium, I. 113.
Germandrée, I. 76.
Gerſte, I. 120.
Geweih, I. 74.
Gichtroſe, I. 161.
Giftheil, I. 32.
Gilla, II. 195.
Gingembre, I. 218.
Ginſeng, I. 113.
Giroﬄée, I. 77.
Glacies Mariæ, I. 113.
Glas, I. 215.
Glasgall, I. 105.
Glaskopf, I. 116.
Glaskraut, I. 162.
Gliedkraut, I. 195.
Globuli Carminativi, II. 195.
Martiales, II. 195.
Moſchati, II. 196.
Globus ad Eryſipelas, II. 195.
Glouteron, I. 45.
petit, I. 217.
Glu, I. 213.
Gluten Pectorale, II. 184. 196.
Glycyrrhiza, I. 113.
Gold, I. 43.
Goldwurzel, I. 40.
Golden Gunſel, I. 54.
Goldenwidderthon, I. 18.
Gormin, I. 9.
Goſſypium, I. 114.
Gottesgnadenkræutel, I. 115.
Goudron, I. 170.
Goutte de Lin, I. 95.
Grains de Muſc, I. 14.
Gramen, I. 114.
Gramma, I. 9.
Granatum, I. 114.
Granatus, I. 115.
Grasblume, I. 209.
Gratecul, I. 96.
Grateron, I. 32.
Gratiola, I. 115.
Gremil, I. 147.
Grenouille, I. 176.
Grieſkraut, I. 144.
Grindwurzel, I. 130.
Groſſeilles, I. 180.
Groſſularia, I. 180.
Grualtum, I. 42.
Grundheil, I. 159.
Grünſpan, I. 213.
Guajacum, I. 115.
Gui, I. 213.
Guimauve, I. 23.
Gundelreb, I. 116.
Guttæ Anglicæ, II. 196.
Generalis DE LA MOTTE, II. 196.
Albæ, II. 197.
Guttæ Gummi, I. 116.

Haarſtrang, I. 166.
Haas, I. 133.
Habern, I. 41.
Hæmatites, I. 116.
Hagenbutte, I. 96.
Hahnenfus, I. 177.
Hahnenfüslein, I 62.
Haffitius, I. 10.
Halicacabum, I. 21.

Hanf, I. 60.
Hanneton, I. 90.
Harmi, I. 9.
Harnkraut, I. 135.
Harnkrautel, I. 119.
Hartriegel, I. 134.
Harz, I. 178.
Haſelnus, I. 41.
Rœmiſche, I. 41.
Haſelwurzel, I. 39.
Hauhechel, I. 157.
Hauswurzel, I. 193.
Hecht, I. 136.
Hedera, I. 116.
Hederæ Gummi, I. 116.
Heide, I. 102.
Heidelbeeren, I. 152.
Heidenkorn, I. 104.
Helenæ S. Radix, I. 118.
Helenium, I. 101.
Helianthemum, I. 117.
Heliotropium, I. 117.
Hellebore batard, I. 117.
Helleborus, I. 117. 118.
Helminthochorton, I. 118.
Hemina, I. 9.
Hepar Antimonii, II. 197. 281.
Hepatica, I. 119.
Hepatique d'eau, I. 119.
Herbarum collectio, I. 113.
Herbe de S. Barbe, I. 44.
aux Chats, I. 154.
à Eternuer, I. 174.
de la Goutte, I. 180.
aux Perles, I. 147.
aux Puces, I 173.
Heriſſon, I. 102.
Hermodactyli, I. 119.
Herniaria, I. 119.
Herniole, I. 119.
Heron, I. 34.
Herzblümlein, I. 114.
Herzgeſpann, I. 63.
Hêtre, I. 105.
Himbeere, I. 182.
Himmelſchlüſſel, I. 173.
Himmelſtengel, I. 113.
Hinnulus, I. 74.
Hippocaſtanum, I. 119.
Hippopotami Dentes, I. 120.
Hircus, I. 120.
Hirondelle, I. 120.
Hirudo, I. 120.
Hirundinaria, I. 120.
Hirundo, I. 120.
Hirſchbrunſt, I. 50.
Hirſchkalb, I. 64.
Hirſchwurzel, I. 112.
Hiſpidula, I. 43.
Hohlwurzel, I. 35.
Holca, I. 8.
Holder, I. 186.
Holderſchwæmmchen, I. 43.
Honig, I. 143.
Hordeum, I. 120.
Horminum, I. 121.
Houblon, I. 137.
Houx petit, I 183.
Hopfen, I. 137.
Huile des Fleurs d'Oranges, II. 81.
d'Œillets, I. 162.
Hundskoth, I. 20.
Hundszung, I. 96.
Hünerdarm, I. 23.
Hyacynthus, I. 121.
Hydrargyrum, I. 146.
Hydromel, II. 197.
Hydropiper, I. 165.
Hyoſcyamus, I. 121.
Hypericum, I. 122.

Hypocyſtidis Succus, I. 122.
Hyſſopus, I. 122.
Hyſtricis lapis, I. 122.

Jacea, I. 123.
Jacinthe, I. 121.
Jacobæa, I. 123.
Jacobszwiebel, I. 72.
Jalappa, I. 123.
Japonica terra, I. 70.
Jaſminum, I. 123.
Ibiſch, I. 23.
Ichthyocolla, I. 124.
Je længer je lieber, I. 24.
Jeſuitarum Cortex, I. 78.
Igel, I. 102.
Imber, I. 218.
Imperatoria, I. 124.
Indi folia, I. 124.
Indigo, I. 124.
Infuſum amarum, II. 197.
Angelicum, II. 198.
Laxativum, II. 198.
Malti, II. 198.
Picis, II. 198.
Rhei Salinum, II. 338.
Saponaceum, II. 58.
Injectio auricularis, II. 198.
Balſamica, II. 199.
Detergens, II. 199.
Mercurialis, II. 199.
Ingber, I. 218.
Ingrün, I. 211.
Intybus, I. 101.
Johannisbeeren, I. 180.
Johannisbrod, I. 196.
Johanniskraut, I. 122.
Johannistrauben, I. 180.
Joubarbe, I. 193.
Ipecacuanha, I. 125.
Iris, I. 125.
Iſop, I. 122.
Jubabæ Cortex, I. 126.
Judaicus Lapis, I. 126.
Judenkirſchen, I. 21.
Juglans Nux, I. 126.
Jujubæ, I. 126.
Jujubes, I. 126.
Julapium Regium, II. 200.
Julepus acidulatus, II. 199.
Roſarum, II. 200.
Juniperus, I. 126.
Ivette, I. 76.
Juſquiame, I. 121.

Kæs, I. 66.
Kaffitium, I. 10.
Kalkſtein, I. 57.
Kameelheu, I. 190.
Kararit, I. 9.
Kartendiſtel, I. 99.
Katze, I. 70.
Katzendæpplein, I. 43.
Katzenkraut, I. 154.
Katzentraube, I. 192.
Katzenwadel, I. 102.
Katzenwurzel, I. 167.
Kaulparsſtein, I. 164.
Kellereſel, I. 148.
Kemeraja, I. 9.
Κεράτιον, I. 8.
Kermes mineralis, II. 200.
Kermet, I. 9.
Keſſelbeeren, I. 160.
Keſte, I. 68.
Kichererbſen, I. 79.
Kieſelſtein, I. 195.
Kikenumalo, I. 127.
Kiriat, I. 9.
Kiſt, I. 10.

Kirſchen, I. 63.
Cornel, I. 90.
Herz, I. 73.
wald, I. 73.
Waſſer, I. 73.
welſche, I. 90.
Klapproſen, I. 162.
Klebkraut, I. 32.
Klee, I. 209.
Kletten, I. 45.
Kleyen, I. 109.
Knoblauch, I. 2.
Κοχλιάριον, I. 90.
Kœnigsgelb, I 37.
Kœrbelkraut, I. 74.
Kohl, I. 52.
Kolben, I. 75.
Κόγχη, I. 9.
Korck, I. 201.
Κοτύλη, I. 9.
Krœhenaugen, I. 216.
Krœhenfus, I. 90.
Kraut, I. 52.
weis, I. 195.
Kreide, I. 91.
Kreſſen, I. 153.
wilder, I. 44.
Kreutzbeerlein, I. 198.
Kreutzblume, I. 171.
Krœte, I. 54.
Stein, I. 54.
Kuchenſalz, I. 185.
Kuchenſchell, I. 174.
Kümmel Berg, I. 195.
Matten, I. 65.
Schwarzer, I 155.
Kunigundenkraut, I. 103.
Kupfer, I. 94.
Kürbis, I. 93.
Eſels, I. 93.
Kuſſuf, I. 10.
Κύαθος, I. 9.

Lablab, I. 128.
Lac, I. 128.
Lunæ, I. 128.
Virginum, I. 47. II. 201.
Lacca, I. 128.
Lachenknoblauch, I. 191.
Lacerta, I. 129.
Lacmus, I. 117.
Lacryma Job, I. 39.
Lactuca, I. 129.
Viroſa, I. 130.
Ladanum Gummi, I. 130.
Ladys black ſticking plaiſter, II. 145.
Laitron, I. 197.
Laitue, I. 129.
Lamium, I. 130.
Plinii, I. 144.
Langue de Chien, I. 96.
Serpent, I. 158.
Lapathum, I. 130.
Lapis cauſticus, II. 73. 201.
Divinus, II. 201.
Infernalis, II. 202.
Lyncis, I. 96.
Martialis, II. 202.
Medicamentoſ. Crollii, II. 202.
Geoffr. II. 203.
Ophthalmicus, II. 201.
Prunellæ, II. 203.
Lapidum præparatio, II. 203.
Pretioſiorum fragment. I. 113.
Lauch, I. 173.
Laudanum liquidum, II. 204.
Opiatum, II. 204.
Lavendula, I. 131.
Laureola, I. 147.
Laureole Semence de, I. 85.

Lauroceraſus, I. 131.
Laurus, I. 131.
Alexandrina, I. 217.
Laurier, I. 131.
Lauskraut, I. 117.
Lazulus Lapis, I. 132.
Leberkraut, I. 119.
Lemitochorton, I. 118.
Lemnia terra, I. 132.
Lens, I. 132.
Paluſtris, I. 133.
Lentille, I. 132.
Lentiſcus, I. 133.
Lepidium, I. 133.
Λέπτος, I. 8.
Lepus, I. 133.
Lerchenſchwammi, I. 19.
Leviſticum, I. 133.
Leveche, I. 133.
Lewat, I. 153.
Lezard, I. 129.
Lianne à Serpent, I. 55.
Libra, I 6. 8.
Licorne, I. 215.
Liebſtæckel, I. 133.
Liege, I. 201.
Liene, I. 84.
Lienen, I. 84.
Lierre, I. 116.
Lievre, I. 133.
Ligula, I. 9.
Liguſtrum, I. 134.
Lilium album, I. 134.
Convallium, I. 134.
PARACELSI, II. 204.
Limaçon, I. 135.
Rouge, I. 86.
Limatura Martis, I. 106.
Limax, I. 135.
Limon, I. 83. 135.
Limonada, II. 278.
Mineralis, II. 205. 253.
Sicca, II. 205.
Linaria, I. 135.
Linaire, I. 135.
des Montagnes, I. 96.
Linden, I. 208.
Lingua Avis, I. 108.
Cervina, I. 191.
Linimentum album, II. 205.
Alcalinum, II. 205.
Antipleuriticum, II. 205.
Cereum, II. 206.
Volatile, II. 206.
Linſe, I. 132.
Lin, I. 138.
Linum, I. 135.
Catharticum, I. 135.
Liquor Anodynus mineralis, II. 206.
Topicus, II. 207.
Alter, II. 207.
Antipodagricus, II. 208.
Aperitivus *Argentorat.* II. 208.
HOFFMANNI, II. 208.
Liqueurs, II. 79.
Liquiritia, I. 113.
Cocta alba, II. 204.
Citrina, II. 205.
Lucida, II. 184.
Tornata, II. 205.
Liquor Cornu Cervi Succinat. II. 208.
Digeſtivus, II. 208.
Lithontripticus, II. 209. 211.
contra Luem veneream, II. 210.
Meningum, II. 209.
Mercurialis, II. 37.
Nitri fixi, II. 209. 227.
Probatorius, II. 209.
Siphiliticus, II. 209.
Spleneticus, II. 210.

Liquor

Liquor ſtypticus, II. 39. 210.
Terræ foliatæ Tartari, II. 210.
Vegeto-mineralis, II. 210.
Lis, I. 134.
Litharge, I. 135.
Lithargyrium, I. 135.
Lithontripticum, II. 211.
Lithoſpermum, I. 147.
Lixivia Alcalina, II. 312.
Lixivium cauſticum, II. 211.
Saponarium, II. 211.
Tartari, II. 235.
Loch album, II. 211.
ad Aſthma, II. 215.
Balſamicum, II. 213.
de Farfara, II. 212.
Japonicum, II. 212.
Leniens, II. 212.
de Pulmone Vulpis, II. 213.
Sanum & expertum, II. 213.
Saponatum, II. 214.
Læffelkraut, I. 85.
Look Gummi, I. 135.
Lotus ad Hæmorrhoides, II. 214.
Rheumatiſmos, II. 214.
Saponaceus, II. 214.
ad Tineam, II. 215.
Lopezia, I. 136.
Lorbeer, I. 131.
Loup, I. 137.
Lucius, I. 136.
de Lugos Cortex, I. 78.
Lumbricus terreſtris, I. 136.
Luminaria, I. 2.
Lunaire, I. 136.
Lunaria, I. 136.
Lungenkraut, I. 174.
Lungenmoos, I. 174.
Lupin, I. 137.
Lupinus, I. 9. 137.
Lupulus, I. 137.
Lupus, I. 137.
Lurchel, I. 21.
Lycopodium, I. 137.
Lyſimachia, I. 138.

Maaslieben, I. 47.
Macis, I. 138.
Magdaleo, II. 143.
Magiſterium Marcaſitæ, II. 215.
Saturni, II. 215.
Sulphuris, II. 215.
Magnes, I. 138.
Arſenicalis, II. 215.
Magneſia alba, II. 216.
Magſaamen, I. 163.
Majorana, I. 138.
Malabatri folia, I. 124.
Malacenſis Lapis, I. 122.
Magnet, I. 138.
Malaguette, I. 162.
Malaxare, II. 140.
Malicorium, I. 114.
Malta, I. 74. 138.
Malva, I. 139.
Arborea, I. 139.
Malvaticum Juniperinum, II. 134.
Malum Punicum, II. 119.
Malz, I. 138.
Mandragora, I. 139.
Manes, I. 8.
Mangold, I. 48.
Maniguette, I. 162.
Manna, I. 139.
Liquida, II. 216.
Tabulata, II. 217.
Tartariſata, II. 217.
Mannstreu, I. 102.
Marcaſita, I. 49.
Mare, I. 214.
Margaritæ, I. 140.
Marguerite, I. 47.

Mariendiſtel, I. 64.
Magdalenen Blumen, I. 198.
Marjolaine, I. 138.
Marmelade, I. 36.
Marmotte, I. 150.
Marrons, I. 68.
Marronnier, I. 119.
Marrubium, I. 140.
Nigrum, I. 41.
Marum, I. 41.
Maſſa ad Fornacem, II. 217.
Maſſoy, I. 141.
Maſtyx, I. 141.
Mater Perlarum, I. 142.
Materia Perlata, II. 12.
Matricaire, I. 142.
Matricaria, I. 142.
Matriſylva, I. 119.
Maueresel, I. 148.
Mauerrauten, I. 183.
Maulbeere, I. 148.
Maulwurf, I. 203.
Mausdorn, I. 183.
Mauve, I. 139.
Maykæfer, I. 190.
Meccæ Balſamum, I. 142.
Mechoacanna, I. 142.
Medicamentorum aſſervatio, I. 11.
Compilationes veteres, I. 2.
Medicamentum, I. 83.
Medulla Saxorum, I. 143.
Meerballen, I. 167.
Meerbohnen, I. 215.
Meerfenchel, I. 91.
Meerkohl, I. 197.
Meermoos, I. 90.
Meerrettich, I. 36.
Meerzwiebel, I. 90.
Meiſterwurzel, I. 124.
ſchwarze, I. 40.
Mel, I. 143.
Ægyptiacum, II. 351.
Anthoſatum, II. 217.
Deſpumatum, II. 217.
Mercuriale, II. 218.
Roſarum, II. 218.
Melanteria, I. 215.
Melilotus, I. 143.
Cærulea, I. 143.
Meliſſa, I. 144.
Canarienſis, I. 144.
Turcica, I. 144.
Meliſſe des Montagnes, I. 144.
Meliſſophyllum, I. 144.
Melitenſis Fungus, I. 144.
Melitochorton, I. 118.
Melo, I. 144.
Melon d'eau, I. 84.
Waſſer, I. 84.
Melten, I. 140.
Hunds, I. 41.
Miſt, I. 216.
wilde, I. 41.
Menning, I. 148.
Menſuræ, I. 7.
Mentha aquatica, I. 146.
Balſamina, I. 145.
Criſpa, I. 145.
Longifolia, I. 145.
Piperitis, I. 145.
Rubra, I. 146.
Menthaſtrum, I. 146.
Menyanthes, I. 209.
Mercurialis, I. 146.
Mercurius, I. 146.
Corallinus, II. 220.
Corroſivus, II. 220.
Coſmeticus, II. 217.
Diaphoreticus, II. 218.
Dulcis, II. 218.

Mercurius Emeticus flavus, II. 347.
Gummoſus, II. 219.
Liquidus, II. 219.
Præcipitatus albus, II. 219.
flavus, II. 220.
ruber, II. 220.
Saccharatus, II. 220.
Sublimatus, II. 220.
Vitæ, II. 221.
Merde des Chiens, I. 20.
Meres de Giroffles, I. 31.
Merein, I. 74.
Meriſes, I. 70.
Meſpeln, I. 146.
Meſpili, I. 146.
Metaliſta, I. 147.
Μητρητὴς, I. 9.
Meule, I. 74.
Meum, I. 147.
Meures de Renard, I. 182.
Meurier, I. 148.
Meyenblümlein, I. 134.
Mezeræum, I. 147.
Miel, I. 143.
Milium Solis, I. 147.
Millefolium, I. 147.
Millepedes, I. 148.
Millepertuis, I. 122.
Milten, I. 40.
Milzkraut, I. 75.
Mina, I. 8.
Romana, I. 10.
Minium, I. 82. 148.
Miſpel, I. 213.
Miſy, I. 215.
Miſſohars, I. 10.
Miva Cydoniorum, II. 221.
Aromatica, II. 221.
Mixtura Aſthmatica, II. 222.
Diatrion, II. 222.
Mixtura Mineralis, II. 209.
Salina volatilis, II. 209.
Simplex, II. 222.
Tonico-nervina, II. 222.
Μνᾶ, I. 8.
Mæhren, I. 97.
Mœlielein, I. 35.
Moldavica, I. 144.
Momordica, I. 148.
Mondbeeren, I. 160.
Mondraute, I. 136.
Moosbeeren, I. 160.
Morelle, I. 197.
Morgeline, I. 23.
Morilli, I. 35.
Moringa, I. 148.
Morſuli, II. 223.
Antimoniales, II. 223.
Aromatici, II. 224.
Citri, II. 224.
Imperatoris, II. 224.
Purgantes, II. 224.
ad Scabiem, II. 225.
contra Vermes, II. 225.
Morſus diaboli, I. 201.
Morus, I. 148.
Moſchus, I. 149.
Moſt, I. 214.
Mottenkraut, I. 182.
Mouron, I. 28.
Mouſſe marine, I. 90.
Mout, I. 214.
Moutarde, I. 196.
Moxa, I. 38.
Mucilagines, II. 225.
Muckenkraut, I. 165.
Muguet, I. 134.
des bois, I. 119.
Muit, I. 7.
Mumia, I. 149.

Mungos, I. 150.
Münzbalſam, I. 145.
Murmelthier, I. 150.
Mus marinus, I. 150.
  Montanus, I. 150.
Muſc, I. 149.
Muſcatenblüthe, I. 138.
Muſcatnuſſe, I. 149.
Muſcerda Catechu, II. 346.
Muſcheln, I. 88.
Muſcus Acaciæ, I. 150.
  Albus Quernus, I. 150.
  Arboreus, I. 150.
  Cumatilis, I. 150.
  Erectus, I. 151.
  Pyxidatus, I. 151.
  Terreſtris, I. 151.
Muſtela, I. 151.
Muſtum, I. 214.
Myrobalani, I. 151.
Myrrha, I. 152.
Myrtilli, I. 152.
Myrtus, I. 152.
  Brabantica, I. 152.
Μύςρον, I. 9.

Nabach, I. 9.
Nachtſchatten, I. 197.
Nacre des Perles, I. 142.
Nægelein, I. 66.
  gelbe, I. 77.
  Koepfe, I. 26.
  Rinde, I. 67.
Napel, I. 17.
Naphæ Flores, I. 42.
Naphta Nitri, II. 309.
  Salis communis, II. 312.
  Vitrioli, II. 206.
Napus, I. 135.
Nashorn, I. 179.
Naſturtium aquaticum, I. 159.
  hortenſe, I. 153.
  Indicum, I. 153.
  Petræum, I. 154.
  Sylveſtre, I. 154.
Natterwurzel, I. 50.
  zünglein, I. 158.
Navau, I. 177.
Navet, I. 153. 177.
Neſles, I. 146.
Nelke, I. 209.
Nenufar, I. 156.
Nepeta, I. 154.
Nephriticum Lignum, I. 155.
Nephriticus Lapis, I. 154.
Nerprun, I. 198.
Neſſel, I. 216.
  taube, I. 110.
Nicotiana, I. 155.
Nielle, I 155.
Nieswurzel ſchwarze, I. 118.
  weiſſe, I. 117.
Nigella, I. 155.
Nihilum, I. 155.
Nil, I. 155.
Ninzin, I. 155.
Nitrum, I. 156.
  Anodynum, II. 12.
  Antimoniatum, II. 12.
  Depuratum, II. 226.
  Fixum, II. 226.
  Tabulatum, II. 226.
  Vitriolatum, II. 310.
Noir d'Eſpagne, I. 201.
Noiſette, I. 41.
Noix de Galle, I. 110.
  Muſcat, I. 149.
Nummularia, I. 156.
Nuſſe, I. 126.
Nux magna, I. 8.

Nux Moſchata, I. 149.
Indica condita, I. 149.
Parva, I. 8.
Regalis, I. 8.
Nymphæa, I. 156.

Ὀβολός, I. 8.
Obolus, I. 8.
Ochra, I. 156.
Ochs, I. 51.
Ochſenzunge, I. 54.
rothe, I. 20.
Oculi Cancrorum citrati, II. 227.
præparati, II. 227.
Odermenning, I. 20.
Œillet, I. 209.
Œuf, I. 111.
Offa alba, II. 227.
Ohma, I. 7.
Oie, I. 31.
Oignon, I. 72.
Olampi Gummi, I. 156.
Olea cocta, II. 228.
Deſtillata, II. 228.
Expreſſa, II. 228.
Infuſa, II. 229.
Oleum Acuſticum, II. 229.
Animale, II. 229.
Avellanorum, I. 41.
Aurantiorum corticum, II. 228.
Florum, II. 228.
Behen, I. 46.
Bergamottæ, I. 42.
Bezoardicum, II. 230.
Camphoræ, II. 230.
Camphoratum, II. 230.
Capparum, II. 230.
Carminativ. *Danorum*, II. 231.
Wurtemberg. II. 231.
Catellorum, II. 231.
Citri, II. 228.
Oleum Colocynthidis, II. 232.
Heraclinum, I. 41.
Hyperici, II. 232.
Jaſminum, II. 228.
Lavendulæ, II. 228.
Laurinum, I. 132.
Lithuanicum, I. 49.
Mucaginum, II. 232.
Myrrhæ, II. 233.
Neroli, I. 42. 228.
Palmæ, I. 161.
Philoſophorum, II. 233.
Ruſſicum, I. 49.
Scarabæorum, II. 233.
Slotani. II. 233.
Stomachicum, II. 235.
Tartari per deliquium, II. 235.
Templinum, I. 178.
Vitrioli, II. 235.
Olibanum, I. 159.
Sylveſtre, I. 159. 169.
Oliva, I. 157.
Ologinat, I. 9.
Olſnitium, I. 157.
Ombre, I. 39.
Ominos, I. 8.
Omphacium, I. 214.
Onolaſſent, I. 9.
Onoloſſich, I. 9.
Ononis, I. 157.
Operment, I. 32.
Ophiogloſſum, I. 158.
Opiata adſtringens, II. 236.
Deterſiva, II. 236.
Dyſenterica, II. 236.
Balſamica, II. 237.
Febrifuga purgans, II. 237.
ſimplex, II. 237.
Opium, I. 158.
Opobalſamum, I. 142.
ſiccum, I. 165.

Opoponax, I. 158.
Or, I. 43.
Oranges, I. 42.
Orcanette, I. 20.
Oreilles de Judas, I. 43.
Oreoſelinum, I. 159.
Orge, I. 120.
Origanum Creticum, I. 159.
Hiſpanicum, I. 159.
Vulgare, I. 159.
Orleana, I. 159.
Orme, I. 276.
Orobus, I. 160.
Orpiment, I. 37.
Orpin, I. 91. 104.
Ortie, I. 216.
blanche, I. 110.
Orvale, I. 121.
Oryza, I. 160.
Os de Sêche, I. 194.
Oſeille, I. 16.
Oſmunda, I. 160.
Oſtecolla, I. 160.
Oſterlucey, I. 35.
Oſtrutium, I. 124. 160.
Ours, I. 216.
Ova, I. 111.
Ovum, I. 160.
Oxyacantha, I. 160.
οξυβάφαρον, I. 9.
Oxycoccus, I. 160.
Oxycratum, II. 237.
Oxymel Æruginis, II. 351.
Chalybeatum, II. 237.
Colchicum, II. 237.
Pectorale, II. 238.
Scilliticum, II. 238.
Simplex, II. 238.
Oxyſaccharum Emeticum, II. 238.
Oxytartarus, II. 330.
Pain, I. 161.
de pourceaux, I. 95.
Palmæ Chriſti Semen, I. 69.
Oleum, I. 69.
Panacea Holſatica, II. 239.
Mercurialis, II. 239.
Panais, I. 163.
Panes ſaccharati purgantes, II. 239.
Panis, I. 161.
Pantoffelholz, I. 201.
Papaver album, I. 161.
Erraticum, I. 162.
Nigrum, I. 161.
Pappel, I. 139. 172.
Paradieskörner, I. 162.
Paradiſi grana, I. 162.
Paralyſis, I. 174.
Pareira brava, I. 162.
Parietaria, I. 162.
Paris, I. 163.
Pas d'ane, I. 105.
Paſſerage, I. 133.
Paſſulæ, I. 163.
Laxativæ, II. 239.
Paſta Althæa, II. 240.
Amygdalata Coſmetica, II. 240.
Depilatoria, II. 240.
Liquiritiæ, II. 241.
ad Nævos, II. 241.
Paſtilli Mercuriales, II. 241.
Siphylitici KEYSER, II. 289.
Paſtinaca, I. 163.
Patience, I. 130.
d'eau, I. 53.
Patientia, I. 164.
Pavot, I. 162.
Peau divine, II. 142.
Pech, I. 170.
Pêche, I. 164.
Pedro del Porco, I. 122.

Penſée, I. 123.
Pentaphyllum, I. 163.
Percarum lapides, I. 164.
Perceboſſe, I. 138.
Percefeuille, I. 164.
Percemouſſe, I. 18.
Perche, I. 74.
Perfoliata, I. 164.
Perlen, I. 74. 140.
Perlenmutter, I. 142.
Perles, I. 140.
Perlures, I. 74.
Perſica, I. 164.
Nux, I. 126.
Perſicaria, I. 165.
Perſil, I. 166.
des Montagnes, I. 112. 159.
Pervenche, I. 212.
Peruvianum Balſamum, I. 165.
ſiccum, I. 165.
Peruvianus Cortex, I. 78.
Pes Cati, I. 43
Peſtilenzwurzel, I. 166.
Peſtnagel, I. 163.
Petaſites, I. 166.
Peterlein, I. 166.
Peterſilien, I. 166.
Petroſelinum, I. 166.
Macedonicum, I. 166.
Peucedanum, I. 166.
Peuplier, I. 172.
Pfaffenhütlein, I. 93.
Pfaffenröhrlein, I. 204.
Pfeffer, I. 170.
kraut, I. 133.
Pfirſing, I. 164.
Pfrimmen, I. 112.
Pharmaceutarum origo, I. 2.
Pharmacia quid, I. 1.
Chemica, I. 3.
Pharmacia Galenica, I. 3.
Pharmacopœa, I. 1. 2.
Pharmacopœæ inſtructio, I. 4.
Pharmacopœi requiſita, I. 3.
Pharmacopola, I. 2.
Phellandrium, I. 167.
Phu, I. 167.
Phytolacea, I. 167.
Pichurim, I. 167.
Pied d'Alouette, I. 88.
de Chat, I. 43.
d'Elan, I. 20.
de Lion, I. 20.
de Loup, I 134.
Pierre d'Aigle, I. 19.
de Perche, I. 164.
de Ponce, I. 175.
Pierrures, I. 74.
Pignons, I. 168.
d'Inde, I. 207.
Pilæ marinæ, I. 167.
Pillulæ Æthiopicæ, II. 242.
Aluminoſæ, II. 242.
de Ammoniaco, II. 242.
Angelicæ, II. 242.
Anthelminticæ, II. 243.
Antimoniales, II. 243.
Aperientes, II. 243.
Balſamicæ, II. 244.
Cæruleæ, II. 306.
Catarrhales, II. 244.
Cephalicæ, II. 244.
Cochiæ, II. 245.
Depurantes, II. 246.
Fœtidæ, II. 246.
Hydragogæ, II. 246.
Hydropicæ Bontii, II. 246.
Richard, II. 247.
Hyſtericæ, II. 247.

Pillulæ Majores, II. 247.
Martiales, II. 248.
Maſtichinæ, II. 248.
Mercurial. BARBAROSSÆ, II. 248.
BELLOST. II. 249.
contra Obſtructiones, II. 249.
Ophthalmicæ, II. 249.
PLUMERI, II. 249.
Polychreſtæ balſamicæ, II. 251.
STARCKEY, II. 250.
Reſolventes, II. 250.
RUFI, II. 251.
Saponatæ, II. 251.
Scilliticæ, II. 251.
de Styrace, II. 252.
de Succino, II. 252.
Tartareæ, II. 252.
de Terebinthina, II. 253.
Tonicæ, II. 253.
contra Variolas, II. 253.
Piloſella, I. 43.
Piment Royal, I. 152.
Pimenta, I. 26.
Pimpinella, I. 168.
Pinien, I. 168.
Pinæ, I. 168.
Purgantes, I. 207.
Pini ſtrobili, I. 169.
Reſina, I. 168.
Pint, I. 7.
Pinta, I. 7.
Piper, I. 169. 170.
Piſſe-en-lit, I. 204.
Piſtaches, I. 170.
Piſtaciæ, I. 170.
Pix, I. 170.
Plantago, I. 170.
Plantain, I. 170.
Plomb, I. 171.
Plumbum, I. 171.
Uſtum, II. 258.
Pœonia, I. 161.
Poire, I. 175.
Poirée, I. 48.
Poivre, I. 169. 170.
Aquatique, I. 165.
Poix, I. 170.
de Bourgogne, I. 178.
Reſine, I. 168.
Poix chiches, I. 79.
Poley, I. 171. 174.
Polium, I. 171.
Polygala, I. 171.
Polypodium, I. 172.
Pomade en Creme, II. 75.
Pomeranzen, I. 42.
Pomme, I. 172.
Epineuſe, I. 201.
de Merveilles, I. 148.
Pompholyx, I. 155. 172.
Pomum, I. 172.
Hieroſolymitanum, I. 148.
Pondera, I. 6.
Pondo, I. 7.
Populus, I. 172.
Porc, I. 172.
Porcinus lapis, I. 122.
Porcus, I. 172.
Porreau, I. 173.
Porrum, I. 123.
Porſt, I. 152.
Portulaca, I. 173.
Poſca, II. 254.
Poſt, I. 152.
Poſtkraut, I. 182.
Potaſche, I. 81.
Potaſſe, I. 81.
Potio adſtringens, II. 254.
Ammoniaca, II. 254.
Antiſeptica, II. 254.
ad Aſthma, II. 255.

Potio confortans, II. 255.
Cretacea, II. 255.
Oleoſa, II. 256.
Siſtens, II. 256.
Poule, I. 111.
Pourpier, I. 173.
Præparata, II. 256.
Πράσιον, I. 140.
Prêle, I. 102.
Prime vere, I. 173.
Primula Veris, I. 173.
Profluvii Cortex, I. 186.
Propolis, I. 73.
Pruna, I. 173.
Laxativa, II. 259.
Prunes, I. 173.
Prunier ſauvage, I. 15.
Pſeudacorus, I. 17.
Pſydium, I. 114.
Pſyllium, I. 173.
Ptarmica, I. 174.
Ptiſana, I. 121. II. 256.
Acidulata, II. 257.
Adſtringens, II. 257.
Communis, II. 100. 257.
Nitrata, II. 257.
Pectoralis, II. 257.
Pugillum, I. 10.
Pulegium, I. 174.
Puliot, I. 174.
Pulmonaire, I. 174.
Pulmonaria, I. 174.
Pulpa Caſſiæ, II. 258.
pro Clyſteribus, II. 258.
Tamarindorum, II. 259.
Pulpæ, II. 258.
Pulſatilla, I. 174.
Pulticula de Manna, II. 119. 259.
Saponacea, II. 259.
Pulveres, II. 259.
Pulvis abſorbens, II. 260.
ALGEKOTTI, II. 221.
Alterans, II. 261.
Anodynus, II. 261.
Antarthrit. MIRANDOLÆ, II. 262.
PERARD, II. 261.
DUCIS PORTLANDIÆ, II. 262.
Anthelminticus, II. 262.
Antifebrilis, II. 262.
Antihecticus, II. 263.
Antilyſſus COMITIS ISENBURG, II. 263.
MEAD, II. 263.
PALMARII, II. 263.
SYLVANI, II. 263.
Tunquinenſium, II. 264.
Antimonii albus, II. 11.
Antiſepticus, II. 264.
Antiſpaſmod. ROSENST. II. 265.
STAHLII, II. 265.
Ari compoſitus, II. 265.
Arthriticus amarus, II. 62.
Auratus, II. 265.
Bezoardicus *Anglicus*, II. 265.
LUDOVICI, II. 266.
Cachecticus LUDOVICI, II. 266.
QUERCET. II. 266.
Carminativus, II. 266.
Carthuſianorum, II. 200.
contra Caſum, II. 267.
e Ceruſſa, II. 267.
COMITIS DE WARWICH, II. 170.
COMITISSÆ DE KENT, II. 265.
ad Condienda intranea, II. 268.
ad Condiendas Carnes, II. 268.
ad Condiendum Cor, II. 267.
Content, II. 269.
Cordialis, II. 269.
CORNACHINI, II. 270.
Coſmeticus, II. 270.

Pulvis Dentifricius, II. 270.
Epilepticus Marchionis, II. 271.
Eryſipelatodes, II. 271.
Fumalis, II. 271.
Gasconii, II. 265.
Haly contra Phtiſin, II. 272.
Hepaticus, II. 270.
Incraſſans, II. 273.
pro Infantibus Roseen, II. 274.
Infantum *Danorum*, II. 276.
Maſticatorius, II. 274.
ad Palpitationes Cordis, II. 275.
Pannonicus ruber, II. 275.
Pectoralis, II. 275.
Puerorum citrinus, II. 276.
Evacuans, II. 276.
contra Quartanam, II. 276.
Refrigerans, II. 277.
Reſolvens, II. 277.
Scillæ compoſitus, II. 277.
Sedativus, II. 277.
Sternutatorius *Noricor.* II. 277.
Pariſienſ. II. 278.
Trilleri, II. 278.
Stomachicus, II. 279.
ad Strumas, II. 289.
Sympatheticus, I. 214.
Temperans Richardi, II. 279.
Unzeri, II. 280.
ad Tormina Infantum, II. 280.
contra Vermes, II. 280.
Purgans, II. 280.
Pumex, I 175.
Purgiermoos, I. 134.
Purgierkœrner, I. 69.
Pyrethrum, I. 175.
Pyrola, I. 175.
Pyrus, I. 174.

Quadrans, I. 7.
Quart, I. 7.
Quartarius, I. 7.
Quaſſia, I. 175.
Queckſilber, I. 146.
Quendel, I. 195.
Quercus, I. 176.
Marina, I. 176.
Queue de Cheval, I. 102.
Pourceau, I. 166.
Quincunx, I. 7.
Quinquina, I. 78.
Quitten, I. 95.

Rackaſira balſamum, I. 176.
Raclanarium, I. 10.
Radices aperientes, I. 13.
Radicum collectio, I. 10.
Radis, I. 177.
Raifort, I. 36.
Raiponſe, I. 177.
Raiſine, I. 214.
Raiſins, I. 163.
Raiſins de Corinthe, I. 163.
Raiſins de Renard, I. 163.
Ranæ, I. 176.
Ranarum ſperma, I. 176.
Ranunculus, I. 177.
Rapa, I. 177.
Raphanus, I. 177.
Rapunculus, I. 177.
Rapunzel, I. 177.
Raute, I. 183.
Rave, I. 177.
Realgar, I. 37.
Rebs, I. 153.
Rebſtock, I. 214.
Regenwurm, I. 136.
Regia Nux, I. 126.
Regliſe Royale, II. 184.
Regulus, I. 178.

Regulus Antimonii Martialis, II. 280.
Medicinal. II. 280.
Simplex, II. 280.
Rejelati, I. 10.
Reiger, I. 34.
Reine des Prés, I. 44.
Reis, I. 160.
Renard, I. 2 6.
Renouée, I. 71.
Repriſe, I. 91.
Reſina, I. 178.
Elaſtica, I. 71.
Jalappæ, II. 282.
præparata, II. 282.
Ligni Guajaci, II. 288.
Nigra, I. 87.
Scammonei, II. 288.
Rettich, I. 177.
Rhabarbarum, I. 178. 179.
Rhabarbar wilde, I. 53.
Rheum, I. 178.
Rhinoceros, I. 179.
Rhodia Radix, I. 180.
Rhodium Lignum, I. 180.
Rhubarbe, I. 178.
Ribes, I. 180.
Ricini Semina, I. 69.
Ringelblumen, I. 58.
Ris, I. 160.
Ritterſpœrlein, I. 88.
Rocambole, I. 22.
Rochetta Alexandr. I. 197.
Rocou, I. 159.
Rœthel, I. 182.
Roggen, I. 192.
Rohr, I. 38.
Roitelet, I. 178.
Romarin, I. 181.
de Boheme, I. 182.
Roob, II. 283.
Roob Morillorum, I. 36.
Mororum, I. 149.
Nucum, II. 283.
Roquette, I 102.
Rorella, I. 180.
Roſa, I. 181.
Roſe, I. 74.
Tremiere, I. 139.
Roſeau, I. 38.
Roshub, I. 105.
Roſinlein, I. 163.
Roſmarinum ſylveſtre, I. 182.
Roſmarinus, I. 181.
Ros Solis, I. 180.
Roſſolis ex Seminibus Carmin. II. 82.
de ſix grains, II. 82.
Rotulæ, II. 283.
Becchicæ, II. 346.
e Succo & Elæoſacch. Citri, II. 284.
Manus Chriſti, II. 284.
Menthæ, I. 146.
contra Vermes, II. 284.
Rube, I. 77.
Gelbe, I. 97.
Saamen, I. 153.
Rubia Tinctorum, I. 182.
Rubimora, I. 182.
Rubinus, I. 182.
Rubis, I. 182.
Arſenical, I. 38.
Rubrica fabrilis, I. 182.
Rubus Idæus, I. 182.
Ruë, I. 183.
Ruſcus, I. 183.
Ruſten, I. 216.
Ruta, I. 183.
Muraria, I. 183.

Saamkraut, I. 165.
Sabadilli Semen, I. 183.

Sabina, I. 183.
Saccharum, I. 184.
Aceris, I. 16.
Candum, II. 284.
Glycyrrhizæ, II. 184.
Hordeatum, II. 285.
Lactis, II. 285.
Penidium, II. 285.
Roſatum, II. 285.
Saturni, II. 286.
Sacrajati, I. 8.
Sacros, I. 8.
Safflor, I. 65. 199.
Safran batard, I. 65.
Saftgrün, I. 199.
Sagapenum, I. 105.
Sago, I. 185.
Sagu, I. 185.
Sain doux, I. 173.
Sal Aceti eſſentiale, II. 286.
Fixum. II. 286.
Volatile, II. 286.
Acetoſellæ, II. 286.
Acidum Boracis, II. 290.
Alcali minerale, II. 287.
Seignette, II. 287.
Ammoniacum Martiale, II. 188.
Cauſticum, II. 287.
Commune, I. 185.
Cornu Cervi, II. 287.
Digeſtivum, II. 287.
de Duobus, II. 288.
Febrifugum, II. 287.
Fontanum, I. 185.
Foſſile, I. 185.
Gemmæ, I. 185.
per Incinerationem, II. 288.
Marinum, I. 185.
coagulatum, II. 287.
Martis, II. 350.
Mirabile Glauberi, II. 289.
Sal Polychreſtum Glaseri, II. 290.
Lemery, II. 290.
Seignette, II. 290.
Panis, I. 185.
Prunellæ, II. 203.
Saturni, II. 286.
Sedativum Homberg, II. 290.
Mercuriale, II. 291.
Sedlizenſis, I. 192.
Seidſchüzenſis, I. 193.
Succini, II. 291.
Tartari, II. 291.
Eſſentiale, II. 292.
Volatile Anglic. ſiccum, II. 292.
Oleoſum, II. 292.
Salat, I. 129.
Kayſer, I. 129.
Salbey, I. 186.
Salep Radix, I. 186.
Salicaire, I. 186.
Salicaria, I. 186.
Salix, I. 186.
Salpeter, I. 156.
Salvia, I. 186.
Sambuci fungi, I. 143.
Sambucus, I. 186.
Sanctum Lignum, I. 115.
Sandaraca Gummi, I. 187.
Sandaraque, I. 37.
Sanglier, I. 33.
Sangſue, I. 120.
Sanguiſorba, I. 168.
Sanicula, I. 187.
Sanlay, I. 187.
Santalum, I. 187.
Santonicum, I. 81.
Sapa, I. 214.
Sapo Chemicus, II. 293.
Tartareus, II. 293.
Medicatus, II. 293.
Saponaria, I. 188.

Sapphirus, I. 188.
Sarcocolla, I. 188.
Sardus, I. 65.
Sariette, I. 189.
Sarſaparilla, I. 188.
Saſſafras, I. 189.
Satureja, I. 189.
Satyrion, I. 189.
Saudiſtel, I. 197.
Sauerampfer, I. 16.
Sauerklee, I. 16.
Sauge, I. 186.
Saule, I. 186.
Saurauch, I. 47.
Sauve vie, I. 183.
Saxifraga alba, I. 189.
Rubra, I. 106.
Scabioſa, I 189.
Scammoneum, I. 190.
Scariola, I. 101.
Schaafgarben, I. 195.
kunz, I. 196.
Schalotten, I. 22.
Scharlachkraut, I. 121.
Schieferweis, I. 75.
Schierling, I. 80.
Schiffdœrr, I. 170.
Schildkrœte, I. 206.
Schlagkræutlein, I. 76.
Schlange, I. 194.
Schlangenholz, I 87.
wurzel, I. 50.
Schlehen, I. 15.
Schlüſſelblumen, I. 173.
Schnecke, I. 86.
Rothe, I. 135.
Schnittlauch, I. 72.
Schœllkraut, I. 77.
Schœnanthum, I. 190.
Schopine, I. 7.
Schuppenwurzel, I. 98.
Schwalbe, I. 120.
Schwalbenwurzel, I. 120.
Schwamm, I. 199.
Schwarzwurzel, I. 201.
Schwefel, I. 202.
Schwein, I. 172.
brod, I. 95.
Scilla, I. 190.
Præparata, II. 294.
Scincus, I. 191.
Sclarea, I. 191.
Scordium, I. 191.
Scorpius, I. 191.
Scorzonera, I. 191.
Scriptulum, I. 8.
Scrophularia, I. 192.
Scrupulus, I. 10.
Sebeſten, I. 192.
Sebum, I. 52.
Secale, I. 192.
Sedum, I. 192.
Seeblume, I. 156.
Seichblumen, I. 204.
Seide, I. 194.
Seidel, I. 7.
Seidelbaſt, I. 147.
ſaamen, I. 85.
Seifenkraut, I. 188.
Seigle, I. 192.
Sel d'Oſeille, I. 18.
Selenites, I. 113.
Semina frigida majora, I. 13.
Seminet, I. 9.
Semiſſis, I. 7.
Sempervivum, I. 193.
Senecio, I. 193.
Senecion, I. 193.
Senf, I. 196.

Senna, I. 193.
Sepiæ Os, I. 193.
Septunx, I. 7.
Seraphique Gomme, I. 184.
Serapin Gomme, I. 33.
Serapin Gummi, I. 184.
Sericum, I. 194.
Serpens, I. 194.
Serpent, I. 194.
Serpentaria Virginiana, I. 194.
Serpolet, I. 195.
Serpyllum, I. 195.
Serum Lactis, II. 294.
  Chalybeatum, II. 294.
  Dulce, I. 128.
Seſamum, I. 195.
Seſcunx, I. 7.
Seſeli, I. 195.
Sevenbaum, I. 181.
Sextala, I. 8.
Sextans, I. 7.
Sextarius, I. 8.
Sicilicus, I. 8.
Sideritis, I. 195.
Siebengezeit, I. 145.
Sief album, II. 294.
Siegwurzel, I. 211.
Sigillum Salomonis, I. 195.
Sigmundwurzel, I. 20.
Silber, I. 34.
Silberglætt, I. 135.
Siler montanum, I. 195.
Silex, I. 195.
Siliqua, I. 8.
  Dulcis, I. 196.
Simarouba, I. 196.
Sinapi, I. 196.
Sinau, I. 20.
Singrün, I. 211.
Siri Gata Gambar, I. 70.
Smaragdus, I. 196.
Smirgel, I. 197.
Smiris, I. 197.
Soda, I. 197.
  Tartariſata, II. 290.
  Vitriolata, II. 289.
Solutio Mercurii, II. 294.
Sommerlock, I. 165.
Solanum, I. 197.
Soldanella, I. 197.
Son, I. 109.
Sonchus, I. 197.
Sonnengunzel, I. 117.
Sonnenthau, I. 180.
Sophia Chirurgorum, I. 192.
Sorbier, I 198.
Sorbus, I. 198.
  Aucuparia, I. 198.
Sory, I. 215.
Sotirella parva, II. 295.
Souchet long, I. 96.
  Rond, I. 97.
Soucy, I. 58.
Soude, I. 197.
Soufre, I. 202.
Soye, I. 194.
Spaniſche Mucken, I. 60.
Sparadrapum, I. 142.
  Album, II. 295.
  ad Corpus conditum involvendum, II. 295.
  Goulard, II. 296.
Spargel, I. 39.
Species, II. 296.
  Aromaticæ Roſatæ, II. 296.
  pro Cataplaſmate Emolliente, II. 297.
  Cephalicæ, II. 297.
  pro Decocto Antinephrit. II. 297.
  Carminativo, II. 298.

Species pro Decocto Pectorali, II. 298.
Vulnerario, II. 299.
Diacretæ, II. 300.
Diaireos, II 300.
Diambræ, II 300.
Diatragacanthæ, II. 301.
Diſcutientes, II. 301.
Emollientes, II. 302.
pro Epithemate Cordis & Pulſuum, II. 302.
pro Fotu Aromatico, II. 302.
ad Colicam, II. 303.
Imperatoris, II. 303.
pro Odoramento *Pot pourri*, II. 304.
pro Potu Infantum, II. 299.
Reſolventes, II. 304.
Tabaci pro fumo, II. 305.
Specificum Antifebrile, II. 306.
Crollii, I. 188.
Antepilepticum, II. 305.
Cephalicum, II. 306.
Diajalappæ, II. 306.
Febrifugum, II. 306.
Jalappinum, II 306.
Stomachicum, II. 66.
Specularis Lapis, I. 113.
Sperniola, I. 177.
Spiauter, I. 218.
Spica, I 131.
Celtica, 198.
Indica, I. 198.
Nardi, I. 131. 198.
Spiesglas, I. 31.
Spieshirſch I. 74.
Spigelia, I. 198.
Spina Cervina, I. 198.
Spinne, I 34.
Spindel, I. 40
Spiritus abſtractitii, II. 307.
Spiritus Aceti, II. 5.
Balſami Peruviani, II. 307.
Bezoardicus Bussi, II. 307.
Carminativus Sylvii, II. 307.
de tribus, II. 308.
Cochleariæ, II. 308.
compoſitus, II. 308.
Cornu Cervi, II. 309.
Jaſmini, II. 309.
Lavendulæ, I. 131.
Mindereri, II. 309.
Nitri, II. 309.
Dulcis, II. 307.
Fumans, II. 310.
ad Perniones, II. 310.
Salis Ammoniaci cum Calce viva, II. 311.
Cauſticus, II. 311.
Succinat. II. 312.
Tartariſat. II. 311.
Vinoſus, II. 311.
Salis communis, II. 312.
Fumans, II. 313.
Dulcis, II. 312.
Saponis, II. 313.
Succini, II. 313.
Sulphuris, II. 235. 313.
Volatilis, II. 313.
Tartari, II. 314.
de Tribus, II. 222.
Vini Alcaliſatus, II. 314.
Camphoratus, II. 314.
Crocatus, II. 314.
Lotus, II. 314.
Phlegma, II. 314.
Rectificatus, II. 314.
Tartariſatus, II. 314.
Vinoſus Vitriolicus, II. 206.
Æthereus Vitriol. II. 206.
Vitrioli, II. 315.

Spiritus Vitrioli dulcis, II. 315.
Spodium, I. 100. II. 107.
Spongiæ, I. 199.
Præparatæ, II. 315.
Spongiarum Lapis, I. 199.
Spingkœrner, I. 70.
Squilla, I. 190.
Stabwurz, I. 14.
Stackelruben, I. 153.
Stærcke, I. 28.
Staphis agria, I. 199.
Stange, I. 74.
Stannum, I. 199.
Stater, I. 8.
Stechapfel, I. 201.
Steckruben, I. 153.
Steinbeere, I. 216.
brech, I. 106.
kreſſen, I. 154.
leberkraut, I. 119.
ſalz, I. 185.
Stendelwurzel, I. 189.
Stibium, I. 32.
Stier, I. 205.
Stincus, I. 191.
Stœchas, I. 200.
Storkenſchnabel, I. 113.
Storax, I. 200.
Stramonium, I. 201.
Strauſſeneyer, I. 201.
Struthionis Ova, I. 201.
Suber, I. 201.
Subulo, I. 74.
Suc de Regliſe de Blois, II. 241.
Succi expreſſi, II. 315.
Antiſcorbutici, II. 315.
Succinum, 201.
Indiæ Occidentalis, I, 135.
Succiſa, I. 201.
Suie, I. 108.
Suif, I. 52.
Sulphur, I. 202.
Antimonii auratum, II. 315.
Tartariſatum, II. 200.
Præcipitatum, II. 200.
Sumach, I. 202.
Summitates, I. 11.
Suppoſitoria, II. 316.
Sureau, I. 186.
Süsholz, I. 113.
Symphytum, I. 202.
Syrop, I. 184.
Syrupi, I. 316.
Syrupus *Alexandrinus*, II. 200.
Althææ, II. 316.
AMBROSII, I. 147.
de Ammoniaco, II. 317.
Amygdalinus, II. 317.
Antiſcorbuticus, II. 318.
Balſami Tolutani, II. 319.
Balſamicus HOFFMANNI, II. 318.
Boyleanus, II. 319.
Byzantinus, II. 319.
Chinæ, II. 319.
Cichorei cum Rhabarbaro, II. 320.
Citri Corticum, II. 321.
e toto, II. 320.
Corallorum, II. 320.
Diacodii, II. 321.
Domeſticus, II. 321.
Emeticus *Brandeburg.* II. 322.
GLAUBERI, II. 322.
Emulſivus, II. 317.
de Eryſimo, II. 322.
Glycyrrhizæ, II. 324.
Hordeatus, II. 324.
Hyſſopi, II. 324.
de Jujubis, II. 324.
Longæ Vitæ, II. 326.
de Manna, II. 325.

Syrupus Mercurialis, II. 326.
Mororum, I. 149.
de Nicotiana, II. 326.
Papaveris albi, II. 327.
Prophylacticus, II. 326.
Rubi Idæi, II. 327.
Saccharinus, I. 184.
Scelotyrbticus, II. 327.
Scilliticus, II. 324.
de Spina Cervina, II. 321.
de Symphyto, II. 328.
Viperarum, II. 328.

Tabac, I. 155.
Tabellæ, II. 328.
Tabouret, I. 54.
Tabulæ, II. 283.
Alimentariæ, II. 328.
Althææ, II. 343.
Tacamahaca, I. 202.
Tæſchelkraut, I. 54.
Taffetas d'Angleterre, II. 145.
Taffia, I. 203.
Tag und Nacht Kraut, I. 162.
Τάλαντον, I. 8.
Talcum, I. 203.
Talpa, I. 203.
Tamarindi, I. 203.
Tamaris, I. 204.
Tamariſcus, I. 204.
Tanacetum, I. 204.
Tanais, I. 204.
Tannzapfen Œhl, I. 174.
Taraxacum, I. 204.
Tarrette, I. 116.
Tartari Cryſtalli, I. 204.
Tartarus, I. 204.
Antimonialis, II. 329.
Chalybeatus, II. 329.
Emeticus, II. 329.
Tartarus Martialis, II. 195.
Regeneratus, II. 330.
Solubilis, II. 292. 329.
Tartariſatus, II. 329.
Vitriolatus, II. 310. 330.
Tartre, I. 204.
Taubenkropf, I. 109.
Taupe, I. 203.
Taureau, I. 205.
Taurus, I. 205.
Tauſendguldenblumen, I. 71.
Taxus, I. 205.
Tela Emplaſtica, II. 142.
Gualteri, II. 295.
Telephium, I. 91. 104.
Terebinthina, I. 205.
Terebinthinæ Oleum, I. 205.
Spiritus, I. 205.
Terra foliata Tartari, II. 330.
Merita, I. 94.
Sigillata, I. 206.
Tertianaria, I. 206.
Teſtudo, I. 206.
Τέτραρτον, I. 9.
Teufelsabbiſs, I. 201.
Teufelsdreck, I. 40.
Thalictrum flavum, I. 206.
Thea Bohea, I. 206.
Romana, I. 52.
Sileſiaca, I. 52.
Viridis, I. 206.
Thée de Mexique, I. 52.
Miſſiſipi, I. 32.
Paraguay, I. 32.
Theer, I. 170.
Theriaca Andromachi, II. 124.
Cœleſtis Hoffmanni, II. 33.
Diateſſeron, II. 121.
Thlaſpi, I. 207.
Thuris Cortex, I. 204.

Thus, I. 157.
Judæorum, I. 207.
Thym, I. 207.
Thymelæa, I. 147.
Thymiamatis Cortex, I. 207.
Thymian, I. 207.
Thymus, I. 207.
Tilia, I. 208.
Tilleul, I. 208.
Tincal, I. 51.
Tinctura, II. 332.
Alexipharmaca, II. 333.
Amara *Edinburgenſium*, II. 139.
Londinenſium, II. 138.
Antimonii acris, II. 333.
Saponacea, II. 333.
Taratariſata, II. 334.
Antivenerea, II. 334.
Auri, II. 335.
Bezoardica, II. 335.
Coralliorum, II. 336.
Laccæ, II. 336.
Martis aperitiva, II. 336.
Glauber II. 337.
Cydoniata, II. 337.
Helleborata, II. 337.
Pomata, II. 337.
Zwoelfferi, II. 337.
Metallorum, II. 338.
Rhabarbari, II. 338.
Salina, II. 339.
Stomachica *Danorum*, II. 339.
Whytt, II. 339.
Sulphuris, II. 340.
Tartari, II. 340.
Thebaica, II. 204.
Tolutanum Balſamum, I. 208.
Topaſius Lapis, I. 208.
Toque, I. 206.
Tormentilla, I. 208.
Tortue, I. 206.
Tourneſol, I. 117.
Tourquette, I. 119.
Toute bonne, I. 121.
Traberen, I. 214.
Tragacantha, I. 208.
Tragea alba, II. 340.
Aromatica, II. 340.
Granorum Actes, II. 341.
Ophthalmica, II. 341.
Tragopogon, I. 209.
Traubenkraut, I. 52.
Trefle, I. 209.
muſqué, I. 143.
Tremeſſis, I. 9.
Tribuli aquatici, I. 209.
Trichomanes, I. 18.
Triens, I. 1.
Trifolium, I. 209.
Trippe Madame, I. 192.
Tripoli, I. 209.
Tripolitana terra, I. 209.
Trippel, I. 209.
Trochiſci, II. 43.
Albi, II. 342.
Alhandal, II. 342.
Aliptæ, II. 342.
Alkermes, II. 342.
Althææ, II. 343.
Becchici albi, II. 343.
Citrini, II. 343.
Nigri, II. 343.
Pariſienſium, II. 346.
Catechu, II. 346.
Cypheos, II. 344.
Eſcharotici, II. 344.
Fumales, II. 344.
Hedychroi, II. 345.
Hermetici, II. 345.
de Nitro, II. 346.

Trochiſci Pectorales, II. 346.
Refrigerantes, II. 347.
de Scilla, II. 347.
Viperini, II. 347.
Troene, I. 134.
Tryphera magna, II. 347.
Tunica, I. 209.
Turique Gomme, I. 34.
Turis Gomme, I. 34.
Turpethum, I. 210.
Minerale, II. 347.
Tuſſilago, I. 105.
Tutia, I. 210.
Typhi Cervini, I. 75.

Valeriana, I. 210.
Valerienne grande, I. 167.
Vanilla, I. 210.
Vegetabilium collectio, I. 10.
Velar, I. 103.
Velvotte, I. 101.
Verbaſcum, I. 211.
Verbena, I. 211.
Verd de gris, I. 213.
Veſſie, I. 199.
Ver de Terre, I. 126.
Verge d'or, I. 88.
Verjus, I. 214.
Veronica, I. 211.
Veronique, I. 211.
Verre, I. 215.
Verveine, I. 211.
Veſſe de Loup, I. 52.
Victorialis, I. 211.
Vigne, I. 214.
Vinacea, I. 214.
Vinaigre, I. 17.
Vinca per Vinca, I. 21.
Vincetoxicum, I. 120.
Vinum, I. 212.
Vinum Amarum, II. 349.
Antimoniatum, II. 19.
Antiſcorbuticum, II. 349.
Chalybeatum, II. 350.
per Confermentation. II. 350.
Emeticum, II. 19.
Hippocraticum, II. 350.
Viola, I. 212.
Violaria, I. 212.
Viole, I. 212.
gelbe, I. 77.
Violenwurzel, I. 125.
Violette, I. 212.
Vipera, I. 213.
Virga aurea, I. 213.
Viride Æris, I. 213.
Viſcum, I. 213.
Vitis, I. 214.
Vitis Idæa, I. 214.
Vitriolum album, I. 214.
Cæruleum, I. 214.
de Cypro, I. 214.
Martis, II. 340.
Viride, I. 214.
Vulgare, I. 214.
Vitrum, I. 215.
Antimonii, II. 351.
Ceratum, II. 351.
Ulmaria, I. 44.
Ulmus, I. 216.
Ultramarinum, I. 132.
Umbilicus marinus, I. 215.
Uncia, I. 8. 10.
Unguentum album, II. 352.
Althææ, II. 352.
ad Ambuſta, II. 352.
Anodynum, II. 353.
Apoſtolorum, II. 353.
de Arthanita, II. 354.
Baſilicum, II. 355.

Unguentum Bernhardinum, II. 355.
Cæruleum, II. 363.
Camphoratum, II. 352.
contra Cancr. apertum, II. 356.
Cardiacum, II. 356.
Carminativum, II 356.
Citrinum, II. 368.
Clyſmaticum, II. 357.
Comitiſſæ, II. 357.
Diapompholygos, II. 366.
Digeſtivum, II. 358.
Dodecapharmacum, II. 353.
Enulatum, II. 359.
Fuſcum, II. 359.
e Gummi Elemi, II. 50.
Hæmorrhoidale, II. 359.
de Linaria, II. 359.
de Liquiritia, II. 360.
de Lithargyrio, II. 360.
Majoranæ, II. 68.
Martiatum, II. 360.
Maturativum, II. 361.
Mercuriale album, II. 361.
de Minio, II. 361.
Mundificans Poterii, II. 362.
Stahlii, II. 362.
Neapolitanum, II. 362.
Nervinum, II. 363.
de Nicotiana, II. 363.
Nihili, II. 363.
Nutritum, II. 360.
Oculare Pringle, II. 364.
Sloane, II. 364.
Ophthalmicum, II. 364.
Opodeldoch, II. 58.
Paraliticum, II. 365.
Pectorale, II. 365.
contra Pediculos, II. 365.
ad Perniones, II. 365.
Pomatum, II. 366.
Unguentum Populeum, II. 367.
Purpureum, II. 367.
Roſatum, II. 367.
Rubrum potabile, II. 368.
Sambucinum, II. 368.
ad Scabiem album, II. 361.
Pariſienſium, II. 368.
Simplex, II. 367.
Solani, II. 369.
Spleneticum, II. 369.
Stomachicum, II. 370.
de Styrace, II. 370.
Tetrapharmacum, II. 355.
Triapharmacum, II. 360.
de Uvis, II. 37 .
contra Vermes, II. 371.
Viride potabile, II. 371.
Unicornu foſſile, I 101.
verum, I. 215.
Unſchlitt, I. 52.
Vogelbeeren, I. 198.
Vogelkraut, I. 23.
Vogelleim, I. 213.
Vogelneſt, I. 97.
Vomicæ Nuces, I. 216.
Urna, I. 9.
Urſus, I. 216.
Urtica, I. 216.
Mortua, I. 110.
Uva Urſi, I. 216.
Vulpes, I. 216.
Vulvaria, I. 216.
Uvularia, I. 217.

Wachholder, I. 126.
Wachs, I. 72.
Stop, I. 72.
Waldmeiſter, I. 119.
Wallrath, I. 75.
Wallwurzel, I. 202.

Wanzenkraut, I. 182.
Waſſernüſſe, I. 209.
Waſſerpfeffer, I. 165.
Waſſerſchierling, I. 167.
Waſſerſchwertel, I. 17.
Wegdiſtel, I. 64.
Weggras, I. 71.
Wegſenf, I. 103.
Wegweis, I. 80.
Wegerich, I. 170.
Weiden, I. 186.
Weiderich, I. 186.
Weihrauch, I. 157.
Weinmus, I. 214.
Weinſtein, I. 204.
Weisdornen, I. 160.
Wermuth, I. 14.
Wieſenkreſſe, I. 62.
Wieſenraute, I. 206.
Wildſchwein, I. 33.
Winteranus Cortex, I. 217.
Wintergrün, I. 175.
Wiſmuthum, I. 49.
Wohlgemuth, I. 159.
Wohlverley, I. 36.
Wolf, I. 137.
Wolfsbeere, I. 163.
Wolfsmilch, I, 103.
Wollkraut, I. 211.
Wundkraut, I. 88.
Wurmſaamen, I. 81.

Xanthium, I. 217.
Ξέςης, I. 9.
Xylobalſamum, I. 142.

Yeble, I. 100.
Yvoire, I. 100.

Zahnwurzel, I. 98.
Zapfenholz, I. 108.
Zæpfleinkraut, I. 217.
Zaunkœnig, I. 178.
Zaunrube, I. 53.
Zedoaria, I. 217.
Zeitloſen, I. 47.
Zibeben, I. 163.
Zibethum, I. 217.
Zimmet, I. 82.
Mutter, I. 67.
Zingiber, I. 218.
Zincum, I. 218.
Zinn, I. 199.
Zinzinber, I. 218.
Coctum, II. 372.
Zittwer, I. 217.
Zucker, I. 184.
Zwecken, I. 114.
Zwetſchen, I. 173.

Excudit JOHANNES HENRICUS HEITZ, Univerſitatis Typographus.

ADDENDA ET CORRIGENDA

PART. I.

P. 22. l. 34. In poſthumo *Supplemento* LINNÆUS optimam Aloën ex Aloë ſpicata parari tradit.

P. 28. ad ANACARDIUM ORIENTALE add. Semecarpum arborem LINNÆUS in *Suppl.* appellat.

P. 70. l. 19. In poſthumo Opere LINNÆUS novam Mimoſæ ſpeciem adducit, quam fide KEERS *Catechu* appellat.

P. 88. l. 27. Recentiſſimi Sueci mox Dorſteniam Dreackenam, mox Dorſteniam Contrajervam adducunt.

P. 90. l. 27. Piper Cubeba in *Supplemento Linnæano* dicitur.

P. 100. l. 12. Dioſpyros Ebenum annotantibus Celeberrimis KOENIG & THUNBERG.

P. 104. l. 30. Ignatiam amaram LINNÆUS in *Supplemento* hoc medicamentum largiri tradit.

P. 120. l. 33. HOMO, *Homme*, *Menſch.* De Cranio ſupra jam egi. Reliquæ partes, quarum uſum abſurdiſſimæ hypotheſes ſuſtentarant, hodie eviluerunt, neque plurimorum quadrupedum Axungiis *Humana*, quamvis mollior & flavior, anteferenda videtur.

P. 142. l. 20. Amyris Gileadenſis e *Pharmacopoea Suecica* adducitur.

P. 147. l. 15. pro Athamanta leg. Æthuſa.

P. 161. l. 31. Cl. MUTIS in *Supplemento Linnæano* Cocos Butyraceæ deſcriptionem profert.

P. 165. l. 23. Cl. MUTIS *Myroxylon Peruiferum* hoc Balſamum largiri obſervavit.

P. 188. l. 4. Arbor in *Supplemento Linnæano* Pterocarpi Santālini nomine deſcribitur.

P. 196. l. 21. LINNÆUS in *Supplemento* Quaſſiam Simarubam appellat.

PART. II.

P. 48. l. 1. pro ZWINGERI leg. WEPFERI.

P. 62. l. 27. pro *Feuillet* leg. FOEUILLET.

P. 112. l. 12. pro BARZONII leg. GARZONII.

P. 184. l. 21. poſt MAROCOSTINUM add. MINDERERI.

P. 195. l. 25. poſt MARTIALES add. WILLISII.

P. 218. l. 26. pro orificio leg. ventri.

P. 309. l. 26. pro KELLII leg. SNELLEN.

P. 330. l. 23. ſeq. deleatur TELA GUALTERI, quippe jam pag. 295 deſcriſpta.

P. 349. l. 12. ſeq. deleatur VINUM ANTIMONIATUM paginæ 19. jam inſertum.

APPROBATION.

J'ai lu, par ordre de Monſeigneur le Garde des Sceaux, un Manuſcrit ayant pour titre *Pharmacopée &c.* par Monſieur Spielmann, & j'ai jugé, qu'un Diſpenſaire rédigé par un Savant, qui réunit le mérite du Pharmacien, du Médecin & du Chymiſte ne pouvait qu'être favorablement accueilli de ceux, qui ſe livrent à l'art de guérir. A Paris ce 22 Fevrier 1781.

CADET DE VAUX, *Cenſeur Royal.*

PRIVILEGE DU ROI.

Louis, par la grace de Dieu Roi de France et de Navarre: A nos amés & féaux Conſeillers, les Gens tenants nos Cours de Parlement, Maitres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux; leurs Lieutenants Civils, & autres nos Juſticiers, qu'il appartiendra: Salut. Notre amé le Sr. Spielmann Nous a fait expoſer, qu'il deſireroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage de ſa compoſition & intitulé *Pharmacopée &c.* s'il Nous plaiſoit lui accorder Nos Lettres à ce néceſſaires. A ces causes, voulant favorablement traiter l'Expoſant, Nous lui avons permis & permettons, de faire imprimer ledit ouvrage autant de fois que bon lui ſemblera, & de le vendre, & faire vendre par tout Notre Royaume; voulons qu'il jouiſſe de l'effet du préſent Privilege pour lui, ſes hoirs, à perpétüité; pourvu qu'il ne le retrocede à perſonne, & ſi cependant il jugeoit à propos d'en faire une ceſſion; l'acte qui la contiendra, ſera enrégiſtré en la Chambre Syndicale de Paris, à peine de nullité tant du Privilege que de la ceſſion, & alors par le fait ſeul de la ceſſion enrégiſtrée, la durée du préſent Privilege ſera réduite à celle de la vie de l'Expoſant, ou à celle de dix années à compter de ce jour, ſi l'Expoſant décede avant l'expiration des dites dix années: le tout conformément aux Articles quatre & cinq de l'Arrêt du Conſeil du 30 Aout 1777, portant réglement ſur la durée des privileges en librairie. Faisons défenſes à tous Imprimeurs, Libraires & autres perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de Notre obéiſſance: comme auſſi d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire ledit ouvrage, ſous quelque prétexte que ce puiſſe être,

ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ſes hoirs ou ayant cauſe à peine de ſaiſie & confiſcation des exemplaires contrefaits, de ſix mille Livres d'amende, qui ne pourra être modérée pour la premiere fois; de pareille amende & de déchéance d'état en cas de récidive, & de tous dépens, dommages & interêts, conformément à l'Arrêt du Conſeil du 30 Aout 1777, concernant les contrefaçons, à la charge que ces Préſentes ſeront enrégiſtrées tout au long ſur le Régiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion dudit Ouvrage ſera faite dans Notre Royaume, & non ailleurs, en beau papier & beaux caracteres, conformément aux Réglements de la Librairie, à peine de déchéance du préſent Privilege; qu'avant de l'expoſer en vente, le manuſcrit, qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit Ouvrage, ſera remis dans le même etat, où l'Approbation y aura été donnée, és mains de Notre très-cher & féal Chevalier, Garde des Sceaux de France, le Sieur HUE DE MIROMESNIL, Commandeur de Nos Ordres; qu'il en ſera enſuite remis deux exemplaires dans Notre Bibliotheque publique, un dans celle de Notre château du Louvre, un dans celle de Notre très-cher & féal Chancelier de France, le Sieur DE MAUPEOU & un dans celle dudit Sieur HUE DE MIROMESNIL: le tout à peine de nullité des Préſentes: Du contenu deſquelles Vous mandons & enjoignons, de faire jouir ledit Expoſant & ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. VOULONS que la copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, ſoit tenue pour duëment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de Nos amés & féaux Conſeillers-Secrétaires, foi ſoit ajoutée comme à l'original. COMMANDONS au premier Notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, charte Normande, & lettres à ce contraires; CAR TEL EST NOTRE PLAISIR. DONNÉ à Paris le vingtieme jour du mois de Juin, l'an de grace mil ſept cent quatre-vingt un, & de Notre Regne le huitieme.

Par le ROI en Son Conſeil

LE BEGUE.

Régiſtré ſur le Régiſtre XXI. de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris N°. 2207. fol. 522. conformément aux diſpoſitions énoncées dans le préſent Privilege & à la charge de remettre à ladite Chambre les huit Exemplaires préſents par l'Article CVIII. *du Reglement de* 1723. *A Paris, le* 6 *Juillet* 1781.

DURAND, *Adjoint.*